.sc. sup.13.pl.3.

31
10 D
4

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

JANSENIUS EXARMATUS

IN

EPISTOLIS INSTRUCTIVIS

ET

ANTI-HEXAPLIS

SEU SCRIPTIS SEX COLUMNARUM

Adm. R. P. Pauli Lugdunensis, Capucini,
SS. Theologiæ Lectoris

Contra modernos Janſeniſmi errores, & præſentim contra centum & unam Propoſitiones

PATRIS QUENELLI

Damnatas à S.D.N. Papa CLEMENTE XI.

Quas Epiſtolas & Anti-Hexaplas
Ex Gallico idiomate in latinum tranſtulit, & in
tres Tomulos diviſit

P. Martinus Lucernensis Capucinus,
antehàc SS. Theologiæ Lector.

TOMULUS PRIMUS.

[redacted]

SOLODORI, Typis Joannis Georgii Tſchan.

Anno M. DCC. XX.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO

AC CELSISSIMO PRINCIPI

JOSEPHO FIRRAO,

EX PRINCIPIBUS S. AGATHÆ, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Archiepiſcopo Nicæno, ac Smi. D. N. *Clementis* divinâ Providentiâ Papæ XI. & ejuſdem S. Sedis ad Helvetios, Rhætos, eorumque ſubditos & confœderatos, nec non ad Conſtant. Baſileens. Sedun. & Lauſan. Civitates & Diœceſes cum Poteſtate Legati de Latere Nuntio, ac ejuſdem Sanctiſſimi Prælato domeſtico & Aſſiſtenti &c.

CELSISSIME PRINCEPS.

GAllia novit opera litterata à P. Paulo Lugdunenſe ordinis noſtri Theologo elucubrata, eorúmque pondus aut pretium. Duæ ſolummodo ejus opuſculis deeſſe videbantur prærogati-

væ, & quòd non omnibus communia, & quòd Celſitudini Tuæ non eſſent propria. Utrique defectui ſuccurrere ſtatueram, cùm Janſeniſmum, meo judicio utcunque hîc exarmatum, omnibus communem, tuæ verò Celſitudini proprium reddidiſſem, transferendo videlicet dicta opera ex gallicâ in linguam latinam, toti literatorum Reipublicæ communem, eáque ſolemni dedicatione C. T. appropriando.

Ad hoc poſterius tria impulêre, quæ in C. T. haud obſcurè ſuſpexeram, nimirum qualitas Archiepiſcopi, Nuntii Apoſtolici, Principis.

Quòd ſi præſens tripartitum opus ejúſque ſummarium argumentum toto vultu conſideretur, protinus advertitur, id demum per pronam Analyſin reſolvi in doctrinam S. Auguſtini, Clementis XI, atque Eccleſiæ Romano-Catholicæ, utpote vindicatam ab impoſturis Janſenianorum, hodie inter gallos tumultuantium. Non immeritò triplex iſthæc doctrina, dixerim potiùs unica doctrina tripliciter de Janſenii Factione triumphans uni debetur C. T., eíque ſub Trino Titulo conſecranda eſt, ut Archiepiſcopo, ut Nuntio Apoſtolico, ut Principi. S. Auguſti-

Digitized by Google

nus Archiepiſcopum, Clemens XI Nuntium Apoſtolicum, Eccleſia Principem ex principibus S. Agathæ poſtulat, ſub cujus Auſpiciis eorum doctrina orthodoxa lucem videat in hoc *Janſenio exarmato.*

I. Sicut Præſens opus undequaque S. Auguſtinum ſpirat, citat, explicat, vindicat, ita quoque talem ſibi *Præſulem* in Patronum ſeligit, qui hujus Affricani Præſulis & ardentiùs ſequitur morum veſtigia, & impenſiùs ſectatur Fidei dogmata. Abſque aſſentationis ſuſpicione de C. T. affirmaverim, quod Paulinus de Auguſtino (*a*) *O verè ſal terræ, quo præcordia noſtra, ne poſſint ſæculi errore vaneſcere, condiuntur! ô Lucerna dignè ſuper Eccleſiæ candelabrum poſita, quæ latè Catholicis de ſeptiformi Lichno, paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas licèt hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis è confuſione tenebrarum ſplendore clarifici luminis enubilas.* Scio equidem haud mentitam famam eſſe, quæ te paſſim divulgat Epiſcopum ſine crimine, univerſis virtutibus ad Votum & præſcriptum Apoſtoli condecoratum.

(*a*) S. Aug. Ep. 31.

Non hæc ex famâ duntaxat noveram, ſed & ex oculorum ſuffragio, cùm in viciniâ quondam tuis moribus & exemplis fruerer. Parum erat, quòd vulgus te proclamaverit Alterum Carolum Borromæum, cujus paſtorales ſolicitudines, cujus Zelum ſuavitate & gravitate plenum ſine fuco ad vivum exprimis; ſunt imò ex viris delicatiſſimi guſtûs in diſcernendo, qui C. T. non tantùm inter pientiſſimos ſed & ſapientiſſimos Eccleſiæ Romanæ Antiſtites collocârunt, cùm ingenii tui circa ſacra & profana prodigioſum acumen experirentur.

Tametſi ſublimes C. T. dotes & â gratiâ & à Naturâ abundanter conceſſæ haud indigeant humili meo præconio, nec etiam tempus aut ratio ſuadeat longius excurrere in laudes tuas; id enim modeſtia vetat laudandi, & prohibet tenuitas laudatoris; nihilo-ſecius unum illud ſilentio premere haud perſuadeor; quid nimirum tunc animo volverim, quid ſenſerim, quando te vidi inter tres Mitras Epiſcopales in Archiepiſcopum Nicænum inaugurari· auſimne fateri? fidenter dico, diu luctabar, an Cathedræ Metropolitanæ Niceæ in Bithinia ex hac inau-

Digitized by Google

guratione plus condolendum an gratulandum? num magis mereatur luctum ſedes illa ex tanti Præſulis privatione, num magis gaudium ex ejus infulatione diu non diſcernebam; tandem pro luctu ſententia ceſſit. Ita Niceæ indolui, ut etiam gemerem, perantiquam ſedem Niceæ Vacantem eſſe, vel eo ipſo momento, quo incœperat non vacare, ſed ornari tali Antiſtite, cujus exilium non minus plangendum videtur Nicænæ Eccleſiæ, quàm exilium Athanaſii olim plangebatur ab Alexandrinâ, & Chryſoſtomi à Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ. Non tamen nimiùm (durante tunc communi lætitia) privato dolori indulgendum cenſui: citò excuſſa mæroris caligine, ſacra exultatione ebrius gratulabar Europæ, gratulabar Chriſti Eccleſiæ, applaudebam Patriæ, quòd Aſia Pagana hodie nollet Virum, quem Aſia Chriſtiana quondam non pro ſola duntaxat ſede Nicæna, ſed pro omnibus totius orientis Cathedris Archiepiſcopalibus efflagitâſſet. Acclamabam dein *Euge Euge* gregibus ovium inter montes & Valles Helvetiæ circumerrantibus, gratulabar illis de Novo Paſtore, qui tametſi alienus ſit, id eſt Nicænus, non

Digitized by Google

tamen Mercenarius, quaſi non ſpectaret ad illum de ovibus: neque enim aiebam mecum, *aliunde aſcendit, ſed intrat per oſtium* Vocationis & Miſſionis Apoſtolicæ, ita ut etiam inter Helvetos eorumque confœderatos oves proprias habeat, quas vocat nominatim, ut paſcat eas.

Quid paratur, Celſiſſime Princeps, in hoc tripartito opere, niſi Pabulum pro diverſis diverſarum Diœceſium ovibus? quid porrigitur niſi tam præſervativum quàm curativum pharmacum contra peſtiferum virus noviſſimæ hæreſis, ne greges legationi tuæ paſtorali concreditos inficiat? ne igitur pabulum, ne antidotum iſtud ſpirituale nauſearent aut omnino reſpuerent greges, quibus Paſtor præſides, Patrocinio tuo approbari debuit. Dein ſacra dogmata Affricani Doctoris Magni Auguſtini utique jungenda erant amico dedicationis vinculo doctrinæ Præſulis Europæi ſimul & Aſiatis, ut in unâ perſonâ tuâ Celſiſſimâ tres præcipuæ orbis partes Aſia, Europa & Affrica confluerent in teſtimonium Veritatis.

2. Sed & doctrina Smi. Patris noſtri Clementis XI per decantatam ejus Bullam *Unigenitus*

in

in omnem terram exiens, in præſenti verò *Janſenio exarmato* ad normam Verbi divini, Traditionis Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ propugnata, Nominis tui fulgore illuſtrari, ac *Nuntii Clementini* Authoritate roborari deſiderat, præſertim in partibus, ubi ſicut oracula Pontificia malo exemplo finitimorum, ſchiſmata meditantium, de facili poſſent exſibilari, ita â te C. P. meritò ſtrenuiſſimum expectant Præſidium, apprimè quòd Bulla *Unigenitus* acceptatione univerſalis Eccleſiæ jam dudum ſit Canonizata. Profectò Providentia Numinis eſt, quæ C. T. ad plagas Helvetiæ Galliarum terminis cohærentes deſtinaverat, ut puris in fide animos adderes, cæteris metum propiore vigilantiâ. Neque enim fas erat, ut ſola Roma aut Italia radios tuos participaret, qui ſolis inſtar non urbi tantùm ſed orbi natus es, ut omnes haberent oves, quòd mirarentur, Paſtores, quòd imitarentur.

Aliud tibi par regnum quære, te jam Macedonia non capit; aiebat quondam Philippus Macedo ad Alexandrum ſuum: idipſum tibi congruit C. P. aliud tibi tuæque in ſac-

Digitized by Google

ram ſedem pietati par regnum quære, te jam Italia non capit tametſi latè patens; arcta nimis eſt ſpatioſis ornamentis, quæ non modò accipis à ſummâ Cathedrâ, ſed reddis multiplici fœnore; propterea & ultramontanis & ultramarinis in hunc mundum veniſti. Urbinum & Viterbium, Ancona & Laureta, omnéſque ſtatûs Eccleſiaſtici Provinciæ, in quibus ſucceſſivè & Vice-Legatum ſacræ Sedis agebas, & Gubernatoris ac Viſitatoris Apoſtolici munus ad miraculum exequebaris, tuis haud ſufficiebant ampliſſimis meritis. Ad ortum & occaſum ſolis te larga Dei manus diſpoſuit, nihil in te defectuoſum relinquens, niſi quòd pluribus locis per præſentiam corporalem impar ſis. Vaſtum Synarum imperium, pro quo ex obitu Eminentiſſimi Cardinalis Turnonii jam ſegregatus eras in Evangelium Pacis, non hodie lugeret abſentiam tuam, nec ſola Helvetia tuâ gauderet præſentiâ, niſi individuus eſſes reduplicationis expers, ſed oriens & occidens te fruerentur. Sicut olim plures Græciæ civitates exanimem Homerum ſuum civem ſibi ven-

dicabant, ſic omnes te C. P. ſed vivum & ſoſpitem volunt eſſe ſuum. Luſitania, in qua & Regis & Regni tenerrimum affectum non ab invitis rapuiſti, cùm ibi Nuntii Extra-Ordinarii partes ſtupenda prorſus dexteritate expleres, hodiedum guſtat ſapores tuos. Vel ipſa Anglia, cui te & amica navis & inimica tempeſtas expoſuit, ignoto licèt judicio juſtam tamen de te, Princeps, tuliſſet ſententiam, niſi citius facies tua fuiſſet euntis contra Helvetiam, deſtinatam ſedem Legationis tuæ Apoſtolicæ. Num ergo ſola Gallia tuis fruſtraretur erga ſacram ſedem officiis? Gallia inquam, primogenita ſummorum Pontificum? Gallia, quæ à primordiis Eccleſiæ Chriſtianiſſimam ſemper ſubjectionem Romanæ Cathedræ conteſtata eſt? Abſit: nàm Gallia Orthodoxè credens hoc opere C. T. præſentato, te Patronum accipit Religionis ſuæ integerrimæ, ac ſuæ devotionis erga D. Petri ſucceſſores Teſtem allegat, omni Exceptione Majorem.

3. Tandem Doctrina Eccleſiæ Romano-Catholicæ, toto hoc opere adverſus Janſe-

nium adornans triumphos ſuos, te *Principem* amplectitur in Protectorem, & quidem Principem ex illuſtriſſimâ domo Principum S. Agathæ: nec temerè aut caſu id fieri autumes Celſiſſime; conſultò Doctrinæ Eccleſiæ typis mandandæ Patronus quæritur ex eâ domo & Familiâ Illuſtriſſimâ, in quâ tot & tanta pietatis avitæ monumenta verſus Eccleſiam perſeverant in ſucceſſoribus, ut meritò eam primis annumeraveris; ſive enim Principum Heroúmque inde progenitorum Orthodoxam integritatem, ſive ſacrorum Antiſtitum longam ſeriem, ſive Cardinalitii Culminis meritiſſimam Eminentiam ſpectes, ſemper Eccleſia unà tecum concludet, non te poſſe degenerem eſſe. Quin imò majora Majoribus tuis argumenta præbes, quàm totus ſis Eccleſiaſticus, ita ut Avos jam non imiteris, ſed antecellas; ne tamen faſtidio ſim ex gravitate epiſtolari in Panegyrin prolixam defluens, abſtraho: dixiſſe ſufficiat, quòd Illuſtriſſimæ Familiæ tuæ arma gentilitia, *vitem florentem* exprimentia, non duntaxat ſint præſagio ſed teſtimonio, quàm anguſto nexu maneas & manſurus ſis in Avitâ *Vite* Stirpis tuæ tanquam

Palmes. Minus dixi, te Palmitem appellando ex florentiſſimâ *Vite* Majorum, totus *Vitis* es, (C. P.) omnium Palmitum Domus tuæ Illmæ adumbrans virtuoſas propagines. Totus *Vitis* es, in & pro Eccleſia vernans, ac proferens fructus tuos: cum hâc *Vite* (te appello C. P.) ſi quis non manſerit in fide, *mittetur foras ſicut palmes & areſcet* inſtar hodie Janſenizantium, fiet in pabulum ignis iræ Dei viventis, *& ardet.* Sicut ergo, teſtante Domino (*a*) *Palmes non poteſt ferre fructum ex ſemetipſo, niſi manſerit in Vite*: id eſt in Eccleſia ejuſque doctrinâ. (*b*) Sic viciſſim Præſenti operi uberrimos fructus promittere licet, ſi palmitis inſtar *Viti* tuæ Illmæ annexum manſerit, & ſub Vite Celſiſſimæ Protectionis tuæ requieverit.

Quod Præfectus Pincernarum Ægyptius per ſomnium vidit, (*c*) hoc jam non ſomnians ſed vigilans de hoc opere tametſi non meo ſed alterius ominor. Video nimirum *Coram me Vitem* (nimirum te Celſiſſimum Principem, ſub

(*a*) Joan. 15. v. 4.
(*b*) Corn. in. cit. l.
(*c*) Gen. 40. v. 9.

cujus Illmæ *Vitis* umbrâ hoc opus meridiatur) *& in ea tres propagines* (Principis, Archiepiſcopi, Nuntii Apoſtolici) *creſcere paulatim in gemmas* (gratioſiſſimæ videlicet Protectionis) *& poſt flores uvas matureſcere*, id eſt, uvas & fructus fidei, credentium Veritati, contra mendacia Novatorum. Accipe igitur C. P. quâ conſueviſti vultûs animique ſerenitate non quod alienum, ſed jam ab incunabulis *Tuum* erat, nimirum doctrinam S. Auguſtini, Clementis XI, ac Romano - Catholicæ Eccleſiæ, quatenus vindicatam à Janſeniſmi injuriis, & armatam in Janſeniſmum, ut exarmet Janſenianos. Accipe *Janſenium exarmatum*, ut Authoritate tua Celſiſſima exarmentur linguæ invidæ Zoilorum, & quorum dentes ſunt arma & ſagittæ; ne contra hoc opus dentibus ſuis fremant & tabeſcant.

Non reſpondet Dignitati tuæ Celſiſſimæ munus oblatum? reſpondeat offerentis animus ac Bona voluntas: jure confido, quòd boni conſules fiduciam & obſervantiam, quam Celſitudini Tuæ litterario hoc monumento non meo duntaxat ſed infimæ Provinciæ noſtræ nomine teſtari præſumo; quid enim non me ſperare ju-

bet experta Comitas C. T.? quæ natura tibi gravitatem dedit, non negavit humanitatem, nec gratioſiſſimam erga nos licèt immeritos propenſionem.

Deus Ter Opt. Max. Celſitudinem Tuam ad nominis ſui gloriam, ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ exaltationem, ad orthodoxæ Patriæ noſtræ Præſidium, ad Heterodoxæ reductionem, ad minimi ordinis noſtri ſolatium quàm diutiſſimè conſervet florentem atque incolumem.

REVmæ CELSITUDINIS TUÆ

Humillimus Servus

F. Martinus Capucinus.

Digitized by Google

Digitized by Google

FACULTAS

Rev.[mi] Patris Generalis Capucinorum.

Nos F: Joannes Antonius à Florentia Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis.

Cùm Librum, cui Titulus eſt, Janſenius Exarmatus in Epiſtolis Inſtructivis, & Anti-Hexaplis R. P. Pauli Lugdunenſis ex Gallico in Latinum Idioma translatum, ab A. V. Patre Martino Lucernenſi Ordinis noſtri in Helvetica Provincia Guardiano, & olim Sacræ Theologiæ Lectore: Aliqui ex Ordine noſtro, ac ex eâdem Provincia Theologi ſeriò examinaverint, & eumdem Gallicæ compoſitioni ad amuſſim concordantem in Lucem edi poſſe probaverint; Facultatem concedimus, ut ſervatis ſervandis & ſi ijs, ad quos ſpectat ita videbitur, typis mandari poſſit. In quorum fidem &c.

Dedimus Romæ Die 20. Januarij Anni 1720.

F: Joan. Ant. Min. Gen. qui ſupra.

(L.S.)

Digitized by Google

Approbationes Theologorum Ordinis.

EX Commiſſione A. R. P. Martiniani Tugienſis, Provinciæ noſtræ Helveticæ Miniſtri Provincialis accuratè examinavi opus Tripartitum, cui Titulus, *Janſenius Exarmatus in Epiſtolis Inſtructivis & Anti-Hexaplis R. P. Pauli Lugdunenſis Capucini &c.* ex Gallico in Latinum Idioma translatum â M. V. P. Martino Lucernate Capucino, Guardiano & antehác SS. Theologiæ Lectore: in quo cùm non ſolum nihil bonis moribus aut veris dogmatibus fidei invenerim adverſum, ſed omnia cum editione gallicâ jam approbatâ ad amuſſim concordare perſpexerim, dignum cenſui, ut Typis mandatum etiam gallicæ linguæ imperitis communicetur.

Datum Colmariæ 20. Auguſti A.° Domini 1719.

F. Valentinus Altkirch.is Capucinus loci Vicarius olim Cuſt. & Definitor Ind.

EX Mandato Superiorum attentè legi & relegi opuſcula R. P. Pauli de Lugduno Capucini, & antehâc SS. Theologiæ Lectoris in Gallico idiomate elucubrata, nunc autem Latinitate donata â M. V. P. Martino Lucernenſe, Capucino, Guardiano, nec non SS. Theologiæ

Lectore, ſub Titulo, *Janſenius Exarmatus in Epiſtolis Inſtructivis & Anti-Hexaplis &c.* in quâ Verſione nil niſi Orthodoxum, nil niſi bonis moribus conſonum reperi; unde dignam judico, quæ in lucem prodeat, & prælo data tenebras Novatorum ſuâ inſigni claritate ac luminosâ Veritate repellat.

Dedi Raperſvvilæ 31. Sept. 1719.

F. Franciſcus Sarnenſis Cap. Guardianus, olim SS. Theologiæ Lector Ind.

R. P. Paulus Lugdunenſis Capucinus ac SS. Theologiæ Exlector Zelo & eruditione prorſus admirabili nuper gallicè edidit ſuas epiſtolas Inſtructivas & opus Anti-Hexaplon ad propulſandas Novatorum inſanas opiniones & confirmandos in verâ fide orthodoxos, cujus opuſcula non minore zelo & eruditione in linguam latinam tranſpoſuit M. V. P. Martinus Lucernenſis Capucinus, Guardianus ac olim SS. Theologiæ Lector ſub titulo *Janſenius Exarmatus* &c. quam verſionem â Superioribus juſſus ſum cum editione gallicâ conferre, eamque per omnia Authori Gallo concordantem inveni; unde ut denuò ſub prælo ponatur, digniſſimam judico.

Colmariæ 20. Aug. 1719.

F. Manſuetus Friburg.ſis Capucinus, Concionator ac Guardianus Ind.

INfra ſcriptus teſtor, me perattentè vidiſſe & examinâſſe librum, nuper gallicè à R. P. Paulo Lugdunenſe, Capucino &c. nunc autem latinè ſcriptum à M. V. P. Martino Lucernenſe, ejuſdem ordinis Guardiano & antehác SS. Theologiæ Lectore, ſub titulo, *Janſenius Exarmatus &c.* qui liber fidei Catholicæ & bonis moribus non ſolùm per omnia conformis eſt; ſed reverà digniſſimus, ut ſolidâ ſuâ claritate armatus in lucem prodeat ad exarmandos Eccleſiæ hoſtes, quique pro communi notitiâ & plurimorum extra Galliæ climata habitantium utilitatem typis mandatus appareat. Ita ſentio.

Datum Seleſtadij 29. Sept. 1719.

F. Benno Stanzienſis Capucinus, Concionator & SS. Theologiæ Lector Ind.

Digitized by Google

INTERPRES LECTORI.

O*Bſecro te, ne laborem meum reprehendas... in tabernaculo Dei unuſquiſque offert, quod poteſt, alij aurum & argentum & lapides pretioſos. Nobiſcum benè agitur, ſi obtulerimus pelles & caprarum pilos &c.* Ita S. Hieronymus ad Ruffinum: (*a*) ſic ego ad te Lector. *in tabernaculo Dei*, id eſt, in militante Chriſti Eccleſia ſunt viri complures, maximè currente ſæculo, qui ingenio & pietate locupletati offerunt ex theſauro ſcientiæ & eruditionis ſuæ aurum, argentum, & lapides pretioſos, operam ſuam pretioſiſſimam in ſcribendis aut vertendis libris perquàm utiliter collocantes; his non immeritò annumeraveris egregij hujus operis Authorem Gallum: ſi verò me, quòd interpres ſim incultus, junxeris offerentibus pelles & caprarum pilos &c. non ſuccenſebo, nam *in tabernaculo Dei unusquiſque offert quod poteſt.* Tametſi in latina & gallica lingua me inter primos eſſe haud crediderim, primus tamen ad præſens qualecunque negotium vires & audaciam ſumpſi, ſic Deo, ingenuè fateor, me monente interiùs, atque amicorum non vulgari numero me inſtigante exteriùs: Scis, Benevole Lector, in laboribus exant-

(*a*) l. 2. apol.

)(3

landis circa ſcriptionem aut verſionem librorum ut plurimùm quatuor dari genera Virorum; ſunt qui volunt, ſed non valent, ſunt viciſſim qui valent, nec tamen volunt; ſunt qui nec valent nec volunt; ſunt denique qui & valent & ſimul volunt ſcribere pro gloriâ Dei & incremento veræ Religionis. Quòd ſi tibi non videatur, me ſpectare inter valentes, ne, quæſo, locum invideas inter volentes, & quidem optimâ voluntate & intentione volenti. Si quid deſim votis tuis, cogita, quòd non omnis fert omnia tellus, & quòd non omnibus datum ſit omne, ſicut tibi forſitan.

Quæris? cur huic operi præfigam titulum *Janſenius Exarmatus?* quippe qui non habeatur in Authore gallico? cauſam accipe. Veritas & judicium hunc titulum genuit: Veritas: nam reipsà hîc exarmatur Janſenius, qui defunctus adhuc loquitur & vivit in diſcipulis ſuis, Vicariæ Chriſti Cathedræ & Eccleſiæ Dei Sacro-Sanctæ rebellibus. Quidquid armorum aut præſidij Janſeniſmus ſibi comparavit uſque adhuc in divinis paginis, in pervetuſtis S. Auguſtini aliorúmque SS. Patrum monumentis, hoc totum in præſentibus tribus tomulis diripitur, ac Janſenius non modò alienis ſed & proprijs armis ſpoliatur, imò trucidatur, ut paulò poſt fateberis candidè, ſi ſis Lector candidus & ſenſatus.

Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet: ſi autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auf-

feret, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet. *(a)* ſic Janſenio ejúſque aſſeclis contigiſſe videtur in hoc tripartito volumine. *Fortem armatum* Janſenium ejúſque Janſeniſmum dixeris, cùm eminùs eum incedentem, atrium ſuum inſtar bellicoſi gigantis cuſtodientem, infractum S. Auguſtini diſcipulum ſe jactitantem, Vicarium Chriſti & Eccleſiam ad ſingulare certamen provocantem timidè conſpicias: cùm verò propiore mentis præſentiâ rem exploraveris, protinùs experiêris totum Janſenium hìc exarmari, ac velut alterum Goliath proprio gladio jugulari; ſtatim haud illibenter pronuntiabis, quòd *fortior eo ſuperveniens vicerit eum*, utpote qui univerſa arma ejus abſtulit, in quibus tantópere confidebat.

Sed & ſanum judicium ſuaſit, hunc Titulum fore vinculum opportunum, quo opuſcula Authoris aliàs diſparata, & tanquam de diverſis diverſo modo tractantia colligarentur, & inter ſe utpote ad unam Janſeniſmi internecionem tendentia unirentur, unumque ſed trifarium volumen conficerent. Hæc de titulo; jam de ſtylo.

Non rudem duntaxat, ſed quandoque durum & barbarum grammaticum me offendes in transferendo: unde non peccabis, ſi nonnunquam de peccato grammaticali me argues, aut de barbariſmo me increpabis; patienter id feram, cùm ſubinde ſic peccaverim ſtudioſo conatu, non multùm anxius, ut ſim præclarus, plurimùm verò ut clarus, id eſt, explicitus ſim verſor, &

(a) Luc. 11. v. 21.

quantùm fieri licuit, litteralis & fidelis: non modò phraſes ſcholarium & elegantias Romani ſermonis obſcuriores evitavi, ſed & ſprevi, ne Lector in terminorum cortice hæſitaret, cùm de medullâ ſensûs & doctrinæ inquiritur. Sic me ſcribere docuit ſcriptorum optimus S. Auguſtinus, (a) *non timeamus ferulas grammaticorum, dummodò ad veritatem ſolidiorem perveniamus*. Haud tamen diffiteor, me, quamvis rarò, pauciſſima quædam verba addidiſſe Authori, non ornatûs ſed gravitatis & energiæ gratiâ, quò propiùs ſenſui contextûs ac menti ſcriptoris accederem. Cætera præmonenda ad tomulum ſecundum & tertium differo, ne hîc juſtò fuſior ſim in præliminaribus. Vale: & ſi velis, fave.

Priùs tamen hanc Tabellam inſpice, ut uno intuitu prænoſcas, quid agatur in primo tomulo.

(a) tract. 12. in Joan.

Tabula Epiſtolarum
Tomuli Primi.

Epiſt. Prima. In quâ explanantur Veritates ex deciſione Eccleſiæ de fide tenendæ contra recenter graſſantes hæreſes.

Epiſt. Secunda. In quâ per tres columnas conſtruitur Parallela ſive collatio Doctrinæ Janſenij cum doctrinâ Divi Auguſtini, & Calvini.

Epiſt. Tertia. In quâ exponuntur loca & textus S. Auguſtini ad apparentiam oppoſiti hodiernis Eccleſiæ deciſionibus.

MANDATUM
REVERENDISSIMI
EPISCOPI GRASSIENSIS.

NOS JOSEPHUS-JGNATIUS-JOANNES-BAPTISTA De MESGRIGNY, Ordinis Capucinorum, Dei Miſeratione, & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopus Graſſienſis, Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarius &c.

Univerſo Diœceſis noſtræ tam Sæculari quàm Regulari Clero &c.

SALUTEM ET BENEDICTIONEM.

P*Oſtquam Altiſſimo placuit ex ordinatione divinæ, & adorabilis ſuæ providentiæ nos licèt immeritos elevare ad dignitatem Epiſcopatûs, ac humeros noſtros hujus Diœceſis paſtorali curâ onera-*

Digitized by Google

re; illico perſuaſi cognovimus, primam Epiſcopis obligationem ineſſe, ut ſolicitè ſervent, & cuſtodiant Sacro-Sanctum Orthodoxæ Religionis depoſitum. Eapropter, Chariſſimi fratres, non ceſſavimus monere unumquemque veſtrûm, ut cautè ambuletis, ac vigilanter vos muniatis contra modernos errorum ac hæreſum artifices. Non ceſſavimus hortari vos in doctrina ſana, cum Salvatore noſtro JEſu Chriſto vos commonentes, ne duntaxat imitemini ſerpentum prudentiam aures obturando ad ſermones illos, qui inſtar cancri voracis paulatim ſerpunt ad inficiendas animas; verùm etiam, ut induatis columbarum ſimplicitatem, vos ſubmittendo cæcâ obedientiâ oraculis Eccleſiæ, quæ jam toties vos alloquitur per os & organum ſupremi Capitis. Quando-quidem verò ſuperbia eorum, qui Deum oderunt, aſcendat ſemper, *& quidem ad tam altum temeritatis gradum, ut non vereantur cùm publicè, tum privatim ſciſſuram Gallicanæ Eccleſiæ minitari, aut meditari, quærentes eam abſcindere gladio diſſenſionis à Romana Eccleſia, quam ad ſuas partes flectere nequeunt; quando quidem loco ſubmiſſionis debitæ Romanis deciſionibus novas ſemper contra Eccle-*

Digitized by Google

ſiam ſeditiones cogitent; quaſi non eſſet uncta oleo; nec afflata ſancto Spiritu, in dies fabricando ſubtiliores technas pene infinitis ſuis epiſtolis, libellis, colloquiis, parallelis infidelibus, quibus indefeſſè fatigant & conturbant publicum: Idcirco, Chariſſimi fratres, omnes colligendæ ſunt vires, ut ſtemus quaſi murus pro domo Jſraël, *nos ſtrenuè opponentes huic torrenti iniquitatis, toti regno miſerandam inundationem interminanti. Unde officii noſtri, & oneris eſſe duximus, deſuper vos informare, talibusq; providere ſubſidiis, qualia fas eſt expectare à ſolicitudine noſtra Paſtorali. Hinc etiam perluſtravimus Epiſtolas has inſtructivas nuperrimè nobis porrectas ab eo Authore, cujus fidem Orthodoxam jam dudum probè novimus, quas planè tempori apprime opportunas judicamus, magnopere ſperantes, non ſpernendos inde fructus in domo Dei exorituros. Qua-propter bono fidelium arbitrabamur conſultum, ſi præſentes Epiſtolæ prælo ſubmiſſæ publico in manus veſtras devolverentur, prout eas de facto vobis conſignamus omni attentione perlegendas, ac ruminandas, ut enaſcentes exinde difficultates oretenus & in fiducia ad invicem diſcernamus. Ne defraudetis, Chariſſimi fratres, concreditas vobis ani-*

mas illâ fiduciâ, quam à nobis participatis; pateant vobis ſubditorum præcordia, ut, ſi quid fortè veteris aut recentis fermenti lateret, facili acceſſu & remedio expurgetur, ne totam maſſam corrumpat. Præ omnibus autem ſoliciti eſtote, ut verbo & exemplo paſcatis, qui in vobis eſt, gregem, ne deficiat in deferendo reſpectu debito decretis Summorum Pontificum. Altâ mente conſiderandum proponite filiolis veſtris infortunium eorum, qui dati in ſenſum reprobum *Eccleſiam Romanam, centrum Unitatis, & extra quam nulla ſalus, audire nolunt, ſe ſeque æquales reddunt Ethnicis & Publicanis. Fratres Chariſſimi, precamur ſupplices Deum T. O. M., ut dignetur nos viſitare radiis ſui luminis, ac irrigare fontibus Paternæ ſuæ benedictionis, ſecundando juſtas intentiones, quas inſpiravit, ac confirmando, quod operatus eſt in nobis.*

Datum Graſſæ in palatio noſtro Epiſcopali. 24. Julii. 1714.

JOSEPHUS EPISCOPUS GRASSIENSIS.

Par Monſeigneur

ROUBIN.

Digitized by Google

PRÆFATIO

SÆculum vivimus, in quo plenè completur illud Scripturæ oraculum. *(a) Faciendi plures libros nullus eſt finis, frequensque meditatio carnis afflictio eſt* Ita ſanè nullus multiplicandis tractatibus finis, aut terminus: nemo non miretur hoc ſæculo litteratam opulentiam; abundat, ſi non inundatur, hodiernus orbis ſicut variâ librorum congerie, ſic maximè eorum operum, quæ ſingulis diebus ſuper modernos errores & opiniones conſtruuntur, ac licèt vix unquam appetentior apparuerit humana curioſitas, nunquam tamen laborioſæ ſcriptionis, ac lectionis magis laſſa, & ad nauſeam ſatur.

Nihilo ſeciùs nemo ſibi perſuaſerit (ut monet D. Hieronimus) (*b*) Spiritum Sanctum allato textu arguere Scriptores Catholicos, qui ſub-

(*a*) Eccle. cap. 12. v. 12.
(*b*) In cit. loc. Eccle.

Digitized by Google

jecti & timidi deccisionibus acquieſcunt Eccleſiæ, qui novos labores veteribus accumulant in præſidium fidei, ac ſubſidium veritatis. Sit quantus quantus talium voluminum numerus, nunquam tamen nimius, forſan ſemper nimis exiguus; cùm enim univerſa hujusmodi opera quaſi rivuli ex una ſcaturigine in unum confluant, ac omnia non niſi unum contineant, unam nimirum & eandem legem, unum & idem Evangelium, ſint licèt adhuc numeroſioris cumuli, cuncta tamen unicum compingunt opus, neutiquam multiplex ex voluminum multitudine, quibus coaleſcit; (*a*) *Innumerabiles libri, una lex, unum Evangelium*, inquit Hieronimus.

Toto Cœlo contrarium vides in litteratis laboribus Novatorum; dum enim ſuis privatis ſententiis, ac opinionibus haud aliam præfigunt Cynoſuram præter effrenem curioſitatis indiſcretæ licentiam, præter temerarios humani ingenii auſus, ac reprobos contra Eccleſiam ſenſus; hinc fundatè cum eodem D. Hieronimo contra hos pronuntiaveris; (*b*) *Etiam in uno libro multi ſunt*,

(*a*) In loc. cit.
(*b*) Hier. c. I.

Digitized by Google

cùm mille modis à vero aberrent. Veritas enim ſuos patitur limites, fixas regulas; mendacium econtra nullis arctatur finibus, creſcit eundo, ſe ſeque multiplicat tortuoſis ambagibus in infinitum: *Veritas certo fine concluditur, mendacium ſine fine eſt.*

Igitur memorato Scripturæ loco condemnat Spiritus Domini nimis effuſam licentiam, quâ filii tenebrarum, utpote prudentiores filiis lucis in generatione ſua, nunquam fatigantur ſtringendo calamos contra Dei Eccleſiam; nullatenus verò perſtringit Zelatores Orthodoxæ fidei, qui, teſte Eccleſiaſte, *quæſierunt verba utilia, & conſcripſerunt ſermones rectiſſimos, ac veritate plenos* ut eos opponerent erroribus ac mendaciis. *Verba ſapientium horum ſicut ſtimuli*, ut ſentiant remorſus ſalutares hæretici, *& quaſi clavi in altum defixi*, ut confirmentur in fide fideles *quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore uno* qui nullâ ætate ſæculorum permittet hæreſes impunè iraſci, quin non quantocius eâ ipſâ tempeſtate doctos Antagoniſtas excitet hæreticum furorem reprimentes.

Num fortaſſis exinde ſequitur, ſine diſcri-

mine cuilibet ſcriptionem licere? abſit: ſapientes loquantur, Magiſtri doceant, illiterati taceant. Quod in multis Zelus laudabilis, in pleriſq; cæca temeritas eſt: (a) „ Convenit Monacho,
„ qualis appareo (dicebat ſapiens ſed humilis
„ Bernardus) convenit peccatori, qualis ego ſum,
„ non alios inſtituere, ſed plorare. Ignorans &
„ idiota ſum: cumulus ignorantiæ foret, memet
„ ingerere, alioſque inſtruere in eo, quod ipſe-
„ met neſcio; litteris carens non ſe ſe Doctorem
„ erigat, ſolitarius id non audeat, pœnitens id
„ nec velit nec præſumat. „ Quid igitur? nunquid raptus Zelo, ſed deſtitutus litteraturâ, & competente ſcientiâ me ipſum intrudam? me ipſum proſtituam voce & calamo ſpectabili Doctorum ſenatui? repudiata ſolitudine campos ingrediar martios *cum fortibus Iſraël* ad ſternendum Goliath? meritò forſan quilibet me increpaverit illo opprobrio, quo exprobavit Eliab in faciem David fratris ſui: (b) *Ego novi ſuperbiam tuam & nequitiam cordis tui, quia, ut videres prælium, deſcendiſti.*

(a) Ep. 89. ad Oger.
(b) I. Reg. c. 17. v. 28.

Digitized by Google

Vix non timor taliter exprobrantium cecidiſſet ſuper me, calamumque digitis excuſſiſſet, ſi non aliæ, eæque altiores ad laborem exſtimulaſſent conſiderationes: non obiter noveram, neceſſitatem frequenter id facere licitum, quod ſecluſa neceſſitate legibus cenſetur vetitum: noveram eò uſque prolapſam eſſe Novatorum licentiam, quibus dentes pruriunt in diſcerpendam Eccleſiam, ut nunquam ſint nimii, qui contra hos ad arma convolant: novi tandem, quòd, ubi ſeriò agitur de cauſa Religionis, omnis homo ſit miles. Animum addidit majorem, quòd præſens opuſculum, quantumvis adhuc primâ litturâ carens, etiamdum incultum & tenue, mendis innumeris hinc inde fartum, à viris tamen primæ diſtinctionis inſignes applauſus & approbationes retulerit. Acceſſit juſſio Patris Generalis noſtri Ordinis, ut ultimam huic labori manum admoverem; acceſſerant non ſpernendi fructus & effectus hujus operis, quos jam matureſcentes in quibusdam injuriâ temporum præventis ſedula ejus lectio promiſerat: acceſſit tandem promptiſſima, & quaſi præcipitata exemplarium hujus opuſculi diſtractio, quorum ſupra mille quingenta vix

ſpatio octodecim menſium divendebantur. Hæc, inquam, & alia ampliores mihi ſuggeſſerant auſus, nec ægre perſuaſerant, quòd ſi fructus adhuc immaturus, nec ſponte de arbore cadens, ſed quaſi vi avulſus guſtui arriſiſſet publico, multò magis palato ſaperet, poſtquam illum ad plenam maturitatem decoxiſſem, apprime, ſi talis fructus porrigeretur fidelibus manu dextera tanti Præſulis, qui dum ſuæ Celſitudini humilitatem, Zelo manſuetudinem, ſcientiæ pietatem junxerat, Apoſtolicâ vivendi normâ tantùm decoris Epiſcopatui reddidit, ac ipſe à dignitate Epiſcopali receperat.

Scopus & propoſitum operis non eſt, convincere illos, qui indurata fronte manus dederunt hæreſi, qui preſſis oculis errori ſe mancipârunt, ac contra Eccleſiam, ejúſque Præſules Novatorum caſtra ſequuntur. Quo enim rationis radio aures benignas tibi promitteres ab his, qui eas negârunt Epiſcopis, clauſerunt Conciliis, obturaverunt Pontificibus, oraculis Eccleſiaſticis obſtruxerunt? (a) Hi ſunt, inquit Lactantius, hi ſunt homines inflexibiles, qui timentes, ne veritatis

(a) L. 5. inſtit. c. 1.

clamore valido convincantur, ſe ſponte ſurdos reddunt, libenter cæcutiunt, ne lumen videant ante oculos poſitum. (*a*) Hi ſunt aſpides, adjungit S. Auguſtinus, qui ſimiles illi, de qua propheta, ſibi obturantes aures ſuas præcavent, ne faſcinentur divinis incantationibus, aut verbis Sapientiæ. Hi ſunt homines, qui, teſte Apoſtolo, (*b*) *ſubverſi ſunt, ac proprio judicio condemnati*; & propterea divino judicio ſunt relinquendi, vel potius miſerationi Altiſſimi, (*c*) *qui ſolus*, ut loquitur idem Apoſtolus, *facit de tenebris lucem ſplendeſcere*, qui ſolus efficit, ut *illuceſcat Veritas in cordibus eorum ad illuminationem ſcientiæ claritatis in facie Chriſti Jeſu.*

Hæc ſit itaque ſola, ſed ſolida opuſculi præſentis meta, præcautelas ſuppeditare fidelibus contra artificiales nequitias Novatorum; confirmare ſeu reformare fidem titubantium, qui forſan hucuſque nimiùm faciles aures præbuêre Novatorum facundiæ. Hujus ſeditionis hactenus duæ radices ſunt obſervatæ: Prima eſt ignorantia

(*a*) In Pſal. 27.
(*b*) Ad Tit. 3.
(*c*) 2. ad Cor. 4.

Veritatum, quas de fide tenemur credere contra modernos errores: altera eſt idea præoccupans, ſeu falſa præventio, quâ præſumitur, erroneas hujus temporis opiniones niti invictis D. Auguſtini Doctoris gratiæ teſtimoniis: Utramque radicem eradicare propoſui.

Et quidem ſicut ſuperbia, ſic ignorantia mater errorum jure merito dicitur; nocte ſub tenebrarum præſidio venit inimicus homo ſuperſeminare Zizania in agro Patris familias. (a) Inclinante jam die verſus veſperam cæpit navis Eccleſiæ periclitari quaſſata fluctibus feri maris: (b) verſus quartam noctis vigiliam putabant diſcipuli Chriſtum Dominum phantaſma eſſe. Illis ſæculis hæreſes plurimùm graſſabantur, in quibus ſcientiæ minimùm colebantur; tunc enim, contra Eccleſiaſtici monitum, de materiis fidei *(c) parant judicium ante juſtitiam*, & loquentes *docent priusquam diſcant*; Tunc enim præpoſtera electione verum pro falſo, mendacium pro veritate perfacilè ſumitur: *(d) tunc quæcunque quidem ignorant*,

(a) Math. 13. 24.
(b) Luc. 6. 42.
(c) Eccl. 18. 19.
(d) Judæ. v. 10.

blaſphemant, & tanquam muta animalia vel in his corumpuntur, quæ naturaliter nôrunt: quod quidem verificatur nimis reſpectu omnium myſteriorum fidei in genere, ſpecialiſſimè tamen circa materiam de prædeſtinatione & gratia: Spinoſum objectum; de quo fortaſſe non incongruè dixeris quod Auguſtinus de Trinitate. (*a*) *Nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur.* Verbulum vel unicum ſimili materiæ demptum vel additum perquam ſæpe propoſitionem Orthodoxam vertit in Heterodoxam, & quod amplius eſt, talis ipſa propoſitio, quæ certo ſuo ſenſu eſt Catholica veritas, in adverſo ſenſu execrabilem involvit blaſphemiam: in hoc paſſu via veritatis eſt longè arctiſſima, pluſquam uſpiam lubrica; ſemita iſthæc præruptis patet præcipitiis, leviſſima pedis calcitratio lapſum præparat in abyſſum; ruis, antequam advertas, & poſt caſum difficilis reſurrectio, poſt morſum præſentanea non ſupereſt medicina; poſtquam aliquando, ait (*b*) S. Ambroſius, venenum infidelitatis penetravit viſcera mortalibus impreſſionibus ſauciata,

(*a*) Lib. 1. de Trin. (*b*) Epiſt. 44. ad Conſt.

Sed & Hypponenſis Antiſtitis S. Auguſtini authoritas, quâ ſe moderni lupi rapaces tanquam ovinis pellibus obtegunt, non mediocriter promovet ſeductionem fidelium; cùm enim S. Doctor præclarum illud Scripturæ Oraculum, ac Lumen Eccleſiæ, cujus (*a*) *Sapientiam enarrabunt gentes, & laudem enuntiabit Eccleſia*, cùm, inquam, univerſa ejus nomine inſignita volumina ſint, ſacra, inviolabilia, & irrefragabilia, hinc nunquam ſaturantur Novatores millies repetendo, nihil penitus à ſe dogmatizari præter genuinam D. Auguſtini ſententiam; ſtudioſiſſimè affectant ſingulis ſuis libellis ac litteris cumulatim intexere famoſi hujus Doctoris authoritates, ſi vel tenuiſſimè ipſis faventes appareant. Quid mirum, ſi debiles Spiritu & intellectu his apparentiis moveantur? & tunc, ſi fides eorum tametſi leviter tantùm fluctuare incipiat, jam violenter audent præſumere, Auguſtinum ab Eccleſia exulare juſſum, Religionémque Paparum, ac Epiſcoporum, neſcio qua potenti aut artificioſa conſpiratione præventam eſſe: at nonne nefas ſit vel ſuſpicari, ne dicam credere, tantos Eccleſiæ Patres Augusti-

(*a*) Eccl. 39.

Digitized by Google

no renuntiâſſe? doctrinam tam Auguſta hujus Affricani Luminis authoritate ornatam Anathemate profligâſſe?

Sit ergo: obſtruam, quantùm ex me, duos hos fontes ſeductionis, exſtirpabo radices, duplici veneno antidota præparabo. Itaque in prima epiſtola medelas afferam ignorantiæ explanando ea, quæ Eccleſia credere jubet contra graſſantes moderno tempore hæreſes; in hac epiſtola ſimplici quidem ſed familiari methodo ſtatuam, & producam in plenam ſuam meridiem univerſa dogmata, de quibus eſt quæſtio, diſpergam nebulas, fucos aufferam, quibus Novatores illas ecclipſare tentant Veritates fidei, quas tantopere tenebroſis ſuis ſubtilitatibus obfuſcare laborant. Porrò, cùm hominibus mundanis nec tempus ſufficiens nec animi patientia faveat percurrendi ingentia volumina forſan neceſſaria ad hauriendam Janſeniſmi profundiorem notitiam, ſedulâ curâ ſtudui, univerſa congerere, quæ neceſſaria ſcitu videbantur, atque in prima epiſtola quaſi opportuna Synopſi compilare magis urgentia, tam ut firmiùs adhæreres deciſionibus Eccleſiæ, quàm ut eam intrepidiùs

defenderes contra hoſtium artes & impetus. Eàpropter non ſuperfluum duxi, idem jam centies dictum repetere quamvis abruptâ & breviſſimâ telà, ut ſic inſtruam ſimplices, quin nauſeent ſapientes, & *quatenus ejus expoſitio* ait S. Gregorius, *ita neſcientibus fiat cognita, ut tamen ſcientibus non ſit oneroſa.* Cæterùm quilibet abundat in ſuo ſenſu, ac ſuper communiſſima aliàs objecta Scriptores perquam familiare habent ſuas particulares generare ideas, idcircò lectorem jam in capite Libri ad ejus calcem mittimus, ut inſpiciat brevem quæſtionum tabulam, ubi primo intuitu decidere licet, utrùm quid novi in materia vetuſtiſſima jam tamdiu & toties ventilata ingenium Authoris parturiat.

In ſecunda Epiſtola fit poſtmodum parallela ſeu oppoſitio ac confrontatio doctrinæ Janſenii cum illa Calvini, & S. Auguſtini: in hac parallela manu palpas & acu tangis ſi non impudentiam ſaltem imprudentiam temerariam Novatorum tantopere & tam ineptè gloriantium in authoritate adeò inimica ſuis dogmatibus, ac lumen inimicum eſt tenebris. Ut ergo res clarius & ſenſibilius pateat, diſponitur in tribus differentibus co-

lumnis triplex textus trium Scriptorum, de quibus eſt quæſtio; hos profectò eâ menſurâ & æquitate, eâ dexteritate citabimus, ut abſque præſumptione quiſque ſibi promiſerit etiam nolentes, & maximè præventos ſalubriter feriendos.

Hæc parallela quantumcunque palpabilis, necdum tamen ſufficit, ut totum Auguſtinum vindices, ac manibus Novatorum eripias, proinde neceſſe fuit aliam ordiri epiſtolam, in qua genuinè exponitur, quidquid ſolemne eſt hæreticis ex Auguſtino producere. Hìc adverſarii, ſi habeant oculos videndi, videant, & fateantur, quòd nunquam uſque adhuc profundas D. Auguſtini ſententias ſint aſſecuti, quòd eas penetrare aut noluerint aut nequiverint, quòd ejus eloquia ſint ipſis tonitrua, ejus lumina cæcutientibus eorum oculis ſpiſſæ ſint tenebræ, imò quod majus omnibus eſt, fateantur, placita Janſeniana iis ipſis enervari S. Doctoris textibus, quos jactant cauſæ ſuæ plurimùm favorabiles. Hoc totum in tertia Epiſtola præſtabitur, & quidem ſtructurâ ſatis ſolidâ, quæ mereatur attentionem virorum primæ prudentiæ, nec non ſatis clarâ, quâ etiam mediocres ſpiritu contenti fiant.

Digitized by Google

His tribus epiſtolis mens erat quartam apponere, in qua cogitaveram ſtruere aliam parallelam centum & unius propoſitionum Quenelli, eas confrontando cum non paucis Calvini, & D. Auguſtini ſententiis. Ad hunc laborem invitabant me viri, aut potius ſolicitabant, quorum vel ipſæ preces imperia ſunt, ſive eorum merita ſive characterem conſideraveris. Verùmtamen timui, ne nimis incongruè hic liber intumeſceret, quem manualem volui, ubíque ſine mole ſecum portandum, omníque eventui opportunum; unde conſultius judicavi, ſi memoratam parallelam tomulus ſeparatus acciperet, quem dum favens Lector deſiderat, interim omni attentione perluſtret parallelam ſecundæ epiſtolæ; ibi haud ægrè deprehendet, Quenelli propoſitiones dogmaticas primas & præcipuas ex Janſenio & Calvino depromptas, & quaſi tranſcriptas eſſe, conſequenter eas jam dudum damnari ingenti agmine textuum illius ipſius Doctoris, cujus ſe gloriatur diſcipulum tam amplo & iniquo faſtu.

Neutiquam finienda eſt hæc præfatio, priuſquam occurram inſurgentibus in me, & expro-

Digitized by Google

brantibus nimiam calami amaritudinem in pleriſque locis præſentis opuſculi: me ſupra diſcretionis leges invectivum arguunt; his verius & melius nemo ſatisfecerit, ac Magnus ille Franciæ Præſul (a) in præclara ſua Paſtorali inſtructione, quam nuperis diebus Zelus ejus in lucem dederat. Multùm conquerebantur Janſeniſmi fautores contra doctiſſima Præſulis illius ſcripta tanquam mordacia nimis & injurioſa; at ille, nemini injuriam fieri, neminem immeritò à ſe læſum altè proteſtatur: nihil durius ſibi excidiſſe, quod non fortioribus terminis Bullæ expreſſerint Pontificiæ; anathemata in cervices injuſtè conquerentium fulminata dictis ſuis authoritatem, & confirmationem adjungere, quæ reſponſio eſt irrefragabilis; quo enim ſcuto quis ſecuriùs ſe tueri valeat, quàm ipsâ Eccleſiæ ſententiâ & Cynoſurâ? & ſi liceat aliquid ſupperaddere Apologiæ tanti viri, dicam ulterius; quid exemplo & authoritate Doctorum Eccleſiæ auguſtius? nonne hi ſunt norma, & prototypon ſcriptorum Catholicorum? num horum veſtigia ſequi nefas ſit in defendenda Eccleſia? nońe eorum codices noſtris teruntur manibus?

(a) Inſtr. paſt. de Monſeign. de Cambr. pag. 2.

ipſi loquantur, & ad oculum demonſtrent, non meos ſed SS. Patrum aculeos eſſe, ſi quos ſentiunt in præſenti opuſculo Novatores; non nimis vehemens, ſed nimis remiſſus videar in hæreſes reſpectu Patrum Eccleſiæ. Quis ignorat ſacram eorum excandeſcentiam, quâ ſemper ſuis ſæculis hæreticos ſunt inſectati? quot propemodum verba, quot ſententias, tot accerrimos acuebant ſtimulos contra hoſtes Religionis; nunquam calculo ſatis nigro, coloribus ſat energicis exprimi poſſe arbitrabantur hæreticam pravitatem, ut Chriſti fideles ab ea fugerent tanquam à facie colubri, ac ſaluberrimum horrorem conciperent.

Sunt ex Sanctis Patribus, qui hæreticos comparant lupis; ſunt qui vulpibus, *(a)* alii viperis & ſerpentibus, *(b)* hi canibus, Baſiliſcis, & Draconibus *(c)* illi noctuis & veſpertilionibus, *(d)* ſunt quin imò, qui non dubitant illos aſſimilare inſectis ſpurciſſimis ſtomachum & bilem mo-

(*a*) D. Auguſtin. l. 4. conc. 2. ep. pel. c. 12. D. Ambros. in Luc. l. 7. c. 1.

(*b*) D. Chryſ. hom. 46. in Math.

(*c*) D. Ignatius ep. ad Smyrn.

(*d*) S. Cypr. ep. 52.

ventibus: auſim dicere? ſtercorum vermibus. (*a*) Quid fortius? quid vehementius his Patrum invectivis? nec tamen iſta ſufficiunt. D. Hieronimus appellat hæreticos Idololatras, pejores idolis ſervientibus. (*b*) Tertullianus adjungit: hoc ſolo diſcrepant ab Idololatris, quòd hi credant, non credendo, econtra hæretici credendo non credant. (*c*) Hi ſunt Anti-Chriſti & nequiores Anti-Chriſto, ait S. Ambroſius, quia falſificant divinas paginas, quod fortaſſe Anti-Chriſtus haud attentabit. Hi ſunt novi Judæ fratres, inquit idem S. Pater, qui criminis ejuſdem rei pænam eandem merentur. Nemini hæreticos melius comparabo, dicit S. Auguſtinús *(d)* quàm Judæis Chriſtum crucifigentibus, eo diſcrimine, quòd Judæi Chriſtum in cruce contempſerint, econtra hæretici ſedentem à dextris Virtutis Dei. Omnis hæreticus *(e)* ſi non eſt frater diaboli, ſaltem ejus auxiliator, & filius. S. Hilarius hæreticos

(*a*) S. Hieion. in c. 2. Habac.
(*b*) L. cont. Lucif.
(*c*) Tertul. de car. Chr. c. 7.
(*d*) S. Ambroſ. l. 2. de fide S. Trin. c. 4.
(*e*) lib. 3. de verbis Dom. Serm. 3.

Digitized by Google

viâ rectâ abſque circuitu diabolos inclamat (*a*) *mihi non erit alius quàm diabolus, quia Arianus eſt.*

Infinitus forem, cuncta recenſendo, quæ Zelus fidei efficax, & vivus ſuggeſſit SS. Patribus contra perverſores Eccleſiæ. Superabundant allata ad juſtificandos modernos Scriptores, ac Zelatores Orthodoxæ Veritatis, ſi fortè audaciores eant contra hodiernos hæreticos, qui licèt larvati incedant, non tamen minùs, ſed magis periculoſi, magis facinoroſi, quàm illi prioribus ſæculis. Iſtud quoque advertas, non deeſſe hiſce aculeis ſuos fructus, & ſalutares effectus. Utiliter, & ad ſanitatem vulnerant, dum non pauci ponderoſiſſima Religionis negotia flocci habentes talibus puncturis excitantur, ad cor redeunt, credunt, & contremiſcunt: ſervit acerrimum tale lixivium ad altiùs infricandum fidelibus, ſeria tractari, ad fidem & ſalutem ſpectantia, non quæ ad arbitrium Theologicæ, vel Scholaſticæ velitationis, vel problematicè dun-

(*a*) Lib. contra Auxent.

taxat ventilentur. Utilis eſt quandoque, imò neceſſaria talis indignatio & innocens iracundia, quæ Zelo fidei tumida diras jactat in cervices hæreticorum, ut exinde diſcant Chriſtiani, quàm enorme ſit crimen hæretica pravitas, quam tamen multi ne quidem ſuo ſpeculo confeſſionis inſerunt nec in catalogo peccatorum annotant;

Sperandum ex alta divinæ miſerationis abyſſo, brevem hunc meum laborem non fore ſterilem, ſed irrigandum rore abundantiſſimæ benedictionis, ut fructum plus afferat. Novit enim Dominus, quàm juſta, quàm recta ſint ſuorum deſideria, & intentiones, ut meritò in ingentem ſpem erigar, debiles meos conatus, quos noverco hoc ſæculo Chriſti Eccleſiæ conſecro, non fore ſpernendos, ſed approbandos ab animicis Sponſi, cujus Sponſam Eccleſiam eâ teneritudine diligunt, quâ ſuſpirare non dubitant cum legislatore Iſacidum,

ut

ut omnis populus prophetizet (a) qui gloriari non ceſſant cum Apoſtolo, dum omni modo *ſive per occaſionem, ſive per veritatem annũtiatur Chriſtus; qui in hoc gaudent, in hoc gaudebunt*; horum exſpecto approbationem, non eorum, quos appellant criticos vel Zoilos, quorum tela non vereor.

(a) Num. 11.29.

Digitized by Google

EPISTOLA PRIMA

In qua explanantur Veritates ex deciſione de fide tenendæ contra recenter graſſantes hæreſes.

AMICE.

SCriptotenus explanare tibi promiſeram eas Veritates, quæ ex deciſione Eccleſiæ de fide tenendæ ſunt contra recenter graſſantes errores : promiſſis ſto perlibenter, & quidem eò promptiore animo, & calamo, quod ſperare liceat, inſtructiones ad te datas non fore ſteriles, cùm tam ardenter deſideres inſtrui à Viro in fide Orthodoxâ omni ſuſpicione abſoluto.

Priuſquam tamen ultra progrediar, non graveris, ſi candido corde, eâque libertate dicam, quam tua erga me confidentia parturit, minimè ſtatui tuo congruum, ac decorum eſſe, quòd adeò grandes meditatus ſis paſſus eundo in ſanctuarium Dei, téque intricando quæſtionibus adeò ſpinoſis & arduis circa prædeſtinationem & gratiam; tuâ ex parte, ſi auſim fidenter loqui, præſumptuoſa nimis videbatur hæc attentatio vel ſaltem non mediocris animi extravagantis curioſitas, inamœna Deo, quæque te evidenti lapſus periculo expoſuit, ſi non penitus præcipitavit.

Ad te potiſſimùm & ad omnes tuæ conditionis tuíque characteris homines ſæculo & ſæcularibus profundius immerſos ſpectant illa Apoſtoli eloquia (a) *Dico autem vobis per gratiam, quæ data eſt*

(a) Rom. 12. 3.

mihi, omnibus, qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quàm oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem: Nec minus te concernit D. Auguſtini monitum; (*a*) *Continete vos à fallaci nomine ſcientiæ. Faſtus elationis, delectatio libidinis, venenum curioſitatis motus ſunt animæ mortuæ.* Et alibi idem S. Doctor. *Intelligamus* (*b*) *quod verum eſt; ſi autem hoc non potuerimus, non eamus in illud, quod falſum eſt, melius eſt enim neſcire quàm errare.* Novatores currente ſæculo nequaquam ſunt hujus labii. Si ipſos audias, etiam craſſiſſimus error non tantopere dedecet, quin nequeat præferri humili ignorantiæ. Juxta ipſos omnis homo diſcat & doceat, quilibet prophetizet, mulieres in Eccleſia contra Apoſtolum non taceant, fæminæ etiam mundaniſſimæ luxui & ſæculo vel maximè mancipatæ, etiam opifices omnium incultiſſimi, mercatores, milites, ſenatores, togâ ſagóque inclyti, aliis & alienis agendis longè occupatiſſimi, etiam ipſi peccatores in malitiâ & duritiâ conſummati debent imbui, mergi, baptizari, rebaptizari aquis & undis myſteriosis de prædeſtinatione & gratia: in his oportet eos inſtrui usque ad fundum; hoc terribillum omnium terribiliſſimum myſterium de prædſtinatione & gratiâ hunc nodum Gordium omnes ſolvere noſcant; talem ex condicto præbent lectionem hi Pſeudo-Doctores communiter & ordinariè ſuis Proſelytis & cathecumenis, talem ipſis primitùs inſufflant Spiritum contradictionis communi fidelium ſenſui infenſiſſimum, taliter tyrones ſuos lactant illis abblandiendo, quantùm ſupra promiſcuum vulgus notitiis parùm communibus ſapiant.

Fruſtra agis repræſentando his novitatum Magiſtris extremum illud periculum, cui debiles Spiritus fidelium exponuntur hac imprudente & infelice induſtriâ; incaſſum hortaris cum Apoſtolo, quòd in noſtris myſteriis ſint plures res captu admodum difficiles, quas plebei & ſimplices ægrè attingunt; fruſtra ſuades magnum inter nos & ipſos eſſe numerum, ad quem ſpectent hæc

(*a*) Lib. 13. Conf. cap. 21.
(*b*) Tract. 21. in Joan.

Digitized by Google

verba Apoſtoli : (*a*) *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum..... Indigetis enim, ut vos doceamini, quæ ſunt elementa exordii ſermonum Dei, & facti eſtis, quibus lacte opus ſit non ſolido cibo.... Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.*

Fortè reponeat cum famoſiſſimo ſuo Anteſignano Patre Queſnello (*b*) „ Eccleſia jam non ampliùs habet nec abſconſa myſteria, „ nec veritates reconditas; nunc tempus eſt, quo nos inſtruat, quæ „ lumina, quas gratias conceſſerit ipſi Dominus Jeſus Chriſtus: in- „ juriam infero Religioni credendo eam continere veritates & Myſte- „ ria celanda filiis ſuis: injuſtitia ſit Chriſtianis, ſi priventur eo, „ quod factum eſt ad illorum ſanctificationem & ſalutem; aliter „ ſentire eſt Spiritui Sancto reſiſtere, qui datus eſt Eccleſiæ, ut indu- „ cat nos in omnem veritatem. „

Hæc eſt ex mente S. Auguſtini communis hæreticorum cantilena plena dolo & fallaciâ; *Omnes inquit hæretici* (*c*) *generaliter ſcientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos, quos ſimpliciter credentes invenerunt; & quia omninò carnalia perſuadent, quaſi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur*; quis eſt oculus hic interior ? eſt lumen fidei; nunquam hoc lumen hic oculus fidei illuminabit hominem, niſi cùm fuerit ſimplex in ſubmiſſione. (*d*) *Si oculus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.*

Dicam ergo candidè, quod res eſt. Simplici huic fidei adhærere tibi bonum utile & honeſtum fuiſſet. Annon etiam ad littus humilis & ſubmiſſæ fidei profundiores Theologi frangunt tumeſcentes fluctus ſuos ac deſpumant procelloſas ſuas ſpeculationes? dico & repeto, contentum te eſſe decuiſſet notitiâ congruente tui Catechiſmi, abſque ſcrutatione ſubtilium, quæ ad rem non petinent,

(*a*) Hebr. 5.
(*b*) In Caput 10. Matth. v. 27.
(*c*) L. 2. de gen. cont. Man. c. 25.
(*d*) Lucæ 11. v. 34.

Digitized by Google

tuúmque ſuperant captum : Catechiſmus altius memoriæ mandatus paucis & præciſis terminis te plenitus imbuiſſet, quid tibi ad ſalutem credendum circa materiam de prædeſtinatione & gratiâ, nec tamen ad illos deduxiſſet ſcopulos, ad quos alliſa præſtantiſſima ingenia periêre, & indies naufragantur.

Ut enim multa prætercam, nonne ex iis, quæ reſponderi ſolent ad hanc quæſtionem, eſne Chriſtianus? vel quid eſt Chriſtianus? nonne, inquam, ex plana reſponſione ad quæſitum ſufficienter comprehendiſſes hæc ſcitu neceſſaria? nimirum quòd ſi ſis aliquid in Chriſto, ſi quandam virtutem ſupernaturalem poſſideas, ſi quædam bona opera exerceas, totum quod es, quod poſſides, quod exerces, gratiæ debeas, ſine qua nec Chriſtianus, nec Chriſtianiſmus, nec virtus, nec bonum & meritorium opus eſt aliquid: idem ſentiendum de reſponſis obviis ad ſequentia quæſita Catechiſtica. Cur filius Dei eſt homo? cur Deus te creavit? nonne ex communi reſponſione ad hæc & ſimilia abundanter didiciſſes, Deum ſincerâ voluntate abſque excluſione velle & voluiſſe omnes omninò homines ſalvos fieri? & per conſequens nulli denegare gratias neceſſarias ad aſſequendam illam gloriam, pro quâ omnis homo venit in mundum; Etiam oratio dominica, quam ſingulis diebus recitas, ſufficiens tibi lumen accendere potuiſſet deſuper, ſi eam cum attentione & reflexione dixiſſes. Quâ enim ratione appellares Deum quotidie tenerrimo Patris nomine, ſi non eſſes, ut quilibet alius Chariſſimus ejus filius? ergò & hæres cæleſtis regni: eccur ſtatim huic titulo Patris adjungimus, adveniat regnum tuum, dimitte nobis debita noſtra, ne nos inducas in tentationem? nonne idcircò quòd bona & plenâ fide convicti credamus, nos poſſe mereri cum ſucurſu divinæ gratiæ tanquam filios adoptivos cæleſtem hæreditatem.

Puritas & ſimplicitas luminoſi hujus Chriſtianiſmi ſaluti tuæ abſque contradictione melius conduxiſſet, quam fumoſi illi ignes fatui & lumina errantia, quæ vana curioſitas aliundè promiſit: lumina, inquam, quæ jure meliore tenebras dixeris, ignes fatui, per avia

& devia tecum errantes, vertiginoſo circulo te immittentes, ex quo vix vel difficulter teipſum erues.

Unde perſuaſum te velim, me hic non longam ſcholaſticorum diſſertationem meditari, ut te reſtituam in gradum priſtinum: ſic enim opere approbarem, quod ore reprobo, ac in foſſam caderem, quam aliis detego; *Sic*, ut loquitur Auguſtinus, aperirem tibi oculos carnis, ac clauderem interiora fidei lumina; non ergo alioſum tendo, niſi ut brevi & clarâ methodo eas tibi propinem materias, quas fides jubet. Declino libenter quæſtiones problematicas, nec alia diſcutiam, niſi quæ negare vel hæreticum foret, vel in fide periculoſum, utpote communi Theologorum Orthodoxè credentium calculo condemnatum. Ne verò nimietas rerum explicandarum confuſionem pariat, reſponſa mea in diverſos articulos diggeſſi, ut dubiis & quæſitis tuis pro poſſe ſatisfacerem; his monita quædam ſat magni ponderis adjeci, quæ mihi videntur perquam neceſſaria ſcitu, ut benè credas & cautè vivas.

DE AUTHORITATE SUMMI Pontificis.

ARTICULUS I.

INter omnes, quas mihi porrigis, principalis eſt quæſtio, eáque ſummi ponderis, de ſumo Pontifice: ex hujus genuina deciſione propemodum pendent cætera. Explicare aut ſtabilire dogmata noſtræ Religionis, antequam reſolveris dubium de authoritate Pontificiâ, idem foret, ac ædificare ſuper arenam, ratiocinari abſque principio; cùm enim Chriſtiana Religio, fundetur in authoritate Eccleſiæ (quæ quidem authoritas, ut ait Angelicus Doctor, *principaliter* (a) *reſidet in ſummo Pontifice.*) cùm inſuper eadem Eccleſia pandat ordi-

(a) 22. qua 11. art. 2. ad 3.

nariè ſua oracula per os & organum ſupremi capitis, hinc exigit abſoluta neceſſitas, ut priùs informeris, quid tenendum de authoritate capitis, priuſquam ad cætera membra deſcendas, exploratum qui d de fide teneas, quid abiicias.

Nolim tamen te expectare, quod forſitan anticipatè tibi promiſeras, nimirum me in præſenti propoſito te introducturum in diſcuſſionem quarundam quæſtionum ſpinis & tribulis obſitam. In quæſtiones plus clamoris qùam lanæ portantes; ſpeculationi magis qùam praxi ancillantes, de quibus optandum, ut nunquam in hunc mundum natæ fuiſſent, utpote quæſtiones primis Eccleſiæ ſæculis prorſus peregrinæ; plus damni, quàm utilitatis, plus ſcandali quàm ædificationis fidelibus afferentes, quibus plebs Chriſtiana nunquam inquietari debuiſſet. Sufficiat ergo firmiter nôſſe, & fideliter credidiſſe punctum illud fundamentale Catholicæ Veritatis; qùod Papa ſit Chriſti in terra Vicarius, Pater Spiritualis Univerſorum Chriſti fidelium, Supremus Paſtor dominici gregis, ac Rector Eccleſiæ: quòd ad ipſum præ omnibus pertineat ex ordinatione divina poteſtas ligandi & ſolvendi, approbandi & reprobandi, judicandi & decidendi in omnibus controverſiis fidem & mores concernentibus, quòd tanquam Succeſſor Petri ad confirmandos fratres ſuos à Domino conſtitutus in ſuis judiciis ac deciſionibus abundantius ungatur gratiâ, ſpeciatim & copioſius illuſtretur ſuperno lumine quàm cæteri Epiſcopi, quòd de ipſo principalius illud intelligatur, *qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*; quòd ejus decreta in materia fidei ſint & valeant pro univerſis Eccleſiis in communi & pro qualibet in particulari; ſic enim expreſsè declaravit Clerus Gallicanus Ao. 1682. his formalibus.

In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes declaramus, ejúſque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere &c. Hinc conſequens eſt, omnes obligari fideles, ſe illis decretis ſubmittere; *cui omnes* (*a*) *Chriſtiani*, dicit facultas Pariſienſis, *parere teneantur.*

Præter hæc etiam ſufficiat credidiſſe, quòd, licet aliquando

(*a*) Cenſura Lutheri art. 2.

Digitized by Google

ſolemnis acceptatio Conſtitutionis dogmaticæ plurimùm expediat in illis partibus, in quibus natæ ſunt hæreſes, nihilominùs hæc ſolemnis acceptatio non ſit tantopere neceſſaria, quin non etiam ſine illâ ſimiles Conſtitutiones recipiendæ & reſpiciendæ ſint à cunctis fidelibus tanquam Cynoſura fidei ac Regula morum; prout explicitè mentem ſuam declaravit Eminentiſſimus Cardinalis Noallius nomine Cleri Gallicani his terminis. (*a*) *Cùm Clerus dixit, conſtitutiones ſummorum Pontificum à corpore Epiſcoporum acceptatas totam Eccleſiam obligare mens ejus non fuit, neceſſariam eſſe ejuſmodi acceptationis ſolemnitatem, ad hoc ut illa tanquam regula credendi & loquendi ab omnibus Catholicis haberi debeat; licèt aliquando iſta ſolemnitas non mediocris eſſe poſſit utilitatis, ubi natus eſt error.* Sic etiam ipſemet Clerus Gallicanus in ſuâ diætâ Ao. 1710. ſeſe explicavit hoc modo „ declaramus, (*b*) quòd „ dum Synodus noſtra „ dixit, conſtitutiones Papales tunc obligare Eccleſiam, quando ſunt „ acceptatæ à corpore paſtorali, intentio noſtra non fuerit ſtabilire, „ quaſi hæc acceptatio ſolemniter fieri debeat, dummodo tales Sacræ „ ſedis conſtitutiones communiter à fidelibus pro regula fidei habeantur: „ hoc fuit judicium, hæc ſententia omnium Eccleſiæ Patrum, inter quos Scholarum Angelus S. Thomas: (*c*) *nullus Patrum ſcitur, qui ſuam opinionem defenderit contra authoritatem ſummi Pontificis.* Videtur ſanè, nihil poſſe nec debere ſuperaddi iis teſtimoniis, quæ celeberrimi inter SS. Patres de auguſtiſſima Sacræ Sedis eminentia, de debita verſus illam obſervantia & ſubmiſſione conteſtanda protulerant, adeò, ut non appareat, quomodo quis deſuper fotioribus & magis deciſivis terminis ſe exprimere valeat. *Beatos vos judico*, ſcribit S. Ignatius Martyr ad Epheſios, (*d*) *conjunctos Epiſcopo veſtro, ſicut Eccleſia Jeſu Chriſto, & Jeſus Chriſtus Patri, ut omnia per unitatem conſentiant, nemo erret. Hortamur te frater honorabilis*, monet S. Petrus Chryſol: (*e*) *ut iis, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter atten-*

(*a*) Ep. Card. Noallii ad ſummum Pont. Pariſiis 29. Junij. 1711.
(*b*) Explic. des Prel. de l'Aſſemb. de 1710.
(*c*) 22. q. 11. art. 2. ad 3.
(*d*) S. Ignat. ep. ad Ephes.
(*e*) S. Petrus Chryſol. ep. ad Eutich.

Digitized by Google

das, quia Beatus Petrus, qui in propria ſede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.

Ad hanc Eccleſiam, dicit S. Irenæus, (*a*) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt omnes, qui ſunt undique fideles.*

Neque enim aliunde, ait S. Cyprianus ad Papam Cornelium, (*b*) *hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſiâ Sacerdos ad tempus & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.*

S. Bernardus ad Papam Innocentium ſic loquitur, (*c*) *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala regni Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt, dignum namque arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectionem.... hæc quippe prærogativa Sedis eſt; cui enim alteri Sedi dictum eſt aliquando; ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?*

S. Hieronimus ſic ſcribit ad Damaſum Papam. *Quicunque* (*d*) *non colligit tecum, ſpargit: hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Anti-Chriſti eſt. Cathedra Petri communione conſocior; ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus erit. Si quis in arcâ Noë non eſt, peribit durante diluvio. Diſcerne, ſi placet, obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubebis.*

Hæc ergo (ait S. Auguſtinus (*e*) ad Bonifacium Papam) *quæ iſtis duabus epiſtolis illorum iſta diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſſimùm dirigere Sanctitatem conſtitui, non tam diſcenda, quàm examinanda, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda.* Item *jam enim* (*f*) *hac de cauſâ duo concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam; inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt.* &c.

Quòd ſi igitur poteſtas & authoritas Apoſtolicæ Cathedræ tot ac

(*a*) S. Irenæus lib. 3. c. 3.
(*b*) S. Cyprianus ep. 55.
(*c*) S. Bernardus ep. 190. ad Innoc.
(*d*) S. Hieron. ep. ad Dam.
(*e*) S. Auguſt. contr. duas Epiſt. Pelagii lib. 1. c. 1.
(*f*) Idem ſerm. 2. de verb. Dom.

Digitized by Google

tantis in immenſum adhuc citandis fulciatur Patrum ſuffragiis tanquam columnis firmiſſimis; *cùm hæc tanta & talia*, inquit S. Cyprianus, (*a*) *& multa alia exempla præcedant, quibus Sacerdotalis authoritas & poteſtas de divina dignatione firmatur; quales putas eos, qui ſacerdotum hoſtes & contra Eccleſiam Catholicam rebelles nec præmonentis Domini comminitatione nec futuri judicii ultione terrentur?* Quales, inquam, putas eos, qui dum eorum blaſphemiis opponuntur oracula Vaticana, capite habent reſponſum ſuum, id arroganter movendo, nequiter ſubridendo, ſignis contemptûs patentibus teſtificando, non pluris ſe Romam quàm hodiernam Conſtantinopolim curare, utriusque Cathedræ Romanæ & Ottomannicæ eloquia ipſis pari paſſu ambulare? quales putas eos, qui ſacram illam authoritatem pedibus calcantes manifeſtis ejus deciſionibus remòras immittere non deſiſtunt docentes, quæ non oportet turpis lucri & famæ gratiâ? qui approbant, quod Papa reprobat, reædificant, quod ille deſtruit, defendunt, quod ille damnat? *Si autem*, ut eleganter ratiocinatur Seraphicus (*b*) Bonaventura, *tempore Sacerdotii figurativi Pontificis ſententiæ adverſari malum erat, mortiſque pænâ mulctandum, multò fortiùs tempore veritatis, quando Chriſti Vicario plenitudo poteſtatis collata eſſe dignoſcitur, malum eſſe conſtat nullatenus tolerandum in fide & moribus, ejus definitioni dogmaticè contrarium, approbando quod ipſe reprobat, readificando quod ipſe deſtruit, & defenſando quod ipſe damnat:* talis contemptus Sacræ Sedis, juxta communem omnium Theologorum ſententiam, præſertim doctiſſimi (*d*) Gerſon, hos refractarios æternæ damnationis reos conſtituit, ipſorúmque ſuperbis cervicibus attrahit Anathemata in plurimis Conciliis fulminata & inſerta in corpore juris. *Si quis ergò dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, à Sedis Apoſtolicæ Præſide ſalubriter promulgata contempſerit, Anathema ſit.*

Sed quid plura de Authoritate ſummorum Pontificum? nonne eorum conſtitutiones receptæ ſunt à tota Eccleſia, vel ad mini-

(*a*) St. Cyprian. ep. 55.
(*b*) S. Bonavent. apol. paup. c. 1.
(*c*) Gerſon. tom. 2. pag. 307.
(*d*) C. ſi quis. 25. q. 2.

mum à parte potiore Corporis paſtoralis ſive Epiſcopalis? quando corpus ſuo capiti per fidem unitum pronuntiat unitim cum capite vel jam pronunciavit, quid de fide credendum ſit circa opiniones hodie controverſas, in hoc caſu omnes Doctores Catholici conſentiunt Papæ judicium tenendum eſſe non duntaxat pro certo ſed penitus infallibili & prorſus irreformabili; tunc enim ipſa eſt Univerſalis Eccleſia, quæ loquitur ex ore & organo Supremi Capitis: intellige ſaltem poſt acceptationem Bullarum Papalium verificari prægrandia illa Doctorum Eccleſiæ ſuffragia de Pontificis Romani infallibilitate. Audi divum Thomam. (*a*) *Poſtquàm autem eſſent Authoritate Univerſalis Eccleſiæ determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur, quæ quidem Authoritas principaliter reſidet in ſummo Pontifice* Item (*b*) *qui poteſtati Apoſtolicæ derogant, non ſolùm falſitatis ſed etiam hæreſis crimen incurrunt*, quaſi diceret Doctor Angelicus, qui Papam impugnat, ejus deciſionibus obſtrepit, ſacræ Sedi recalcitrat, talis fidem violat, partem ſuam ponit cum infidelibus, non ſolùm prolabitur in errorem, ſed hæreſin deteſtabilem, hoc faciunt Novatores in diebus noſtris; hinc ad litteram eis convenit ſequens Apoſtrophe Ivonis Carn: *Manifeſtè contra ſedem apoſtolicam caput erigitis, dum, quod illa ædificat, quantum in vobis eſt, deſtruitis, & quod illa deſtruit, vos ædificare contenditis. Cujus judiciis & conſtitutionibus obviare, planè eſt hæreticæ pravitatis notam incurrere, nam hæreticum eſſe conſtat, qui Romanæ Eccleſiæ non concordat.*

Caveas proin Amice ſuaviſſime, ne ſupplantêris fraudulentiis Janſeniſtarum, qui inceſſanter tibi ſuggerunt, nullâ lege cautum eſſe, quin non tutâ conſcientiâ propugnare liceat opiniones hujus temporis contra placita Pontificia; qui mordicùs prætendunt, non ſpectare niſi ad comitia Eccleſiæ generalia ultimatò decidere circa fidei dogmata. Hoc principio hâc maximâ hæreticali nihil falſo proximius, nihil à vero remotius. Hoc principium ſi juſtifices, Eccleſiam condemnaſti, ſuſtuliſti, exterminaſti: ſic enim decora Chriſti ſponſa abſque omni maculâ & rugâ fædè deformabitur luto & pulvere platearum: ſic ſtructura ſpiritualis fundata ſupra firmam Petram paucis diebus

(*a*) 22. q. 11. art. 2. ad 3.
(*b*) Idem. opuſc citato

ſolo æquabitur: quàm citò myſtica & myſterioſa hæc navicula Petri, cujus gubernaculum ipſe Dominus moderatur, operietur fluctibus, ac procellis in prædam cedet! quis dubitat? quævis hæreſis pro veritate, quævis impietas pro pietate triumphabit ſaltem uſque ad generale concilium, cui celebrando perſæpe plura ſæcula haud ſufficiunt.

Dicam plura, & quidem quæ ſenſibilius ſenſibus pateant. Si verum ſit vel veroſimile, liberum eſſe, nec lege vetitum, contraire deciſionibus Eccleſiæ ſaltem usque ad concilium generale, nonne ſequela eſt ſtringens & neceſſaria, olim licitum & cuilibet integrum fuiſſe credere & ſequi impietates, hæreſes, & blaſphemias omnes ante primum Concilium Nicænum Eccleſiam Dei devaſtantes? (non enim aliud concilium generale fuit à tempore Apoſtolorum uſque ad illud) nonne ſequitur, homines tunc ſacro-ſanctè crediditſe, ſentiendo cum falſo propheta Elxai, Chriſtum non niſi puram creaturam fuiſſe? Spiritum Sanctum ſupra nubes inter duos montes tabernaculum ſuum erexiſſe? Matrimonium Virginitati dignitatis palmam præripere? nonne quis innocenter piè & Chriſtianè tunc cum Valentino hæreſiarchâ triginta Deos admiſiſſet quindecim maſculos totidemque femellas? item nonne quis ſine culpâ cum eo ſenſiſſet Chriſtum non aliter fuiſſe filium hominis nec aliter natum de Virgine, niſi in quantùm intravit ad eam tanquam per canalem? nonne cum Gnoſticis defendere licuiſſet, etiam ſummè abominabiles carnis prurientis ſpurcitias non ſolùm licitas ſed & laude dignas ac recommendabiles exiſtere? nonne abſque ſcrupulo docere & credere permiſſum fuiſſet cum Cainitis, Judam Iſcariotem valdè honorandum eſſe, quòd Salvatorem tradiderit? cum Cerdone duos exiſtere Deos, bonum unum, alterum malignum &c.? quis præſumpſerit hæc & alia impietatis monſtra, quæ infernus ante initium tertii ſæculi patulis faucibus evomuit, ab hæreſi abſolvere? quis patrocinabitur horum fautoribus, quaſi illegitimè ut membra putrida ab Eccleſiæ corpore reſectis? quis attentabit dicere, eos tunc temporis non fuiſſe forma-

Digitized by Google

les hæreticos ex prætextu, quòd Eccleſia Dei nec dum fuerit conciliariter & Oecumenicè congregata pro ſolemni eorum condemnatione? Hoc ipſum eſt invincibile illud ratiocinium, quo perlibenter uſus eſt S. Auguſtinus contra Pelagium & Cæleſtinum, qui Romæ à Papa Zoſimo & Innocentio damnati pro ultimo deſperationis refugio ad concilium generale appellârunt, tanquam ſolum ſit in potentia definitivè pronuntiandi in quæſtionibus fidei. *Quid?* exclamabat Magnus ille Doctor Eccleſiæ, (*a*) *quid? aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando niſi congregatione Synodi damnata ſit; cùm potius rariſſima inveniantur, propter quas damnandas talis neceſſitas extiterit, multóque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitanda innoteſcere potuerunt. Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantùm ſe extendit adverſus Deum, ut non in illo velit, ſed in libero arbitrio gloriari, ut propter illos orientis & occidentis Synodus congregaretur. Orbem quippe, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur: cùm potiùs vigilantiâ & diligentiâ paſtorali, poſt factum illis competens ſufficienſque judicium, ubicunque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, ſive ut ſanentur, atque mutentur, ſive ut ab aliorum ſalute atque integritate vitentur.*

Jam verò, ſi licuit juxta S. Auguſtinum damnare hæreſes in locis illis particularibus, in quibus primò apparuerunt, ſi fideles tenebantur taliter condemnatos per conſequens devitare, quid ergo cenſendum, quid concludendum de Anathemate, non ab uno ſed pluribus Chriſti Vicariis exeunte, ab Eccleſiâ Universâ recepto, vel per tacitum vel expreſſum Epiſcoporum conſenſum auctorato? quis me arguet de peccato, de indignatione nimiâ, de Zelo excedenter tumido, ſi tales contra-ululantes legitimis & authenticis Eccleſiæ decretis cum Auguſtino lupis rapacibus comparaverim, à Paſtorum Eccleſiæ vigilantiâ reprimendos, ac baculo paſtorali extra ovile expellendos? Quis me arguet, ſi hos Novatores inclamaverim arrogantes hæreticos? qui cùm orbem Orthodoxum reſiſtente Domino pervertere nequeunt, ſaltem perturbant, ad concilium generale provocantes, cujus oraculo æquè parebunt ac Sacræ Sedis conſtitutionibus.

(*a*) L. 4. contr. 2. ep. pelag. c. 12.

Peſſimè diſpoſitus eorum ſtomachus, identidem reboans contra Tridentinum Concilium, manifeſtè probat ea, quæ hactenus diximus: Nunquid enim ignorare poterunt Novatores, erroneas ſuas opiniones jam dudum proſcriptas eſſe in ore & calamo Calvini tanquam proprio earum fonte & ſcaturigine? an ergo neſciunt Anathemate perculſos omnes eos, qui dixerint, Deum hominibus quædam præcepta dare ſervatu impoſſibilia, nec hominem eſſe liberum ſuppoſitâ ac movente gratiâ ad bonum faciendum aut omittendum? an ergò ignorant ſacro-ſancti hujusConcilii Canonem, quo declarat expreſſis terminis, Deum nunquam derelinquere hominem, niſi ſit prior derelictus ab homine; Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum, licèt non omnes hujus Redemptionis fructum recipiant? an ergo Magiſtri in Iſraël hæc ignorant?

Vel maximè noverunt, & quidèm nimiùm; ſed nunquid exinde acquieſcunt Concilio? nonne ex diametro ejus deciſiones eludere ſatagunt exceptionibus ac diſtinctionibus ſuis frivolis? Quid dicam? eòuſque temeritatis frontem induerunt, ut dicere non vereantur ſacro-ſanctum illud Concilium, tot tiaris coruſcans tot Mytris auguſtum & Majeſtate plenum non fuiſſe niſi tumultuarium Monachorum ac Scholaſticorum conſeſſum: adeò verum eſt, quòd nec ipſi Oecumenici Concilii ſententiis ſe ſubmittant, ad quod tamen altâ voce appellant, provocant, ac vix non vociferantur. Adeò verum eſt, eos ſicut Papam ſic Concilia reſpuere, niſi Papa & Concilium, quod ipſi ſentiunt, ſentiant.

Hæc eſt Idea juſto & vero conſonans, quæ tibi formanda incumbit cum omnibus Orthodoxis de ſummâ Cathedrâ. Supra hanc Petram firmiſſimam jam pergo exiguum illud excitare ædificium, quod mente volvo. Hæc eſt Petra illa ſolidiſſima, cui cervices Caucaſo duriores alliſæ in fruſta diſſilient; (a) *qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.*

(a) Matt. 21. v. 44.

Digitized by Google

DE ERRORIBUS PELAGIA-norum & Semi-Pelagianorum.

ARTICULUS II.

CUnctis retro ſæculis obſervatum eſt, Doctores Catholicos ab hæreticis familiari ſibi verſutiâ hæreticos proclamari, hâc enim artificioſâ retorſione ita infamiam ſuam, notâ hæreſeos ſibi attractam, detergi autumant, ut ſimul Doctores Catholicos de hæreſi ſuſpectos & exoſos reddere non deſiſtant, illi ipſimet, qui inter hæreticos magis Spirituales & Aſceticos ſe ſimulabant, infelice hâc aſtutiâ contraCatholicos prævalere conabantur, poſtquam nonnulli exinde tam inſigne emolumentum reportaviſſent. Si ſtet penes ipſos fides, jam nemini licet auo placet infeſtare Janſenium præterquam Moliniſtis, id eſt Pelagianis moderni ſæculi juxta propriam eorum interpretationem. Si Janſeniſtis credendum, Pelagius ſub larvâ Molinæ patefactis inferni faucibus reſurrexit, ut inficiat veneno ſuo peſtifero credentium animas: juxta ipſos Papæ, Epiſcopi, Doctores propemodum omnes catervatim convolant, ut exterminent Jeſu Chriſti gratiam, quæ nos omnes Chriſtianos fecit: in ipſorum ore ac calamo Pelagianiſmus æquè ac Semi-Pelagianiſmus ex cinere ſurgens inter Moliniſtas ſuos ſibi triumphos, equos, & quadrigas conſtituit, ac denique ipſa Chriſti Eccleſia à pluribus ſæculis doctrinæ S. Auguſtini libellum repudii dedit, ut abiret retrorſum poſt figmenta Scholaſticorum; hinc meritò ingemiſcens orbis miratur ſe Pelagianum eſſe.

In hunc ipſum tenorem loquebantur nuperrimis ſæculis hæretici, ut notat Stapleton: *Inſigne artificium*, ait celeberrimus ille veræ fidei vindex *inſigne* (*a*) *artificium proteſtantium eſt, ut, cùm agitur de gratiâ & libero arbitrio, accuſent Catholicos de Pelagianiſmo.* Subtilis eſt hæc

(*a*) Sptapleton. t. 2. p. 410.

aſtutia, malitiâ tamen quàm ſoliditate prægnantior; nihil toties recoctum usque ad nauſeam in paginis Calviniſtarum, (*b*) ac cæcutiens illa accuſatio Catholicorum de Pelagianiſmo: Calvinus ipſe, ut taceam reliquos, intrepidè aſſerit, Concilium Tridentinum non niſi ad oculum & apparentiam damnare Pelagium: audentiùs loquitur; „ Romanenſes „ & Sorbonenſes veros eſſe Pelagios, peiores Pelagianis, qui veritа„ tes prætenſas de mandatis dominicis eorúmque poſſibilitate, de „ gratiâ ſufficiente, de libertate indifferentiæ, de morte Chriſti pro „ omnibus hominibus inſtar Pelagianorum propugnent, hos ipſos „ articulos arma fuiſſe, quibus Pelagianiſmus Auguſtino inſulta„ verit.

Ne mirêris adeoque, ſi recenter nati Calviniſtæ (Janſenianos intelligo) idem calleant idioma quod veteres; loquela veſtra maniſeſt os vos facit, antiquos renovantes errores antiquis utimini principiis in clypeum pertinaciæ. Tu verò amice Chariſſime, attende tibi, ne circumveniaris his fraudibus: en opportunâ tibi præcautelâ taliter conſulere ſtatuo, ut ex dicendis protinus coniicias, quid Pelagiani quid Semi-Pelagiani docendo & credendo contra fidem peccaverint.

Præcipui errores Pelagianorum ſunt ſequentes.

1. Homo ſolis naturæ viribus poteſt ſervare totam legem & æternam conſequi gloriam ſine ullâ gratiâ interiore. Ad hoc ſufficiunt externa ſubſidia, lex, prædicatio, bona exempla. &c.

2. Deus ſi dat homini gratias interiores & ſupernaturales, id facit ex intuitu meritorum liberi arbitrii hominis, quæ tamen gratia interna abſolutè ad bonum exercendum non eſt neceſſaria, ſed duntaxat, ut id præſtetur facilius & perfectiùs.

3. Peccatum Adami neminem niſi ipſum inquinavit Adamum, nullatenus ejus poſteros, unde conſequitur nos omnes naſci ſine peccato, nec magis ferri ad malum ex quodam præpondere concupiſcentiæ ac primus homo ante lapſum.

(*b*) Ant. Conc. Trid. in Seſſ. 6. Item l. 2. inſt. c. 2. 3. 5. & vide Synod. Dord. pag. 154. 728. 730. nec non Bez. in Apol. Colloq. Momb. & in vita Calvi &c.

Principales errores Semi-Pelagianorum ſunt ſequentes.

1. Principium fidei & meritorum radicatur in nobis ipſis, quamvis eorum perfectio & conſummatio ex Deo ſit. Quod idem eſt ac dicere; poſſe hominem ex ſe ipſo habere bonam voluntatem ad bonum, licèt imperfectam, quam Deus poſtea perficit conceſſâ gratiâ.

2. Gratia non eſt purè gratuita, dùm non aliter datur niſi ex intuitu & merito bonæ voluntatis inchoantis.

3. Deus omnibus indifferenter tribuit efficacem gratiam fidei ſecundùm pondus & menſuram proprii humani meriti: item gratias juſtificationis, converſionis, perſeverantiæ finalis, ſine ulla prædilectione aut miſeratione Speciali ex parte ſui magis inclinante ad hos quàm ad illos.

4. Reſpectu parvulorum incapacium ad bonum & malum Deus concedit quibusdam gratiam baptiſmi intuitu bonorum operum ſub conditione futurorum, ſi diutius vixiſſent; econtra aliis hanc gratiam recuſat propter demerita ſub conditione futurâ, ſi vixiſſent, propter abuſum gratiarum ſub tali conditione præviſum. &c.

Contra errores hos univerſos ſequentia ſunt de fide tenenda.

1. Peccato Adami infecta eſt tota Maſſa humana, exceptâ ſolâ Virgine Deiparâ, quæ ſpeciali privilegio à cōmuni contagione peccati fuit præſervata; omnes reliqui naſcuntur filii iræ, filii vindictæ, Deo rebelles, ſubjecti mille miſeriis vitæ & mortis, inclinantes ad malum ab adoleſcentiâ ex pondere concupiſcentiæ prædominantis, & per conſequens valdè debiles ad bonum & perquam proclives ad malum.

2. Nihil prorſus ſumus & poſſumus in ordine ad vitam æternam ſine gratia interiore & ſupernaturali, quæ omnino neceſſaria eſt, ut

ut nos præveniat, concomitetur, & ſubſequatur, quâ paulatim ex bonis cogitationibus ad bonam voluntatem & inde ad bona opera promovemur.

3. Ex nobis tanquam ex nobis mereri non poſſumus nec primam gratiam actualem, id eſt, primam ſalutarem cogitationem, vel primum interiorem motum, qui te intrinſecè ad Deum dirigat, nec etiam nos ipſos poſitivè ex propriis viribus ad talem motum & gratiam diſponere valemus.

4. Nunquam meremur de condigno gratiam fidei, converſionis, aut perſeverantiæ finalis, ſeu quod idem eſt, gratiam, quæ nos actu reddat fideles, juſtos, & perſeverantes.

5. In diſtributione gratiarum datur ſpecialis electio & prædilectio animarum, quas Deus ſelegit; quæ prædilectio videtur in hoc conſiſtere, quòd Deus aliquibus valdè eximias & præpotentes elargiatur gratias, cùm econtra aliis non niſi ſimplices & communes; quæ prædilectio quoque in hoc præponderat, quòd Deus efficacem gratiam fidei, converſionis, & perſeverantiæ finalis juſto ſuo judicio multis deneget, quas tamen aliis forſitan graviùs delinquentibus ex puro ſuo beneplacito tribuit, cùm nemini ſit debitor, ſed Dominus bonorum ſuorum abſolutus.

Ex paucis his facilè colliges, quid te in multis oporteat credere contra inimicos gratiæ. Cùm verò timendum ſit, ne fortè in his ipſis Orthodoxis dogmatibus ſenſum capias, quem Novatores ex aſſueta ſua fallacia verbis affingunt, dum fidelibus non niſi uno ex latere veritates detegunt, econtra ex altero ſupprimunt, quò aſtutius incautos illaqueare valeant ſuis retibus, hinc acuratè obſervandum, quid Catholici doctores hâc occaſione dogmatizare conſueverint.

1. Liberum hominis arbitrium non eò uſque per peccatum eſt debilitatum, ut licèt homo ſit ſine fide & gratiâ habituali, omnes noſtræ actiones ſint peccaminoſæ: ita determinavit Tridentinum, (a) adeò ut etiam ſine auxilio gratiæ actualis valeamus elicere actio-

(a) Trid. Seſſ. 6. can. 7. Pius V. Urbanus VIII. Gregorius XIII. in damn. prop. Baj.

nes quaſdem facillimas & moraliter bonas juxta communem quaſi Theologiam Catholicam. Vide Gonethum & Suarem. (*a*)

2. Licet homo nec mereri valeat gratiam actualem primam, nec ſe ſe ad illam recipiendam diſponere, nihilominus conſtat, Deum omnibus dare gratias ſufficientes, cum quibus verè poſſumus, quandoquidem velimus, ex ſtatu peccati nos ad Deum convertere, ſi ſimus peccatores; item cum quibus valemus evitare omnia mortalia, ſervare cuncta Dei mandata, ſi ſimus juſti; prout definivit Conc. Triden. contra Lutherum, Calvinum, & Melanctonem his formalibus: (*b*) *Qui verò ab acceptâ juſtificationis gratiâ per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt, cùm excitante Deo per pœnitentiæ ſacramentum merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare poterunt.* Item: (*c*) *nemo temerariâ illâ & à Patribus ſub Anathemate prohibitâ voce utatur, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia.* Tametſi quidem verum ſit illud, de quo idem concilium loquitur, videlicet. (*d*) *nemo ſi peccaverit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debet, prout nec juſtus ſecurus eſt ſe uſque ad finem in gratiâ & obſervantiâ perſeveraturum, dum nec hoc nec illud abſque ſuccurſu ſpecialis gratiæ unquam contingere valeat*; quæ quidem ſpecialis gratia, cùm nullis debeatur meritis, à ſola Dei miſericordia pendet tanquam effectus à causâ & fructus ab arbore.

3. Quamvis non poſſimus mereri gratias efficaces fidei, converſionis, & perſeverantiæ, nec ex merito juſtitiæ nec condignitatis, nihilominus nos ad eas diſponere valemus, illaſque ſaltem mereri de congruo, & ex convenientia quadam ob bona opera, vigilias, mortificationes, & præcipuè propter preces. Unde Concil. Trid. (*e*) *Tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent; Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerimus, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere:* dummodò non deficiamus cooperando cum gratiâ; hinc rurſus Conc. Trident. (*f*) *Deus ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur*: hominis enim, ut docet

(*a*) Goneth diſp. 1. art. 3. Suarez l. 1. & 2. de præd.
(*b*) Trident. Seſſ. 6. c. 4.
(*c*) Ibidem c. 11.
(*d*) Ibidem.
(*e*) Trid. Seſſ. 6. c. 13. (*f*) Ibidem.

Digitized by Google

S. Thomas, (*a*) *quod in ſe eſt facientis, præparationem ad gratiam infuſio gratiæ neceſſariò ſeu infallibiliter ſequitur; prout præparatio à movente Deo eſt.*

Ex hac doctrina duplicem formalis concluſionem cum Doctoribus Catholicis; maximè & ſpeciatim cum D. Proſpero, fideli S. Auguſtini Interprete: concludes primò, quòd, ſi mali pereunt, excuſationem non habeant de perditione & peccato ſuo, quaſi gratiis fuerint deſtitui neceſſariis; nam ſolùm eorum culpâ hæc acciderunt; concludes ſecundò, quòd, ſi juſti ſalvantur, gloriari nequeant de ſua juſtitia, cùm jure merito teſte Apoſtolo fateantur, (*b*) *non ex operibus, inſtitutiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.* Audiamus S. Proſperum in hæc verba. (*c*) *Univerſitati hominum ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei conſulit ſemper & conſuliit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis, neque cuiquam ſit liberum de ſua juſtitia gloriari.*

Dixi perverſos perire propriâ culpâ; cùm una ex parte Dominus ipſos providerit ſufficientibus gratiis ad converſionem & fidelem in mandatis ſuis perſeverantiam, alterâ ex parte potuerint obtinere ſpeciales illas & particulariſſimas gratias fidei, converſionis & perſeverantiæ finalis ex abyſſo divinæ illius bonitatis, quæ, cùm verè & ſincerè deſideret ſalutem omnium, tales gratias ut medium ad finem non denegaſſet facientibus quod eſt in ſe; dixi pariter juſtos ſalvari miſerente Deo. Rationes accipe principaliores.

1. Quia Dominus eſt, qui eos gratuitò prævenit, excitavit, elevavit, confortavit, quique ipſis ſine ipſis & independenter ab ipſis dedit velle, poſſe & perficere bonum.

2. Quia, licèt gratia excitans juſtos relinquat in plenâ indifferentiâ ſui liberi arbitrii, motionem gratiæ ſequendi vel fugiendi aut reſiſtendi, attamen voluntas eorum nunquam boni quid operari voluit niſi dependenter à motu gratiæ prævenientis & actualis, quæ tanquam cauſa principalis in ipſis ac ſimul cum ipſis produxit bonum illud velle & perficere.

(*a*) S. Thomas 1. 2. q. 113. a. 3.
(*b*) Ad tit. 3. 5.
(*c*) St. Proſper de vocat. gent. l. 2. c. 19.

3. Quia Dominus eſt, qui ſuâ gratiâ eos præparavit ad juſtificationem & perſeverantiam tanquam ad duo dona aliàs ex meritis independentia. Ipſe eſt, qui ſpecialiſſimâ prædilectione tales ipſis deſtinavit gratias, quales prævidit rerum omnium providus & præſcius fore efficaces, qui ab ipſis removit tentationes violentiores, qui tandem infallibili ſuâ providentiâ ita ordinavit vitæ eventus & circumſtantias, ut eorum fragilitatem præmuniret, eòsque de mundo tolleret in tali momento, in quo fixa erat eorum voluntas in bono finaliter & perſeveranter.

Ita ſentiunt Theologi inter Catholicos: hæ ſunt veritates Orthodoxæ de gratiâ, memoratis falſitatibus ex adverſo oppoſitæ: has qui abjiciunt neceſſariò in errores incidunt Novatorum, qui dum volunt ſcrutatores eſſe Majeſtatis, opprimuntur à gloriâ, qui dum ingenii ſui tenuitate menſurare præſumunt vaſtum gratiæ pelagus, naufragantur & evaneſcunt in cogitationibus ſuis, temerariè negantes quod ignorant, ſuiſque præventionibus cæcitate percuſſi adaptare neſciunt, eò quòd nolint intelligere, ut benè agerent.

DE ERRORIBUS JANSENISMI.

ARTICULUS III.

PRimo eoque validiſſimo ariete impetitur debellanda hæreſis, quando malignas hæreticorum opiniones ſuâ nocte ſepultas ad plenam meridiem protraxeris. Ita ſentit Tertullianus. (*a*) *Hunc primum cuneum congreſſionis armavimus, detectorem & deſignatorem totius conſcientiæ illorum, primámque hanc victoriam auſpicamur, quia quod tanto impendio abſconditur, etiam ſolummodò demonſtrare, deſtruere eſt.* Ita planè hoc ſolo ictu proſtrata hæreſis, certa victoria: errores enim eorum vel narraviſſe, refutâſſe eſt. Unde enim verò illæ lachrimæ? undenam provenit Janſeniſmum infauſto hoc ſæculo inter focos & aras fixiſſe ſua

(*a*) Tertul. contra Valent. c. 3.

Digitized by Google

tabernacula? cur tot ſpectatæ devotionis, tot extremi rigoris Viros Zelantiſſimos ubique Patronos reperit? nonne exinde, quòd venenum lateat, impietas ſub larvâ pietatis circumeat quærens quem devoret? quòd pauci ex æquo hanc peſtem diſcernant? nonne ex eo, quòd nonnulli pietate & doctrinâ ſpectabiles hæc caſtra ſequantur, huic Synagogæ patrocinentur? indè conſequitur, plerosque ſibi perſuadere problematica duntaxat ventilari; litigium verſari, quis in ſcholaſticis ſubtilius ſapiat; illas quæſtiones non niſi arbitrarias eſſe ad placitum tenendas vel negandas absque præjudicio fidei; interim de quo agitur? de ponderoſiſſimis Chriſtianæ Religionis veritatibus, quas Janſeniani penitùs evertere machinantur.

Si quis cominùs Janſeniſmum inſpiciat, ſi quis exploret attentiùs ejus aſſeclas, quid dicant, agant, credant, moliantur, attonitus deprehendet, pauca veræ fidei dogmata ab his non corrumpi, ſi in occulto à teſtibus nihil metuant: Tunc enim Tiaram triplici coronâ micantem conantur inſignibus ſuis ſpoliare & in humiliorem formam componere; tunc manus & linguas exerunt non contra Papam duntaxat, ſed & contra Concilia, contra ipſum Eccleſiæ decus, ejus Hierarchiam, ſubordinationem, jura, Canones, ſanctiones, contra ejus infallibilitatem, ſanctitatem, perpetuitatem, contra uſum, imò contra eſſentiam ſacramentorum ſpeciatim ordinis & Pœnitentiæ, contra meritoria opera, hyperduliam Deiparæ Virginis. Verbo; veneno ſuo peſtifero inficiunt ac propemodum tollunt omne, quod fide novimus: nec immeritò ſuſpecti ſunt, annon malignè de divinitate Chriſti ſuſpicentur, de qua celebriores inter illos ſat æquivocè ſe explicârunt. Facilis labor foret demonſtrando hæc omnia non temerè dicta; attamen cùm nec urgeat nec opportunum ſit illud enucleatius promere, quod nimis à ſcopo deduceret, hinc greſſum ſiſtimus in illo, de quo quæritur, nimirùm quid errent? quid ſentiant circa myſteria Prædeſtinationis & gratiæ moderni hæretici, quos Janſeniſtas appellamus? horum errores ut plurimum ſequentibus quinque propoſitionibus continentur.

Prima Propoſitio. Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia. Deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.

Supponamus hominem recenter natum; hic filius iræ per lavacrum baptiſmatis tranſit in filium gratiæ: dùm enim in hoc ſacramento ex aqua & ſpiritu ſancto ſit denuo renatus & regeneratus in Chriſto *nihil in eo damnationis eſt*, ut Paulus loquitur. (*a*) Jam verò hic parvulus ſub umbrâ timoris Domini, ſub ferulâ virtuoſi parentis educatus proficit ætate & gratiâ, nec perdit ſolicitè cuſtoditam innocentiam, ſit ſimilis illi juveni Evangelico, ſervans fideliter omnia legis præcepta, ut cum veritate fateatur, (*b*) *omnia hæc cuſtodivi à juventute mea* toto corde, totis viribus Deum diligit & viciſſim à Deo diligitur. Verbo: eſt homo juſtus ac timoratus expectans regnum Dei; eſt gaudium & ſpectaculum cæleſti Curiæ, mundo, Angelis, & hominibus: taliter ſuppoſitus ſubitò exponitur tentationi armatæ & violentæ; anhelat, ardet, reſiſtit, & ut bonus Athleta pro ſuis viribus ſtrenuè dimicat. Verùm, o infelix momentum! tempus gratiæ, dicunt Janſeniſtæ, illum jam præteriit, pro illo effluxit, dereliquit illum Dominus in manu conſilli ſui, ac tradidit propriæ infirmitati: ſine ejus culpâ, ſine demerito Deus talem recuſat ſuccurſum gratiæ, ſine quo lapſus in peccatum eſt inevitabilis: hinc cadit miſer ſine gratiâ, perſeverat ſine gratia, moritur ſine gratia, æternùm ardet ſine gratia.

Secunda Propoſitio. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Hoc eſt; Adam in ſtatu innocentiæ gratiam habuit, quæ illi nullam impoſuit neceſſitatem, ita ut Adamo plenè liberum fuerit obedire gratiæ vel reſiſtere. Cùm verò hanc gratiam per peccatum perdiderit, aliam ejus loco pro ſe & ſuis poſteris obtinuit, quæ talis eſt naturæ, ut nunquam ei reſiſtatur, ut nunquam valeat fruſtrari ſuo effectu; adeò quidem, ajunt Janſeniſtæ, ut, ſi ſupponas, gratiam alicui conceſſam eſſe ad exercitium boni operis, conſequenter & neceſſariò ſit ſupponendum, opus illud bonum eſſe opere ex-

(*a*) Rom. 8. 1. (*b*) Matth. 19. 20.

pletum : ſicut viciſſim ſi ſupponas, opus bonum non eſſe factum, præceptum Dei hoc vel illud eſſe violatum, filium veneno ſuſtuliſſe parentes, filiam Tahmar concubuiſſe cum Amon fratre ſuo inceſtuosè, Cainum occidiſſe Abelem &c. conſequenter & neceſſariò ſupponendum eſſe tanquam ex evidente & infallibili ſigno, Deum ſuâ gratiâ defuiſſe, ſine quâ ille lapſus in memorata enormia crimina fuit indiſpenſabilis, inevitabilis.

Tertia Propoſitio. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Sine ſuperficiali quâdam Theologiæ tincturâ nimis arduum foret ænigmaticum hoc Janſenii myſterium attingere. Unde notandum, ingentem intereſſe diſtantiam inter coactionem & neceſſitatem, licèt enim ſemper neceſſariò fiat, quod coactè fit, non tamen viciſſim ſemper coactè fit, quod neceſſariò fit. In exemplo : Beati in Cœlo Deum amant neceſſariò; non enim ſtat libertas & indifferentia ad amorem ſummi & infiniti boni cum illius intuitiva viſione & cognitione : Deus clarè cognitus non poteſt non amari, nec tamen idcircò Beati ad amandum coguntur vel compelluntur, amant etenim prægrandi & voluntariâ cordis & voluntatis inclinatione. Pariformiter, ſi credendum ſit Janſenianis, neceſſitamur in ſtatu naturæ corruptæ vel ex motu gratiæ vel concupiſcentiæ ad bonum aut malum, adeò ut ſit impoſſibile, hoc vel illud omittere ; neque tamen ad illud coactione trahimur, cùm id propriâ cordis & voluntatis inclinatione agamus ; & hæc libertas à coactione juxta ipſos ſufficit & abundat ad meritum vel demeritum : quapropter, ſi gratia te manu ducat ad faciendam elemoſinam, neceſſariò illam elargiris, & quamvis tibi ſit impoſſibile evitare hanc ſtipem elargiendam, non tamen ex eo perdis meritum æternæ retributionis : ſicut econtra ſi concupiſcentiâ traheris ad parricidium aliudve crimen, deteſtabile cõmittis illud neceſſariò, ac etiamſi à te non dependeat fugere aut declinare illud peccatum, demereris tamen, teque æterni ſupplicii reum conſtituis ſcelere tibi neceſſario.

Digitized by Google

Quarta Propoſitio. Semi-Pelagiani admittebant prævenientis interioris gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei : & in hoc erant hæretici , quòd vellent eam gratiam eſſe talem , cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

Quaſi dicerent ; ne quis erret in fide circa gratiam , non ſufficit aſſeruiſſe , quòd homo nihil ſit ſine gratiâ interiore ad vitam æternam conſequendam , ſed oportet corde credere & ore confiteri , hominem non poſſe huic gratiæ internæ reſiſtere, unde juxta ipſos planâ ſequelâ enaſcitur , totam errare Eccleſiam ; omnes in Sorbona Doctores , cunctos in ovili Chriſti paſtores , Epiſcopos & Pontifices eſſe ſemi-Pelagianos larvatos. Moliniſtas omnes ſemi-Pelagianiſmum induiſſe.

Quinta Propoſitio. Semi - Pelagiani eſt , dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum fuiſſe & ſanguinem fudiſſe.

Hâc propoſitione volunt Janſeniſtæ , bono & vero Catholico tenendum eſſe firmiter , & de fide credendum , quòd Deus , qui potuiſſet totum genus humanum relinquere in maſſâ damnationis , poſt lapſum Adami voluerit ex univerſo hoc genere ſaltem paucos quosdam tanquam puſillum gregem eligere , quêis partem daret gloriæ ſuæ ex meritis Chriſti , deſtinando reliquos omnes irrevocabiliter æternis ſuppliciis , adeò , inquiunt , ut ſicut fieri nequit , quin exiguus hic numerus præelectorum damnetur , ſic impoſſibile eſt , ut major ille numerus ſalvetur ; cùm enim Dominus nunquam veram habuerit intentionem & voluntatem eos ſalvandi , idcirco neceſſariis in hunc finem mediis illos nunquam providit ; hinc Chriſtus qui ſolus has gratias & media neceſſaria promereri illis potuit , non magis pro his ac pro dæmonibus Patrem rogavit , paſſus aut mortuus eſt.

En terribile ſyſtema Janſenii ; nonne videtur ex ſolo auditu has propoſitiones eſſe cum horrore averſandas & eliminandas? Interea quantumvis impiæ & execrabiles ſenſatis appareant , non tamen carent Zeloſiſſimis ſuis protectoribus & ſectatoribus de præſenti , nec caruêre de præterito , cùm vix in lucem natæ fuiſſent. Tantam in Chri-

Chriſtianiſmo Tyrannidem exercet Novitatum veſanus amor ac famæ ſacrilega fames! ut faciant ſibi nomen hæretici, Numen blaſphemant: ut ambitione diſtenti ſe diſtinguant à cæteris, ita de gratiâ, de libero arbitrio agunt, docent, loquuntur, ut penitus tollant, neceſſe fuit, ut orbis terrarum pugnaverit contra inſenſatos gratiæ & humanæ libertatis hoſtes; ut ferè omnes Epiſcopi Franciæ omnes Doctores Catholici armatâ manu contra hoc monſtrum in cunabulis ſuffocandum confluerent; ut ipſa ſuprema authoritas tonitrua ſua per univerſum Catholicum orbem intonaret; & utinam ſicut error finalem ſententiam ſic & finem ſortitus eſſet! Recens hæc Progenies viperarum ingentes per regiam regni excitaverat ſtrepitus, jam jam venenum ſuum undequaque diſperſerat, cùm de remedio contra malum cogitari cœpit. Obligatio fuit & urgens neceſſitas recurrendi ad Romanum oraculum ad ſummum Pontificem, qui tunc erat Innocentius X. Octoginta Epiſcopi animati Zelo domûs Domini ſupplices ſuos libellos ſacræ ſedi porrexerant, quinque propoſitiones Janſenii & fideliter denuntiantes & earum damnationem inſtanter ſolicitantes. Papa, quò maturiùs cauſam examinaret, Zelo Præſulum Galliæ velociùs reſponſurus, illicò ſpecialem congregationem deſuper inſtituit Viris ſpectabilem eâ ætate longè maximis, quos tunc totius Mundi Metropolis numerabat; nunquam quodvis negotium exactiùs trutinatum, nunquam circumſpectiùs eviſceratum. Doctores primæ Sapientiæ & eruditionis illuc lumina ſua contulerant; Purpurati Patres ſummæ in agendis rebus ſolertiæ illuc ſolicitudines ſuas congeſſerant, ipſe ſupremus Pontifex perſonaliter ſe applicando non modicos labores & curas illuc collocaverat, cùm tandem duobus integris annis in negotio conſumptis, poſt ultra triginta ſeſſiones, quarum plures in perſonali Papæ præſentiâ tenebantur, & in quibus diſcipuli Janſenii longanimi patientiâ verba & mentem ſui Magiſtri defendentes audiebantur, cùm tandem, inquam, Beatiſſimus Papa Bullam illam decantatam de Anno MDCLIII. conſuetâ ſolemnitate & formâ publicari juſſit, quæ deinde communi gaudio & reſpectu acceptata fuit ab univerſâ Eccleſiâ.

Vi & tenore mox memoratæ Bullæ Pontificiæ quinque propoſitiones Janſenii damnantur, prima ut temeraria, impia, blaſphema, hæretica, jam olim Anathemate proſcripta. Altera ſimiliter cenſuratur hæretica. Tertia pariter. Quarta ut falſa & hæretica. Quinta denique ut rurſum falſa, hæretica, ſcandaloſa, & ſi hâc propoſitione intendatur, Chriſtum duntaxat mortuum pro prædeſtinatis, damnatur ut impia, blaſphema, calumnioſa, & injurioſa bonitati divinæ, ac hæretica.

DE SENSU, IN QUO PROPOſitiones Janſenii ſunt damnatæ.

ARTICULUS IV.

POſt judicium tantopere Auguſtum & ſolemne, poſt deciſiones adèo claras & explicitas, quis non recenter ex ovo ſuo excluſas hæreſes penitus ſuffocatas & exanimes ſuſpexerit? quis non eas in cunis ſuppreſſas crediderit? quis dubitaverit etiam Zelantiſſimos Janſenii diſcipulos illicò diſceſſuros à Magiſtro tam perverſo & infelice? Verùm hic eſt genuinus character Beſtiæ, quo inuruntur in frontibus omnes hæretici, pertinaciâ. Procul ab eo, quòd ſe ſe Authoritati Eccleſiæ ſubmiſerint, potiùs ſcrutari ſcrutationes inceperant, queîs opportunos elaborarent titulos ac terminos medios ad eludendas deciſiones Sacro-ſanctæ Eccleſiæ ac Romanæ Cathedræ.

Prima ipſis cura & cogitatio fuit, continuare orditam telam, patrocinium Doctoris Iprenſis ſemel in ſe ſuſceptum nullatenus abjicere, publico Zelo, prout hactenus fecerant, ejus dogmata propugnare, judicium Papæ ad jus citare, appellando ad tribunal Concilii univerſalis: non tamen potiori inter ipſos parti arriſerat hæc ſententia, nec enim conveniens aut expediens vide-

batur oculatioribus altâ voce ſe declarare contra illam Authoritatem, quam mox ut legitimam & in hoc negotio competentem adoraverant, coram quâ tanto calore cauſam Janſenii dixerant: ex alterâ parte tam providè quàm verè conjiciebant, non defuturos ex agmine Pontificio, qui contra hanc Appellationem tanquam manifeſtam ſeditionem clamarent; & quia perſuaſio ſemper viguerat, Papæ judicium ab Eccleſiâ receptum eſſe regulam fidei, perconſequens improvidè & præmaturo ardore appellantes extra Synagogam fierent, ut hæretici declarati haberentur, digni expelli foras.

Tutiori igitur viâ eundum cautiores cenſuerant, ac tandem poſt frequentes conſultationes concluſerant tantiſper fateri, vel potius ſimulare ſe fateri, quinque declamatas illas propoſitiones juſtè & legitimè damnatas eſſe, juxta declarationem Papæ verè hæreticas extitiſſe, nihilominus decreverant altè & apertè proteſtari, propoſitiones illas reipsâ nunquam in libro Janſenii aut repertas aut reperibiles eſſe, ſaltem non in illo maligno ſenſu, in quo Pontifex eas condemnavit; conſequenter cùm fulmen illud non cadat in Authorem Janſenium, utpote hac in re illibatum, nemini prohibitum eſſe, partes ejus & cauſas tueri.

Porrò, ſi ullibi ſe manifeſtat hæreticorum genius, id fit in præſenti propoſito: ſine fronte mentiri ſolemne eſt hæreticis, ac perquam familiare ſe invicem mendacii arguere, dum agitur de patrocinio erroris, cui ſe pertinaciter devoverunt. Eſt etenim factum publicæ notoreitatis, nemini peregrinum niſi illis, qui ſpontè id ignorare affectant; nempe quòd in quæſtione de quinque propoſitionibus nunquam alia res ſit agitata, niſi doctrina Janſenii: notorium eſt & evidentiâ rei manifeſtum, illas quinque propoſitiones, præciſum Janſenii ſyſtema continentes (prout partes, quibus intereſt, utrinque teſtantur & fatentur) fuiſſe extractas ex paginis Janſenii; propoſitiones illas in ſuo ſenſu obvio, proprio, & naturali doctrinam Janſenii in fronte gerere; factum & actus clamat, hunc ſenſum, hoc ſyſtema Janſenii uſque ad finem Congregationis

Romanæ à deputatis Janſeniſtis calidiſſimè propugnatum fuiſſe contra Inſtantias Oratorum Epiſcopalium condemnationem Janſenii ſolicitantium : Tandem notorium eſt & irrefragabile, has quinque propoſitiones eſſe illas ipſas, quas Papa diſcuti voluit, quas ipſemet paſtorali ac perſonali ſua ſolicitudine examinavit tanquam ſyſtema & doctrinam libri , *Authore Janſenio*, donec contra illas ſententiam tulit, eaſque Anathemate profligavit. Quâ igitur fronte præſumunt Janſeniſtæ dogmata illa à Janſenio & Janſenium ab illis dogmatibus ac propoſitionibus expurgare ? quâ conſcientiâ audent proſcriptam & Anathemate infamem doctrinam ſuâ domo ac diverſoriô , ſuâ tutelâ ac patrociniô recipere ? Cùm interea hæc impoſtura circumvolans omni vero ſimili ſpoliata non mediocrem fidem inveniſſet in cerebris illorum , quibus nova placent , qui fallere & falli amant , Eccleſia non defuit ſuis vicibus , ſed expreſsè in poſterioribus bullis (quæ authoritate æquivalent cum prioribus) declaravit 1. Quòd famoſæ illæ quinque propoſitiones damnatæ ſint in ſenſu obvio, propriis ſuis terminis naturaliter ſonantibus expreſſo , prout ſe intellectui legentis ſtatim inſinuant. 2. Damnatas eſſe in ſenſu ipſiusmet Janſenii conformiter ad ejus ſyſtema erectum & ſtabilitum in ſuo libro , cui titulus eſt *Auguſtinus.* 3. Quòd hæ propoſitiones ſint actu & reipsâ extantes in Janſenii libro , & quidem in ſenſu hæretico , in quo ſunt rejectæ : adeò , ut deinceps Novatoribus nec via nec effugium pateat impoſturas ſuas excuſandi , aut illudendi veris fidelibus, qui debitam Eccleſiæ obedientiam ſolvunt.

Hoc loco forſitan non incongruè quæſiêris , in quo ergo ſenſu moderni Novatores ſæpe fatas propoſitiones agnoverint ut falſas, hæreticas, & legitimè per Anathemata fulminatas ? Item , in quo ſenſu Janſeniſtæ eas cum Janſenio Orthodoxas teneant contra deciſiones Eccleſiæ ? ad quæſita reſpondeo; cùm proprium ſit ac uſitatum hæreſi , æternùm ſibi contradicere , ſeque ut Próteus tranſmutare & in diverſa diverſim variare , juxta illud, *Men-*

tita eſt iniquitas ſibi (*a*) reſpondeo, inquam, Janſenianos tot repugnantes ac inter ſe diſſidentes ſenſus induiſſe propoſitionibus illis, ut eorum ſpecifica aut individua enarratio oneroſa nimis & odioſa foret. Videatur deſuper fuſiùs ſincerus author hiſtoriæ de quinque propoſitionibus.

Nihilominus, ut aliquatenus tibi ſatisfaciam, communicabo breviter ſaltem ea, in quibus calculo communiore coincidunt, prout memini ex malè manuſcriptis eorum paginis Theologicis, quas idcirco in linguâ vernaculâ ſcriptas ſuis proſelytis communicant ut ſic vel ipſæ mulieres aſcendant cathedram peſtilentiæ, ne loco ſuo careant in ſchola iniquitatis.

Quod concernit primam propoſitionem; fingunt imprimis & diſtingunt duas ſpecies impoſſibilitatis, quarum unam vocant intrinſecam, phyſicam & abſolutam; alteram verò extrinſecam, moralem, & relativam: per primam actio agentis ſit abſolutè impoſſibilis, cùm agens ſit orbatus omni facultate naturali agendi, ſic volare eſt equo vel tauro impoſſibile: per ſecundam actio agentis ſit relativè impoſſibilis; nam licèt agens polleat facultate naturali exercendi talem actum, eſt tamen adeò debilis, tot tantiſque vallatus obſtaculis, ut eum nunquam perficiet ſine concurſu alieno, quo tamen caret, licèt cæteroquin ad eum exercendum nitatur totis viribus: ſic lethaliter ægroto eſt impoſſibile itinerari Graſsâ Niſſam uſque ſine equo aut curru poſt pluvias octo vel decem dierum. Hoc ſuppoſito falſum eſt & hæreticum, aiunt ulterius, præcepta divina eſſe ſervatu impoſſibilia primo modo: cunctis enim ſuffragatur facultas naturalis ea ſervandi, quæ etiam facultas per gratiam valet exerceri, nec aliàs aliquid melius poſſe dicimur, quàm quod facimus, dum volumus, quodve omittimus, dum nolumus. Veruntamen, dicunt ulterius, hæc Dei mandata aliquoties fiunt impoſſibilia impoſſibilitate ſecundâ, quia voluntas noſtra ex concupiſcentiæ dominio nimis debilis & depreſſa caret

(*a*) Pſl. 2. 6.

Digitized by Google

aliquando ſuccurſu neceſſario, ut veraciter velit & poſſit mandata ſervare, & ut ea in actu & effectu adimpleat.

Quoad ſecundam propoſitionem: Janſeniſtæ gratias bipartiuntur in fortes & debiles. Fortes juxta ipſos ſunt, quæ producunt ſuos effectus in ſtatu perfecto. V. G. converſionem, veram fidem &c. econtra debiles gratiæ generant effectus imperfectos V. G. remorſum conſcientiæ, bona deſideria &c. priores gratiæ à Janſenianis appellantur efficaces, quia nunquam fruſtrantur conſenſu voluntatis, pro quo ſunt conceſſæ à Deo: poſteriores verò vocantur ſufficientes, quia voluntas illis nunquam aſſentitur, quamvis ex ſe forent ſatis capaces, & actu generarent conſenſum voluntatis, niſi fortior concupiſcentia gratiam vinceret: non tamen deſtituuntur effectu ſuo proximo, qui eſt. V. G. excitatio boni deſiderii, ſalutaris remorsûs &c. & hoc ſenſu ſemper ſunt efficaces. Hoc ſuppoſito falſum eſt & hæreticum juxta ipſos, dicere, in ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ nunquam poſſe reſiſti, & hoc ajunt ex cauſis ſequentibus. Primò quia in præſenti vita, in qua caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus adverſus carnem, hæc concupiſcentia occulto quodam impetu continuò ſe opponit motui gratiæ quantumvis robuſtæ, victorioſæ, & efficaci. Secundò quia ſi debiles gratiæ non ſortiantur ſuum effectum & actus perfectos, hoc totum ex eo provenit, quòd ſuccumbant concupiſcentiæ motibus multò fortioribus, nec frangere valeant validiorem reſiſtentiam: nihiloſecius, dicunt ulterius, indubitatum eſt, nunquam nos gratiæ poſſe reſiſtere, ut impediamus ejus effectum à Deo intentum & in talibus circumſtantiis ordinatum, & per talem gratiam producendum: cùm enim talis gratia ſit vehementior quàm reſiſtentia concupiſcibilis, ſemper eam ſuperat modo invincibili; tametſi verò gratiæ ſint infirmiores, & conſequenter careant illo ſuo effectu ultimato & perfecto, neceſſariò tamen & ſemper gaudent ſuo effectu imperfecto & proximo, quem Deus gratiæ producendum injunxit; hoc ſenſu quoque ratiocinantur de quarta propoſitione, quæ ad hanc ipſam reducitur.

Quoad tertiam; dividunt neceſſitatem à coactione liberam & exemptam in duas ſpecies; primam vocant neceſſitatem voluntariam ſive inclinationis; ſed hæc radicatur in ipſa natura humana tanquam ſuo principio, ac antecedit omnem reflexionem rationis. Talis neceſſitas eſt. V. G. aſpirare beatitudinem, ſibi ipſi velle bonum &c. Secunda eſt, quam concomitatur reflexio, & cujus principium eſt cauſa quædam exterior determinans voluntatem ad ſuum objectum vel pro ſemper vel tantùm ad tempus. Sic E. G. lumen gloriæ beatos neceſſitat invariabiliter ad amandum Deum; ſic etiam juxta ipſos gratia aut concupiſcentia nos neceſſitant ad bonum aut malum, quamdiu hæc vel illa intra nos dominatur.

His poſitis libenter concedunt, neceſſitatem ſive naturalem ſive immutabiliter voluntariam oppoſitas eſſe libero arbitrio tantopere variabili in ſtatu viæ, & ex hac ſola ratione negant nos neceſſitari per gratiam uno vel altero modo; non tamen exinde negant, nos non neceſſitari per concupiſcentiam vel gratiam ad agendum abſolutè & invincibiliter; licèt enim hæc neceſſitas abſoluta & invincibilis excludat veram potentiam relativam ad actum oppoſitum, non tamen excludit potentiam abſolutam nec flexibilitatem ad bonum vel malum, quæ flexibilitas ſecundùm ipſos in hoc conſiſtit, quòd etiam tunc, cùm voluntas bonum neceſſariò operatur per gratiam poſſet tam vehementiore cupiditate ad malum propelli, vel cùm voluntas ex violentiâ cupiditatis malum neceſſariò perficit, poſſet tamen per gratiam potentiorem ad bonum ferri. Et in hoc, inquiunt, comprehenditur tota & adæquata libertas hominis in ſtatu naturæ corruptæ, ex quâ etiam libertate conjicitur integrum fundamentum meriti vel demeriti humani.

Quoad quintam propoſitionem docent Janſeniſtæ, de fide eſſe, Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe, partim, quia mortuus eſt ad deſtruendum originale peccatum omnibus commune; partim quia morte ſuâ reparavit naturam humanam rurſum omnibus communem; partim quia ſanguinem fudit pro quibusdam ſingularibus ex omni natione, ſtatu, genere, & conditione;

Digitized by Google

partim quia nullus ſalvatur niſi ex meritis Chriſti ; tandem quia juſtis per gratiam inſpiratur deſiderium ſalutis omnium hominum.

Sed necdum ſatis : fatentur inſuper conſtare de fide , Chriſtum etiam pro ipſis reprobis in particulari mortuum eſſe , ac ſanguinem fudiſſe. Qumodo iſtud ? 1. quia Chriſtus pretium obtulit plûs quàm ſufficiens , & copioſiſſimum ad eorum redemptionem 2. quia reprobi capaces ſunt , ut ſalventur ex Chriſti meritis , ejusque gregi annumerentur 3. quia ſi non recipiant à Chriſto ſalutem æternam , ſaltem recipiunt ſalutem temporalem , id eſt gratias transeuntes. 4. quia Chriſtus habuit quandam inclinationem eos redimendi quatenus homines ſunt : nolunt tamen his omnibus Novatores , Chriſtum taliter pro reprobis mortem ſubiiſſe , quâ veraciter illos ſalvare , gratiisque ſufficientibus contra inſultus concupiſcentiæ munire voluerit , ut inde ſervarent mandata Dei , ac apprehenderent vitam æternam ; in hoc enim ſenſu , ſecundùm ipſos , Chriſtus duntaxat mortuus eſt pro prædeſtinatis. Hic eſt ſenſus alienus quinque propoſitionum , quem Janſenii fautores ſubſtituere ſatagunt ſenſui proprio ac naturali ab Eccleſia condemnato : hæc ſunt effugia , hi circuli , & circuitus , in quibus impii ambulant diſcipuli , ut Magiſtrum ſuum probent , & Eccleſiam reprobent , ejusque Anathemata declinent , vel potius eludant. Sub hac interpretationum umbra ſuaviter requieſcunt, his præmuniti artificioſis induſtriis non ſine admiratione , & ſtupore omnium audiuntur ſe apertè declarantes contra quinque propoſitiones , & ad apparentiam id ipſum impugnantes , quod re ipſa accerrimè propugnant.

Ecquis re ipsâ non attonitus hæreat , ſi ignoret myſterium audiens ex ore tot ſummè Zelantium Janſeniſtarum , mandata divina eſſe ſervatu poſſibilia ; auxilio gratiæ nos ea ſervare cùm volumus ; nos gratiæ interiori perſæpe reſiſtere ; gratiam non ſemper ſuum ſortiri effectum , ad quem producendum tam oportuna fuiſſet ; nos eſſe liberrimè indifferentes ad bonum & malum etiam ſub ipſo dominio efficaciſſimæ gratiæ ; hanc indifferentiam eſſe prorſus neceſſariam ad merendum , vel demerendum ; Chriſtum pro omnibus cruci-

Digitized by Google

crucifixum nullo excepto, etiam pro reprobis, his quoque merita ſanguinis ſui applicâſſe; plurima ſalutis media non ſolùm ſufficientia, ſed & efficacia procurâſſe? quis ad hæc audita non obſtupeſcat, quis non loquelas iſtas manifeſtè Orthodoxas juraſſet? quid tantopere oppoſitum quinque propoſitionibus Janſenii ac ipſa doctrina Janſenii? Vel maximè & ad ſpeciem. Interim nihil horum Janſenio, & Janſenianis placet, vel meliùs dixerim, nihil horum Janſeniſmo diſplicet, nam occulto fædere, & nexu ſecreto junguntur omnia hæc eloquia apparenter Orthodoxa cum perverſis eorum, & hæreticis phantaſmatibus: Vtique expreſſiones iſtæ ſuper mel, & favum ſapiunt vero, & ſincero Catholico, ſed in ore Novatorum ſunt felle, & aceto pejores, ſunt argutiæ, technæ, & æquivocationes, quibus imponunt ſimplicibus venenum aſpidum ſub labiis eorum, ut interficiant innocentes.

Quapropter Amice Suaviſſime; attende tibi, cautè ambula, cave ne ſupplanteris. Altâ mente reconde, quæ dico, nec ſatis unquam inculcavero: ne inſimuler Janſeniſta, ne ſuſpectus in fide ſuſpiciar, dixiſſe non ſufficit, juſtos cum auxilio gratiæ poſſe mandata ſervare, ſi velint; oportet addere, Deum nulli recuſare gratiam neceſſariam, ut ea in effectu, & opere compleat: dixiſſe non ſufficit, poſſe reſiſti gratiæ, & frequenter actu reſiſti gratiæ interiori, ut non aſſequatur quendam effectum quem potuiſſet aſſequi: oportet addere, ita reſiſti gratiæ, ut non ſemper cum illa fiat totum illud bonum, quod in noſtrâ poſuit poteſtate, & pro quo nobis conceſſa eſt, & hoc quidem ex ſola renitentia voluntatis noſtræ: dixiſſe non ſufficit ad meritum, vel demeritum neceſſariò requiri, ut ſimus indifferentes ad bonum, & malum ſub motione gratiæ, vel concupiſcentiæ, ſed addidiſſe neceſſe eſt, hanc indifferentiam debere eſſe activam, quâ poſſis tendere ad bonum, vel malum ex propria electione, & non tantùm paſſivam, quâ ſis motus & excitatus ad hanc, vel illam partem: dixiſſe non ſufficit, Deum velle, & deſiderare ſalutem omnium ſine exceptione; Chriſtum non pro electis duntaxat, ſed etiam pro reprobis mortuum eſſe, etiam

Digitized by Google

reprobis morte ſua vitam, media ſalutis efficacia, & ſufficientia promeruiſſe; Verùm fateri oportet, Deum velle ſalutem æternam omnium hominum ſine exceptione voluntate realiſſima, ſinceriſſimâ, & ex parte ſua efficaciſſimâ: Salvatorem reipsâ, & in effectu paſſum, & mortuum eſſe, ut mereretur omnibus etiam reprobis æternam gloriam, omnes ſuccurſus neceſſarios, & ſufficientes, ut ad eam homo actu perveniat.

Hæc & talia ſunt dogmata de fide deciſa per Eccleſiam in lato Anathemate contra Janſenium: talis eſt doctrina Catholica quinque damnatis propoſitionibus ex adverſo oppoſita; hanc corde credere & ore confiteri tenemur ſub pœna damnationis æternæ; quicunque has veritates non credit firmiter, non confitetur ſimpliciter, & purè abſque tergiverſatione, ſecluſis effugiis, exceptionibus, & æquivocis ambagibus, talis, eò quòd Eccсſiam non audièrit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

DE QUÆSTIONE JURIS ET FACTI.

Item

DE PRÆTENSO PHANTASMATE Janſeniſmi, ac de ſilentio reverentiali, ſeu reſpectuoſo.

ARTICULUS V.

HAud ægrè ex ſtatim dictis conjecturaveris, quid ſentiendum de jure, & facto Janſenii; cùm verò deſideres dilucidam hujus rei delineationem, & ideam, obſervare te velim, Janſeniſtas duplicem formare quæſtionem circa negotium ſui Janſenii;

unam vocant quæſtionem juris, alteram quæſtionem facti: Num Papa juſtè damnavit quinque illas propoſitiones? num doctrina in illis complexa eſt verè hæretica, prout decidit Romanus Pontifex? Ecce, ajunt Janſeniſtæ, quæſtionem de *jure*: hæ quinque propoſitones, & dogmata in illis contenta veréne reperiuntur in libro Janſenii? en quæſtionem de *facto*.

Major pars Janſeniſtarum necdum negare audet ſaltem ore, & clamore valido, propoſitiones illas non eſſe juſto titulo condemnatas, doctrinam ibi contentam non eſſe hæreticam; adeoquin externè, & quoad ſpeciem, & apparentiam inclinato capite ſe ſubmittunt Bullis Pontificiis in quæſtione juris: attamen conſtanter pernegant eas reperiri in libro Janſenii; abnuunt doctrinam his propoſitionibus involutam eſſe partum Epiſcopi, ſive Auguſtini Iprenſis, idcirco huic Bullæ Innocentinæ acquieſcere nolunt in quæſtione facti.

Si ipſis ad enervandum hoc inane effugium reſpondeas, innegabile eſſe, quòd Papa & Epiſcopi aliud non intenderint niſi doctrinam Janſenii quaſi in adulterio deprehenſam accuſare, & condemnare; in hac cauſa aliud huc uſque nec intentum nec attentatum fuiſſe; Bullas adeſſe Sacro-ſanctè teſtantes, hæreticum ſenſum quinque propoſitionibus inditum eſſe ipſum, & propriè quæſitum Janſenii ſenſum; ad hæc & ſimilia replicant, Papam, Epiſcopos, Eccleſiam immutâſſe ſententiam, ac interpretativè cantâſſe Palimodiam: Utique verum eſt, inquiunt, Eccleſiam eſſe inerrabilem, dum pronuntiat circa fidem, & dogmata, non tamen idem ſentiendum, ſi decidendo pronuntiet de *facto*, talem nempe doctrinam dogmatizari, vel non dogmatizari in & ab aliquo nominato Authore, imò Eccleſiam actu errâſſe definiendo, quòd doctrina in libro Janſenii damnata ſit propria Janſenii doctrina.

Ex hoc per ſequelam quaſi urgentem inferunt clamoroſam illam propoſitionem. *Janſeniſmus phantaſma eſt.* Hujus propoſitionis à Clero Gallicano cenſuratæ petis à me dilucidationem. Igitur aſſerere Janſeniſmum phantaſma eſſe, eſt idem, ac ſi dixeris, doctri-

Digitized by Google

nam quinque propoſitionum damnatarum non eſſe doctrinam Janſenii, ejus librum non eſſe hæreticum niſi in cerebro & ſpatio imaginativo quorundam, quos Moliniſtæ technis ſuis & verſutiis infaſcinaverint, per conſequens Janſeniſmum non niſi hæreſin imaginariam, Janſeniſtas autem ab omni hæreſis ſuſpicione abſolvendos eſſe: tale phantaſma ab Armigeris Janſenii hodie ſpargitur in capite & angulis omnium platearum, partim ut phantaſmatis hujus nocturni favore tuti ſint à fulgure & coruſcationibus cenſurarum Eccleſiæ, partim ut virus ſuum hæreticum inoffenso pede circumferant & effundant.

Cùm verò moderatiores inter ipſos ſimul & oculatiores haud obſcurè perſpexerint, per malè ſartum hoc effugium necdum ſe extra teli jactum conſtitutos, nec penitùs ab omni hæreſis notâ abſolutos eſſe, cùm haud ægrè divinaverint, Eccleſiam ne quidem in puncto facti argui velle de mendacio, idcirco ex conſilio ſtatuêre, aliud ſibi tutiùsque extruere propugnaculum pro inculpatâ ſuâ tutelâ & defenſione, quod appellant *ſilentium reverentiale ſeu reſpectuoſum*, quaſi dicerent linguâ doloſâ obſtinati hypocritæ. Legimus & relegimus codicem Janſenii, nec tamen veſtigium deprehendimus ullum in omnibus iis, in quibus eum accuſatis: Abſque vulnere conſcientiæ, ſine proditione veritatis evidenter à nobis cognitæ teſtari non poſſumus, doctrinam in Bullâ damnatam reperibilem eſſe in Auguſtino Jprenſi, cùm verò Eccleſia contrarium deciderit, digitum ori imponimus, Silentium reverentiale & reſpectuoſum nobis deſuper indicimus, ne turbaremus tranquillum Eccleſiæ, aut reſpectum illi debitum violaremus, vel diſciplinam Eccleſiaſticam imminueremus. Unde non dicimus Eccleſiam in hoc capite calcitrâſſe, interim tamen hortante Apoſtolo omnia probamus, quod bonum eſt tenemus, & aſſentimur intrinſecùs iis, quæ ratio ſuadet, quæ evidentia facti nos credere jubet: Cùm enim Eccleſia in rebus facti non ſit infallibilis, ultra reſpectuoſam ſubmiſſionem ac ſilentium reverentiale in hoc propoſito nihil poteſt exigere.

En ultimum en intimum Janſeniſmi receptaulum! quid non

attentaverunt aut machinati ſunt ? quem lapidem non moverunt, ut ſecuri hoc ſuo ſilentio ſilentium frangerent, atque contra Eccleſiam vinculum linguæ ſolverent, impuneq; mentirentur perſuadendo fidelibus, ſilentium hoc reverentiale & ſubmiſſionem reſpectuoſam eſſe totum & omne, quod Eccleſiæ debeant, quodque Eccleſia jure ab ipſis poſtulet: plùs ultra; eam ipſam ſummorum Pontificum authoritatem, quam convellere inceſſanter ſtudent improbo labore, & laborioſâ verſutiâ, hanc ipſam, inquam, in teſtem ac judicem cauſæ ſuæ allegârunt: pro ſilentio reverentiali omnium ora loquantur, etiam os Eccleſiæ Romanus Pontifex non ſileat.

Clemens IX. dicunt Janſeniſtæ, ex paternâ ſuâ benignitate & benevolentiâ conceſſit, ſimul & teſtatus eſt, ſe eſſe contentum de quatuor Epiſcopis, conſtanter puram & ſimplicem formularis ſignaturam recuſantibus, quique illud formulare aliter non ſubſignaverant niſi expreſſâ reſtrictione, ſe quoad quæſtionem facti nihil præſtare præter ſubmiſſionem reverentialem ac ſilentium reſpectuoſum; exinde inferunt, Eccleſiam ultra hoc ſilentium nihil prætendere: addunt ulterius, Innocentium XII. non reſpondiſſe quidquam ad porrectum memoriale à quodam ex primatibus hujus ſectæ in Belgio, in quo ſuo ſuorúmque confratrum nomine apertè proteſtabatur, quòd per ſubſignationem formularis quoad factum Janſenii non aliter ſe obligent & adſtringant, niſi ad ſilentium reverentiale reſpectûs gratiâ; ad hoc, inquiunt, altefatus Papa non reſpondit quidquam; jam verò, qui tacet, conſentire videtur: tale ſilentium Supremi Capitis in loco & occaſione, ubi loqui debuiſſet & potuiſſet, eſt conſenſus tacitus & approbatio declarationis ſibi præſentatæ.

Valde debiles ſunt rationes iſtæ obfuscandis quàm illuſtrandis oculis aptiores: nemo ſe his excæcari permittet præter illos, qui ſponte cæcutiunt, ne videant & convertantur, neve ſentiant durum pungentis conſcientiæ ſtimulum. Verumtamen hæ ipſæ ratiunculæ quamvis tenues & modicæ facem tamen præferunt, quâ magis ac magis peſſima fides Novatorum appareat; Quis enim ex vi-

ris vel modicum ſenſatis & oculatis ſibi perſuaſerit, **Romanos Pontifices** ſeſe invicem arguere mendaces in ſtateris ſuis ac judiciis, & quidem in re tam arduâ, tanti ponderis ac ſummi momenti, in quâ Beatiſſimi Patres altiſſimâ prudentiâ ac profundiſſimâ circumſpectione omnes greſſus ſuos dinumerabant, in qua nihil magis agebatur quàm ut ſolemnes & authenticæ deciſiones Eccleſiæ in ſuo robore confirmentur?

Præterea, demus, non concedamus, quòd Clemens IX. & Innocentius XII. eòuſque condeſcenderint Novatoribus (de qua condeſcendentia fictitia magnopere gloriantur & prævalenter triumphant) dato hoc non conceſſo, nunquid vel minimum præjudicaret aut derogaret hic actus Papalis Authoritati totius Eccleſiæ adèo ſolemniter circa factum Janſenii pronuntiantis, ac de fide tenendum decernentis? abſit; niſi velis in caſu, quo Papa fieret hæreticus, aut communicaret cum hæretico declarato, totam quoque Eccleſiam credendam eſſe hæreticam, & adoptaſſe errores ſui Pontificis, quod nullus unquam ex Catholicis dixerit, & multò minùs ullus ex Janſeniſtis, qui propè nullam in Papa authoritatem ſuſpiciunt niſi pendentem ab Authoritate Epiſcoporum.

Verumtamen (ut reiterem jam toties decantata) falſiſſimum eſt, quòd ullus ex Pontificibus in hoc negotio quid minimum retractaverit. Gallia novit univerſa & plenitus informata, quòd Clemens IX. non aliâ ex causâ dixerit, ſe contentum eſſe cum quatuor Epiſcopis, niſi ex relatione, eos ſubſignaſſe formulam ſine reſtrictione. Hoc patet & eluceſcit ex ipſo Brevi Pontificis ad quatuor Epiſcopos miſſo, in quo præciſè declarat ac proteſtatur, ſe immobiliter & fortiſſimo nexu adhærere conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum, nec unquam voluiſſe reſtrictioni conſentire, aut ullam acceptare gloſſam. Huic Brevi ſuffragatur aliud ejuſdem Papæ ad Regem Galliarum, in quo teſtatur, ſe intellexiſſe ingenti cum gaudio à Chriſtianiſſimâ Majeſtate, quatuor Epiſcopos ſimpliciter & purè debitâ ſubmiſſione formulam ſubſignâſſe.

Digitized by Google

Quod concernit Innocentium XII. pariter conſtat illum Pontificem, quamvis ex juſtis & prægnantibus cauſis non ſtatim ad declarationem deputatorum ex Belgio reſponderit, juſſiſſe paulò poſt publicare & expedire decretum pro Flandria, vi & tenore cujus ſeriò prohibet, ne quisquam attentare præſumat, formulari ſubſignando alium affingere ſenſum, præter eum, quem verba ſonant & qui ſe fluidè ac naturaliter intellectui inſinuat; hanc inhibitionem poſtliminiò ſtabilivit binis Brevibus ad duos Flandriæ Epiſcopos expeditis, quibus declarat, ſe exemplo prædeceſſorum inviolabiliter alligari conſtitutionibus ab Innocentio X. & Alexandro VII. emanatis, in quibus nunquam jota vel apicem immutaverit aut reformaverit, utpote quæ hactenus retinuerint, & deinceps invariabiliter retenturæ ſint ſuam authoritatem & priſtinum robur; quòd nunquàm ſit permiſſurus fieri in ſic dicto formulari vel minutiſſimam variationem, & quòd illi, quibus ſignatura incumbit, teneantur ſignare ſimpliciter ſeclusâ exceptione, reſtrictione, diſtinctione quâcunque; Hæc memorata ſunt Acta & Facta publicæ notoreitatis, adeoque nihil ſupereſt niſi forſan enaſcens ſtupor & attonita admiratio de audentia ne dicam impudentia Novatorum, de ipſa ſua clade triumphantium: gloriantur nempe etiam dum cadunt, ac mutant clypeos Danaûmque inſignia, iis ipſis armis veritatem impugnando, quibus tam potenter veritati ſuccurritur.

Quòd ſi cuncta hucusque dicta nondum ſufficienter occludant ora Novantium, citanda eſt conſtitutio moderni Pontificis Clementis XI. ratione famoſi conſcientiæ casûs Clermontani. Quadraginta Doctores vaferrimis Novatorum ſuggeſtionibus præoccupati deciderant, quòd Confeſſarius poſſit abſolvere pænitentem, qui ſe ſubjicit Eccleſiæ deciſionibus circa quinque propoſitiones quoad punctum *Juris*, licèt pro puncto *facti* non niſi ſubmiſſionem reſpectuoſam ac ſilentium reverentiale promitteret. Hâc deciſione temerariâ, cujus funeſtæ ſequelæ mox advertebantur, commota eſt univerſa Civitas, omnes excitati ſunt Zeloſi Catholici: ut præcluderetur ſimul & repararetur ſcandalum, ad oraculum recurre-

bant, Romanum Pontificem conſulebant, qui poſt ſerium & ſeverum examen Conſtitutionem deſuper publicari voluit, vi cujus damnat hanc propoſitionem ut erroneam, ejuſque ſequelam & tutelam prohibet ſub pæna Excommunicationis; declarat ſilentium reverentiale neutiquam ſupplere ſufficientem obedientiam Eccleſiæ debitam; intimat univerſos teneri credere de fide, intrinſecè & in conſcientiâ aſſentiri *factum* Janſenii tale eſſe, quale fuit deciſum & declaratum, ac tandem proteſtatur, ſub hoc ſilentio reverentiali nihil aliud palliari niſi ſubmiſſionem fictitiam, plenam hypocryſi & nequitiâ, ſub cujus velamine foveatur ſcandalum completæ rebellionis.

Quis enim verò in effectu non videat, hoc ſilentium, reverentiale ſive obſequioſum licèt ſanctè ſervatum, nequaquam in reſpectum ſed deſpectum, vergere Romanæ Eccleſiæ? non illud planè reverentiale ſed exitiale dixeris: Et quid ni? nam pertinaciter defendere, Eccleſiam in ſæpe facto Janſenii facto erràſſe, quid aliud ſonat, niſi eam uno halitu temeritatis & præſumptionis, illuſionis & cæcitatis arguere? temeritatis, inquam, & præſumptionis, quòd auſa ſit abſolutè decidere de fide circa rem extra ſphæram ſuæ activitatis longiſſimè ſitam: illuſionis & cæcitatis, quòd putaverit ſe videre in libro Janſenii aliquod inviſible nec contentum in illo. Jam veró qui ſimiles de Eccleſia Catholica format Ideas, quid aliud agit, quid aliud attentat, niſi viliter eam contemnere, atttociter injuriis laceſſere? annon præſumptuoſo hoc auſu provocat indignationem Eccleſiæ, ſeſeque reddit dignum, quem vibrent fulmina Vaticani.

Abundantius hac de re convincimur obſervando, Novatores non alio motivo tractos adeò conſtanter Eccleſiæ recuſare debitam ſubmiſſionem in deciſione de *facto* Janſenii, quàm quia nec acquieſcunt in quæſtione Juris; cur enim tantopere reluctarentur Eccleſiæ doctrinam Janſenii condemnanti, niſi induratâ cervice juaſſent, quinque propoſitionibus Janſenio adſcriptis patrocinari? ex quo juxta propria inter ſe recepta principia in continua hæreſi & excommunicatione verſantur.

Si

Digitized by Google

Si Janſeniſtæ de Janſenii facto religioſè ſilentes ſaltem quæſtioni Juris ſubſcriberent, ſe ſéque in obvia quavis occaſione altâ voce pro Eccleſia declararent quoad ejus ſententias de quæſtione juris prolatas; ſi reticendo reverentialiter Janſenii placita, ſaltem Zelarent pro domo Dei amplectendo doctrinam quinque propoſitionibus oppoſitam, forſitan non immeritò fidem eorum puram, veram, & ſinceram crederes; nunc verò cùm paſſim audiantur, non obſtante aperta eorum proteſtatione, ac præſtito juramento, publicè cavillari, Janſeniſmum non niſi phantasma & chimæram eſſe hæreticam, Janſeniſtas eſſe hæreticos in Jdeis & imaginationibus Moliniſtarum, cùm identidem fidelium corda & aures ſolicitent ſcriptotenus & oretenus propoſitionibus ſuis ambiguis, æquivocis, & in Eccleſiæ dogmata armatis, pro doctrinâ Janſenii prurientibus, dum opportunè importunè totis nituntur viribus, omnibus utuntur induſtriis, ut fermento ſuo totam maſſam corrumpant, ac veneno inficiant, nemo utique illis injuriam fecerit contra ipſos clamando tanquam impoſtores, hæreticos, & hypocritas.

Cæterùm ne deſit aliquid ad tuam inſtructionem, notare te velim, falſiſſimum eſſe, quòd Eccleſia ſit fallibilis in quæſtione de Janſenii facto. Hoc ut profundiùs penetres, advertendum eſt, duas dari ſpecies facti. 1. enim dantur facta pura & perſonalia, nullatenus cohærentia cum jure, id eſt cum doctrinâ de fide & moribus. 2. dantur facta doctrinalia ſive dogmatica concatenata cum doctrinâ de fide & moribus, eamque exprimentia: in exemplo Quòd S. Auguſtinus baptizatus fuerit à S. Ambroſio, quòd Janſenius ſuam doctrinam ſincero animo ſubjecerit cenſuræ & judicio Eccleſiæ, hæc & ſimilia ſunt facta pura & perſonalia. Quòd volumina S. Auguſtini complectantur doctrinam ſanam & Orthodoxam circa materiam de gratiâ, quòd econtra Janſenius in ſuo Auguſtino Ipreſi dogmatizet Calvini ſententias circa gratiam, hæc & alia vocantur facta doctrinalia ſive dogmatica.

Omnes uno ore conceſſerint, Eccleſiam non eſſe infallibilem in factis primi ordinis, licèt indubitanter ſit inerrabilis in factis ſe-

cundi ordinis, adeò quidem, ut plures Theologi teneant, quòd, qui negat factum aliquod cum jure connexum, ſit hæreticus non ſolummodo præſumptivus ſed formalis (a) adeoque non eſt propoſitio temeraria, prout nonnulli tibi inſuſurrant ſi dicas: ***nemo ſine læſione fidei poteſt negare infallibilitatem Eccleſiæ tam in quæſtione de jure quàm de facto Janſenii.*** Ut juſtificetur hæc propoſitio non niſi Novatoribus temeraria, alieno haud indiget teſtimonio; ipſimet ejus cenſores ſuffragium ferent: Si enim ab illis quæſiêris, quid ſentiant de doctrinâ S. Auguſtini? nonne extemplò reſpondebunt cum celebrioribus ex ſuis, abſque periculo hæreſeos nec credi nec aſſeverari poſſe, in Auguſtini libris contineri errores, qui mereantur cenſuras Eccleſiæ? Quare hoc? reponunt; quia ſic non S. Auguſtinus ſed ipſa ſacra ſedes Apoſtolica damnaretur, quæ S. Auguſtinum ejúsque libros ab omni ſuſpicione hæreſis abſolvit.

Jam ſi ex mente Novatorum hæreſim ſapiat, aſſerere, doctrinam S. Auguſtini de gratiâ non eſſe Orthodoxam; quia unicus Papa declaravit hunc S. Patrem inoffenſo pede abſque erroris offendiculo poſſe percurri; cur non æquali jure intrepidè hæreticum dixeris illum, qui credit, doctrinam Janſenii eſſe Catholicam? poſtquam non unus ſed plures ſummi Pontifices ſuis conſtitutionibus ab Eccleſiâ receptis eam ut impiam, blaſphemam, & hæreticam declaraverunt? hìc nulla ſubſiſtit contradictio; hìc nullus ſupereſt locus diſtinctioni de *jure & facto*, cùm in præſenti propoſito agatur de duobus factis æqualiter dogmaticis, in quibus Eccleſia pari gaudet & pollet infallibilitate.

Quid jam ſentiendum de ſequelis ex aſſe hæreticis, quas opinio contraria parturit? ſi enim Eccleſia non ſit infallibilis in hujuſcemodi factis, nonne evidenter ex inde ſequitur, illam eſſe orbatam ſufficiente lumine, requiſitâ authoritate ad inſtruendas & gubernandas animas ſibi concreditas? nonne ſequitur, quòd Eccleſia poſſit paſcere oves ſuas mendacio loco veritatis proclamando librum Orthodoxum pro hæretico, & viciſſim hæreticum pro Or-

(a) Petrus Ann. apparat. ad Theol. poſit. t. 2. lib. 2. a. 3. 4.

Digitized by Google

thodoxo ? & quod majus eſt , nonne ſequitur Eccleſiam nunquam potuiſſe nec poſſe approbare vel reprobare , ne dicam ullum librum vel codicem , ſed ne quidem ullum fidei ſymbolum , neque reſcindere unicam propoſitionem hæreticam ? conſequentia eſt urgens & neceſſaria ; quid enim faciliùs eſt , falli & errare in ſenſu brevis cujusdam propoſitionis à diverſis diverſimode explicatæ ? vel in ſenſu integri textûs & in longum ac latum protracti diſcursûs , in quo Author ſenſus ſuos mentales patentibus terminis ita eviſcerat , ut nullus remaneat dubitandi locus in intellectu legentis ? utique facilius errabitur in illo priore quàm hoc ſenſu poſteriore. Si ergo Eccleſia Janſeniſtis ſit errabilis in deciſione de ſenſu integri libri & diſcursûs protractioris , cur non in deciſione de ſenſu breviſſimæ propoſitionis ? quòd ſi in utroque caſu ſit fallibilis , ad quid ſervit illa diſtinctio de jure & facto ? nonne de jure & facto ſunt hæretici , qui omnem penitùs Eccleſiæ Chriſti negant infallibilitatem ?

Incaſſum laborant Novatores , qui ne hæretici notentur , pro ſe citant Authores ac Thelogos Catholicos affirmantes , judicium Eccleſiæ utpote fallibile in deciſione de rebus *facti* , non eſſe de fide & obligatione audiendum ; hoc effugio non evadunt Janſeniſtæ , nec ſe ab hæreſis notâ & ſuſpicione purgant : dato enim tales reperiri inter noſtros Theologos , quid inde ſequitur , niſi quòd inſtar Janſeniſtarum contra ſtimulum Veritatis & conſcientiæ calcitrent , & ſi ſint verè Catholici , uti ſupponitur , tunc ſequitur eos poſt Eccleſiæ deciſionem quantocius mutaſſe ſententiam , utpote non amplius defenſibilem ſed hæreticam : nonne tenemur in conſcientiâ ea cuncta tenere , & credere , quæ credit & tenet Eccleſia ? jam verò tenet & credit Eccleſia , univerſos fideles obligari ſe ſubmittere ejus judicio circa hujusmodi quæſtiones facti , dum id credere præcipit ſub pænâ excommunicationis , ergo &c. Huic ratiocinio ſubjungo aliud æquè convincens circa conſtitutionem moderni Pontificis. Sic argumentor : De fide eſt , Eccleſiam eſſe infallibilem ſaltem in rebus puri juris ; ſilentium reverentiale , de quo hîc agitur , eſt de re & quæſtione puri juris , quia reſpicit purè & uni-

cè caſum conſcientiæ; ergo Eccleſiæ deciſio circa hoc ſilentium eſt infallibilis.

Supponamus enim Theologos inter ſe concertare, utrum filius teneatur ſuo parenti obedire in qualicunque conjuncturâ aut occaſione? ſupponamus Eccleſiam, ad quam ſit delata hæc controverſia, decidere affirmativè, quòd teneatur ad obedientiam illimitatam; quis Orthodoxus auderet hanc deciſionem infringere, eique tanquam erroneæ contraire ſub prætextu Eccleſiam ſic decidendo erraſſe? Caſus in quo verſamur hoc articulo eſt huic ſimillimus: diſputatur de obedientiâ præſtandâ Eccleſiæ circa ejus deciſionem de Facto Janſenii, vel utrùm ſufficiat ſilentium reſpectuoſum in hoc negotio? ſunt qui tenent affirmativam, ſunt, qui negativam. Huic litigio ſe interponit Eccleſia Spiritu Sancto afflata, utitur ſuo lumine, ſuâ authoritate à Sponſo acceptâ, pandit ſolemni ritu, omnes omninò teneri eam audire, illi credere & obedire etiam in quæſtione de Janſenii facto, nec ſilentium reverentiale ſufficere: Unde nemo niſi hæreticus dixerit, hanc deciſionem eſſe erroneam. Hinc obligamur in conſcientiâ ſub pænâ damnationis æternæ huic judicio acquieſcere ſine reſtrictione mentali, cum intrinſeco & ſincero aſſenſu, factum Janſenii non eſſe chimæricum, purè imaginarium, ſed realiſſimum, veriſſimum, actualiſſimum.

Prætexere poſtmodum, quaſi ſæpè memorata deciſio & condemnatio ſit ſubreptitia, violenter extorta machinationibus aulæ ac conſpiratione pſeudo-politicorum, nonne eſt effrons temeritas digna plagis nunquam ſat infligendis, digna, cui divinæ humanæque leges iraſcantur? nonne hic prætextus apertam profitetur hæreſim, apertè proclamat, portas inferi prævaluiſſe contra Chriſti Eccleſiam? ſiccine contradicis Chriſto? ſiccine in Regem audes quaſi Tyrannum, quaſi proditorem juſtitiæ? quid hic prætextus niſi hæreſim & blaſphemiam in Deum, niſi calumniam & ſeditionem in Regem ſapit? ſiccine loquatur Catholicus? ſiccine Gallus? ne dicam loquatur, ſiccine ferat & patiatur ſermones hujuſmodi abſque indignatione cordis & effuſione bilis?

Digitized by Google

DE GRATIA SUFFICIENTE.

ARTICULUS VI.

DUo Hæreticorum genera, ait Bellarminus, quamvis invicem plurimùm diſſita conſpirârunt, ut tollerent ſufficientem gratiam omnibus datam ad ſalutem. Primi generis ſunt Pelagiani & Semi-Pelagiani, qui aut nullam agnoſcunt interiorem gratiam abſolutè neceſſariam, ut declines à malo & facias bonum, aut ſi admittunt, tunc præparatam quidem aſſerunt omnibus hominibus ſed illis duntaxat conceſſam, qui eam propriis naturæ viribus obtinere ſtudent. Secundi generis ſunt Lutherani, Calviniſtæ, Janſeniani, qui nullam volunt differentiam inter gratiam ſufficientem & efficacem, docentes, Deum nullis ſuppeditare verè ſufficientem ſuccurſum ad æternam ſalutem, niſi illis, qui actu ſalvantur, id eſt, prædeſtinatis tantùm non verò reprobis.

Contra hunc duplicem tantopere oppoſitum errorem tenemur cum univerſâ Catholicâ Eccleſiâ de fide credere, omnem hominem venientem in hunc mundum à Deo illuminari, & adjuvari ſuo loco ac tempore opportuno mediatè vel immediatè, proximè vel remotè per gratiam verè ſufficientem pro aſſequendâ gratiâ, veniâ, gloriâ, pro vitando peccato, agendâ pænitentiâ &c. Hæc eſt veritas Orthodoxa tam certa & inconcuſſa, ut nemo illam negaverit ſine ſuſpicione & notâ craſſi erroris in fide, vel ſi fortiùs loqui liceat, ut hanc veritatem nemo ſine formali ac propriâ hæreſi abijcere valeat.

Verum eſt equidém hunc fidei articulum non ſpectare inter principaliores noſtræ Religionis veritates, quas Theologi explicitè revelatas nuncupant, ex eo, quòd non reperiatur clarè & diſtinctè in ſacris paginis expreſſa, nec explicitè definita in aliquo Concilio generali; eſt tamen ex numero veritatum, quas implicitè revelatas appellant, in quantum ſcilicet ſunt connexæ & eſſentialiter incluſæ

F 3

in illis & aliis expreſſis veritatibus, quæ ſine tali implicitâ veritate ex toto ruerent.

Certè ſi Deus non provideat omnibus hominibus de neceſſariis ac ſufficientibus ad ſalutem mediis, quomodo ſubſiſtet veritas illa, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt nullo excepto? Deus vult omnium ſalutem, nec ut unus pereat de puſillis iſtis?* quomodo ſalvabitur veritas illa; *Deus creavit omnes homines, ut eum ament, & cognoſcant, illi ſerviant, ac tandem ſalutem conſequantur æternam?* Item. *Nullus eſt homo viator, qui ſalutem ſuam operari nequeat?* omnes & plurimi his ſimiles articuli ſunt clarè & patenter in ſcripturis poſiti, ac à Pontificibus & Conciliis explicitè definiti. (*a*)

Nec videtur quid evidentius, quàm illum, qui vult finem, velle quoque per eundem voluntatis actum ea media, ſine quibus impoſſibile eſt finem aſſequi, cùm ita neceſſariò velit unum cum altero, ut quaſi implicet conceptus de voluntate finis ſine conceptu de voluntate mediorum: cùm ſit itaque de fide tenendum, neminem exiſtere, qui non poſſit ſalvari & apprehendere vitam æternam, utique pronâ ſequelâ enaſcitur, omnes in hunc finem eſſe munitos gratiâ ſufficiente, quia nemo ſalutem ſuam operari valet niſi per gratiam. In exemplo. Si ſit de fide, Chriſtum Dei filium eſſe hominem factum, quis dubitet, eſſe quoque de fide, Chriſtum eſſe animal, cùm implicet homo, qui non ſit animal?

Ex hâc fortaſſis ratione & causâ Angelicus Doctor Thomas, loquens de objecto ſpei noſtræ, noluit ſuccurſum Dei neceſſarium pro acquirendâ gloriâ ſeparare ab ipsâ reali gloriâ & beatitudine, (ratione revelationis implicitæ) cùm prætendat, unum ſicut alterum nobis per fidem revelatum eſſe. (*b*) *Objectum autem ſpei eſt uno modo beatitudo æterna, & alio modo divinum auxilium, & utrumque eorum proponitur nobis per fidem, per quam nobis innoteſcit, quòd ad vitam æternam poſſumus pervenire, & quòd ad hoc paratum eſt auxilium divinum.* Genuina deciſio.

(*a*) Conc. Nicæn. can. 8. Conc. Later. ſub Innoc. III. cap. firmiter de ſummâ Trinitate.

(*b*) 2. 2. q. 17. a. 7.

Nec minùs deciſivum videtur eloquium Alexandri VIII. nam ecce quintam propoſitionem ex triginta & unâ, quas hic Pontifex damnavit ut temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, Deo injurioſas, hæreſi proximas, erroneas, ſchiſmaticas, hæreticas. Hæc omnia intellige reſpectivè; id eſt, quòd quælibet ex propoſitionibus illis ſibi attrahat unam ex mox dictis qualificationibus, ut una propoſitio ſit temeraria, altera ſcandaloſa, alia hæretica &c. Quinta illa propoſitio ſic ſonat. *Pagani, Judæi, & hæretici aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum: adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe nudam & inertem voluntatem ſine omni gratia ſufficienti.* (*a*)

Qua in re duo attentius ſunt obſervanda I. quòd Summus Pontifex non potuiſſet expreſſius ſuam ferre deciſionem circa gratiam ſufficientem omni homini ad ſalutem conceſſam, quàm damnando mox inſertam propoſitionem; ſi enim quiſpiam à beneficio generali ſufficientis gratiæ excludendus foret, abſque dubio tale infortunium caderet in Judæum, Paganum, hæreticum, aliumve ſimilem, nam de his ſolis aliquatenus dubitandum eſſe opinati ſunt nonulli Theologi. 2. benè notandum eſt, quòd nota ſeu qualificatio hæreſis, quæ tribuitur quibuſdam ex triginta & unâ propoſitionibus, maximè ad illas pertineat, quæ reducuntur ad quinque propoſitiones Janſenii ab Eccleſiâ damnatas, juxta egregiam reflexionem Authoris illius libri, cui titulus, *Lettres à un homme de qualité*; cùm verò indubitatum ſit, hanc quintam propoſitionem ab Alexandro VIII. damnatam reduci ad quintam propoſitionem Janſenii; hinc evidens videtur, eam eſſe reprobatam tanquam hæreticam, & per conſequens de fide revelatum eſſe, omnes homines etiam Judæos, Paganos, & hæreticos non deſtitui remediis ſufficientibus ad ſalutem, *neque enim juſtè puniri poteſt, qui ex divino auxilio non proficit, ſi auxilium non fuit ſufficiens*, ait Bellarminus. (*b*)

(*a*) 5. prop. inter 31. dam. ab Alex. VIII.

(*b*) De gratia & lib. arbitr. c. 5.

Vix aliquid validiùs, ut reor, aut magis convincens afferri poterit ad roborandam hanc inſignem veritatem noſtræ Religionis. Si tamen huic probationi acceſſerint rationes & authoritates particulares, quibus innititur, non profectò apparet, quis ſanæ mentis contra ſtimulum calcitrare audeat vel unico momento, niſi ſpontaneâ pertinaciâ cæcus juxta viam ſedeat.

Prima & quidem principalis inter plures eſt ſequens ratio: Si Deus non ſuccurreret omnibus per verè ſufficientia media ad vitandum malum & operandum bonum, ad perſerverandum in fugâ unius, & exercitio alterius, ad reportandam per conſequens æternitatis lauream; nonne ex parte Dei jocoſa foret & quaſi ironica dictio, quando nos partim minis dehortatur, partim promiſſis invitat in plerìſque locis ſcripturarum? nonne foret in cælum clamans injuſtitia, illos mancipare flammis æternùm devorantibus in pabulum, quibus neceſſaria & ſufficientia defuêre media ſe ſalvandi? aſſerunt enim Theologi poſt S. Auguſtinum, injuſtum eſſe perſonam punire de re impoſſibili; *quis non clamet, ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere? & iniquum eſſe eum damnare, cui non ſit poteſtas juſſa implere?* (*a*)

Quantùm ad authoritates & ſententias Patrum, tantus illarum eſt cumulus, tanta frequentia, ut vaſtiſſimum volumen vix eas caperet: Sufficiat ſaltem quaſdam principaliores SS. Patrum & Conciliorum Provincialium declarationes attuliſſe, quæ quidem adeò ſunt deciſivæ ad noſtrum ſcopum, terminis tam nitidis & apertis, ut Synagogam Janſenii de ſuâ causâ deſperare jubeant, omnéſque ejus technas ac ſerpentis infernalis virus aut vires penitùs enervent.

Neque tamen tanta gratia neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa ſemper in promptu ſit, & neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſit ad oſtium & pulſet. (*b*)

Quanquam nemo convertatur, niſi tractus per patrem; attamen ne-

(*a*) S. Auguſt. l. de fide contr. Man. c. 10.
(*b*) Conc. Senon. can. 15.

mo

mo excuſationem prætexat, quòd non trahatur; quòd ille ſemper ſtet ad oſtium pulſans, nimirum per internum & externum verbum commonens. (*a*)

Infinitum (*b*) *divini luminis pelagus, quod ſemper paratum eſt, & patet omnibus ad participandum.*

Si dies omnibus æqualiter naſcatur, & ſi ſol ſuper omnes pari & æquali lumine diffunditur, quantò magis Chriſtus ſol & dies verus in Eccleſiâ lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur. (*c*)

Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit; Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat. (*d*)

Homo à principio conditionis Deo utitur adjutore; & cùm illius ſit gratiæ, quòd creatus eſt, illiuſque miſericordiæ quòd ſubſiſtit & vivit, nihil boni agere poteſt abſque eo, qui ita conceſſerit liberum arbitrium, ut ſuam per omnia bona opera gratiam non negârit. (*e*)

Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; illuminat profectò, quantùm in ipſo eſt: ſi qui autem ſponte ſuâ mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, ſed ex malitia ſua, qui ſpontè tanto ſe dono indignos reddiderant. (*f*)

Quæ opitulatio per innumeros modos ſive occultos ſive manifeſtos adhibetur, omnibus & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitia, quòd autem à multis recipitur, & gratia eſt divina & voluntatis humana. (*g*)

Deus vult omnes homines ſalvos fieri; & ideò gratia nulli deeſt, ſed, omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat. (*h*)

Prout Deus dicitur velle omnium ſalutem, quantum in ſe eſt, & an-

(*a*) Conc. colon. An. 1536. p. 7. c. 32.
(*b*) D. Diony. l. de cæles. Hier. c. 9.
(*c*) D. Cyprianus. lib. 4. ep. 5.
(*d*) D. Ambros. Serm. 8. in Pſalm. 118.
(*e*) D. Hieron. in ep. ad Cyprian.
(*f*) D. Chrys. hom. 7. in Joan.
(*g*) D. Proſper. de vocat. gent. l. 2. c. 26.
(*h*) D. Thomas in cap. 2. ep. ad hebr. lib. 3.

cedenter in hominibus conatur ordinatio ad ſalutem, tum ex parte naturæ data, tum ex parte gratiæ oblata. (*a*)

Textus D. Auguſtini videantur in ſequentibus epiſtolis.

Fruſtra tandem deſudant Novatores, ac irrito conatu ſe pellibus ovium ac pallio Thomiſtarum operiunt. Nemo negat, nonnullos ex Thomiſtis defendere, gratiam ſufficientem non omnibus dari, ſi per hoc intelligas eam non ab omnibus recipi. Nullus tamen unquam ex Thomiſtis aſſeruit, gratiam ſufficientem non omnibus dari, ſi per hoc intelligas, eam non omnibus fuiſſe oblatam & præparatam.

Exemplo res clariùs eluceſcet. Porrigo tibi gladium, quo te contra hoſtem protegas: tu verò terga vertendo fugam arripis: in hoc caſu gladium dedi, dum obtuli, neque ex me pendebat, aut erat, quòd inimicum fugeris; interim neque tibi gladium donavi, quia porrectum non accepiſti, ſed inutilem in manibus meis reliquiſti; hæc eſt mens, hic ſenſus Thomiſtarum juxta explicationem Gonethi. (*b*) Hoc ipſum eſt, quod nec capiunt nec attingere volunt hæretici, qui ſicut Chriſtum non niſi pro prædeſtinatis mortuum eſſe obſtinaciter aſtruunt, ſic non niſi pro prædeſtinatis neceſſaria & ſufficientia media promeruiſſe, ac præparâſſe contendunt.

Hic fortaſſe non deerunt, qui interrogent: Undenam ſufficiens gratia omnibus à Deo conceſſa in quibuſdam ſortitur effectum, in pleriſque ſine effectu remanet? ad hoc quæſitum quis melius reſponderit ipſo Auguſtino? *Si duo*, inquit, *æqualiter affecti animo, & corpore videant unius corporis pulchritudinem,.... & ſi eâdem tentatione tententur, ut unus ei cedat atque conſentiat, alter idem, qui fuerit, perſeveret; quid apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere.* (*c*) Item; (*d*) *cùm voluntate humana gratia adjuvante divina ſine peccato homines poſſint eſſe, cur non ſint? poſſem facillimè ac veriſſimè reſpondere, quia ho-*

(*a*) D. Bonav. 1. d. 46, a. 1. q. 1.

(*b*) Goneth. tract. 5. de prædes. & reprob. diſp. 5. art. 5.

(*c*) Lib. 12. de civit. Dei. cap. 6.

(*d*) Lib. 2. de peccat. merit. & remiſs. c. 17.

Digitized by Google

mines nolunt.' En totam rationem hujus diſcriminis, quia unus vult, alter non vult reſpondere motibus gratiæ, cùm tamen uterque potuiſſet eodem auxilio ſuffultus facere, quod Deus juſſit, eodem inquam auxilio, quod Dominus ex vera & ſincera intentione utrique conceſſit, ut in utroque fiat efficax.

Nec tamen exinde quiſquam concludat gratiam neceſſitanter ſubjectam eſſe libero arbitrio, prout ſomniant Novatores de doctoribus Catholicis, eos accuſando, quaſi ſoli voluntati humanæ attribuerent totam acceptationem oblatæ gratiæ, cùm tamen ex adverſo contrarium doceant unanimi calculo, nimirum, humanam voluntatem ex ſe omni ſupernaturali motu ad bonum deſtitui, nec aliter in bonum tendere, niſi dependenter à gratia; hinc ſi voluntas bonum operetur, tunc conſenſum voluntatis potius eſſe effectum, quàm cauſam gratiæ.

Neque etiam quiſquam ſibi perſuadeat, exinde deſtrui gratiam efficacem per ſe ipſam, prout in vanùm præſumunt Janſeniſtæ; licèt enim antecedens efficacia gratiæ explicaretur per prædeterminationem phyſicam (quæ explicatio multis videtur nimiùm favens modernis erroribus) innegabile tamen eſt, dicunt Thomiſtæ, hanc determinationem minimè præjudicare libertati, ita ut gratiæ, ejúſque motibus liberrimè aſſentiar, vel reſiſtam; gratiam verò ſufficientem, quæ prædeterminationem & gratiam efficacem antecedit, plenum velle & poſſe ad agendum vel non agendum ſuppeditare. Quomodo iſtud? quia, inquiunt ulterius, ille, qui huic ſufficienti gratiæ non reſiſtit, ſed reſpondet, nunquam carebit gratia efficaci, quâ bonum in effectu, & praxi exerceat, ac ſi dicerent; prædeterminatio phyſica eſt illa, à qua habetur hic actus, & ad quem impoſſibile eſt ſe determinare per gratiam ſufficientem, cùm hæc non niſi poſſe ſine actu tribuat, nec dare valeat determinationem actualem, quam ipſa non habet. Tenent Alvarez, Joannes à S. Thoma, ac præſertim celeberrimus Thomas de Lemos.... Auxilium ſufficiens eſſe tale, ut præter ipſum requiratur aliud ad agendum, nimirum auxilium efficax. Sed quod no-

Digitized by Google

tatu digniſſimum eſt, ulterius afferunt, quòd ſi homo bene uteretur auxilio ſufficienti ſibi collato, Deus infallibiliter tribueret auxilium efficax ad agendum; ita ut ſola hominis culpa ſit, quòd hujuſmodi auxilio careat, & quòd non operetur de facto. (*a*)

Hoc poſito haud difficulter occurritur illi quæſito, utrùm verum ſit, gratiam in quibuſdam nunquam fore efficacem, egerint, & agant quodcunque voluerint? reſpondeo talem propoſitionem non tantùm fore falſiſſimam, verùm etiam formaliter hæreticam, cùm Eccleſia doceat, omnes provideri gratiis ſufficientibus, quæ fiant vel fieri poſſint efficaces, vel quas ſequatur efficacia; quod idem eſt ac dicere, has gratias tunc in nobis ſuos ſortiri effectus, quando ipſis non reſiſtimus, ſed conſentimus; hanc verò cooperandi potentiam veraciter intra nos exiſtere declaravit Eccleſia condemnando quartam propoſitionem Janſenii.

Quapropter ſolicitè caveas, ne ſeducêris ſub ſpecioſo nomine gratiæ efficacis Thomiſtarum, quam doctrinam hodierni hæretici ideò tubâ canunt, & quaſi buccis crepantibus intonant, ut dementent eos, qui vel omnino rudes, vel tantillùm, & leviter tincti in Theologicis ignorant diſcrimen propemodum infinitum inter gratiam efficacem Thomiſtarum, & Janſeniſtarum. Non audias in arduo hoc ſaltu niſi Matrem Eccleſiam, quæ puriſſimis divini ſui Sponſi irradiata ſplendoribus fugat tenebras, occaſum neſcit. Solerter devites inanes fabulas, nec te intrices nimis ſpinoſis quæſtionibus, quæ ad rem non pertinent, quæ te nec ſapientiorem nec ſanctiorem reddent: Contentus eſto, te illud ſcire, quod omnes docent Doctores Catholici; nimirum tantam intercedere diſtantiam, tantum diſcrimen inter doctrinam Doctoris Angelici, & Iprenſis, quanta reperitur oppoſitio lucis ad tenebras, & veritatis ad mendacium.

(*a*) Bancel. tom. 2. tract. 4. q. 3. a. 2. ß. 1. pag. 225.

DE INFIDELIBUS ET PARVULIS ſine Baptiſmo mortuis.

ARTICULUS VII.

Conſtat equidem Janſenii ſectatores in hoc eſſe hæreticos, quòd etiam velint, Chriſtum non niſi pro prædeſtinatis mortuum eſſe, ac ſanguinem fudiſſe; ſed & hæretici ſunt, qui aſſerunt, Chriſtum quidem mortem ſubiiſſe pro omnibus fidelibus tam prædeſtinatis, quàm reprobis, non tamen pro infidelibus, & parvulis ſine baptiſmo mortuis. Hæc eſt enim quarta propoſitio inter damnatas ab Alexandro VIII. quæ ſic ſonat: *Dedit ſemet-ipſum pro nobis oblationem Deo non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.*

Unde ſicut hæc propoſitio evidenti nexu cohæret cum quinta Janſenii, ſic conſequens eſt ex diſcurſu ſuperius illato cum quodam perdocto Authore, eam æquè infamari qualificatione, & notâ hæreſeos, ac propoſitio quinta Janſenii, de qua articulo præcedente.

Mox memoratam propoſitionem directè pugnare cum una ex maximè præcipuis Veritatibus fidei nemo non videt, qui aliquid videt: manifeſtum eſt hanc propoſitionem ab Alexandro damnatam auſu temerario contraire oraculo Apoſtolico Pauli, qui nos conſolatur, quòd Jeſus Chriſtus ſit Salvator omnium hominum maximè fidelium: infideles, & parvuli, qui ſunt in quæſtione, nonne & ipſi homines ſunt, quod Apoſtolus atteſtatur de omnibus hominibus, cur non & his conveniat? qui negat Chriſtum pro infidelibus, & parvulis mortuum, negat infideles, & parvulos in Adam fuiſſe mortuos. *Nega igitur Chriſtum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum*, inquit Auguſtinus. (a) Audi Apoſtolum: *quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* (b) Item: *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivifica-*

(a) L. 6. contra Julian. c. 9.
(b) 2. ad Cor. 5.

buntur. Duo igitur prægrandes fidei articuli hîc loci ſtabiliuntur. 1. Chriſtus mortuus eſt pro omnibus hominibus. 2. omnes homines in Adam mortui ſunt. Hæ duæ veritates adeò inter ſe ſunt connexæ, ut una ex altera fluat utrinque alternante ſequela: videtur imò priorem propoſitionem, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, eſſe quaſi baſin poſteroris magis ſolidam, minúſque controverſam, quàm illa; *omnes in Adam peccaverunt.* Nam ut pulchrè reflectit S. Auguſtinus, *probat hoc loco Apoſtolus omnes in uno ſolo mortuos eſſe ex eo, quòd unus ſolus pro omnibus mortuus ſit; quaſi ex propoſito nobis inſinuaret, ideò tenendum, quòd nullus ſit à morte Adami excluſus, quia nullus eſt à morte Salvatoris excluſus; ex hoc enim probavit Apoſtolus omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus: impingo, inculco, infarcio recuſanti: accipe, ſalubre eſt; Unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Vide quàm conſequens eſſe voluit: ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt.* Uſque huc Auguſtinus. (a)

Advertas, quæſo, & Apoſtoli ; Doctoris gratiæ D. Auguſtini ratiocinium, ex quorum ore, & calamo quaſi ſingula verba depromo. *Unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*: non ſecus ac ſi diceret Paulus: Chriſtus eſt mortuus pro omnibus, ergo ſequitur neceſſariò, omnes in Adam mortuos eſſe, & peccaviſſe. Nihil evidentiùs hâc conſequentiâ, nihil ſenſibus tantopere pervium; quæ conſequentia cùm ſit univerſalis complectens omnes homines in ſpecie & in individuo ſecluſa omni exceptione, hinc neceſſe eſt, etiam præmiſſas eſſe univerſales, ſecus enim frivola foret, & claudicans hæc ſequela, ac negari poſſet optimâ veniâ: Nullus etenim ex Dialecticis conceſſerit præmiſſas limitatas, & particulares generare conſequentiam illimitatam, ac univerſalem; Nemo Dialecticâ imbutus permiſerit, ut termino in concluſione alium ſenſum induas, quàm in præmiſſis.

At quorſum feror? quo impetu rapior contra propoſitum in velitationes ſcholarium? retraho greſſum, ſimul & relinquo potens

(a) L. 6. cont. Julian. c. 4.

Digitized by Google

ratiocinium Pauli, & Auguſtini, eſt enim ex ſe adeò clarum, & pellucidum, ut ei addidiſſe quid luminis decerpſiſſe ſit.

Dices fortaſſe, quis capiat, quis comprehendat, Chriſtum etiam pro infidelibus & parvulis mortuum, quibus præcluſæ videntur omnes ad ſalutem viæ, & acceſſus, qui penitus abſciſſi videntur de terra viventium, ſine mediis, & remediis ad vitam ſufficientibus? reſpondeo: ſi non capis, ſi non comprehendis, quid exinde ſequitur? num idcirco non teneris niſi ad fidem eorum, quæ comprehendis? abſit: quorſum enim abiret fides noſtra & Religio Orthodoxa, ſi nihil credendum ſit præter id, quod capimus? ſic, ut ait Gregorius Magnus, (*a*) ***nulla ſupererit fides divina, & ſupernaturalis, ſed ſola naturalis & ſimplex Philoſophia; quæ enim apparent, jam fidem non habent, ſed agnitionem. Fides***, dicit (*b*) Auguſtinus, ***ſemper prævenit viſionem; credimus enim, ut cognoſcamus; non cognoſcimus, ut credamus.*** Item: ***fides, quod non videt, credit; nam ſi videt, non eſt fides.*** (*c*)

Cavendum itaque, ne unquam ore excidant in rebus fidei hi aut ſimiles ſermones: hoc non eſt credibile, non poſſum capere; loquela tua manifeſtum te facit ut impium, & inſanum. Quot enim myſteria & gratiæ & naturæ credimus? quot abſcondita cæca credulitate tenemus in ordine naturali, & ſupernaturali, quæ minimè capimus? nonne credimus profundiſſima Trinitatis, & incarnationis myſteria? quis interim perſcrutando penetrat tria eſſe unum, & unum tria? Divinam, & humanam naturam eſſe unam identitate & unitate perſonæ? nonne credimus virtutes, & proprietates ſimplicium? fluxum, & refluxum maris? cœlorum motus concentricos, & excentricos &c. propagationem ſpecierum, mille alia naturæ prodigia prorſus ſtupenda, inſcrutabilia? nec talia quis unquam plenâ penetratione pertranſivit.

Quàm intolerabilis igitur ſimul & incomparabilis præſumptio, quanta temeritas, nolle credere, Chriſtum pro omnibus mor-

(*a*) Hom. 26. in Evangel.
(*b*) De verâ relig. c. 350.
(*c*) Ibidem c. 361.

Digitized by Google

tuum eſſe abſque exceptione, idcirco, quòd media illa abſcondita ignoremus, quibus utitur Deus, ut omnes reddat participes meritorum paſſionis, ac mortis ſuæ, & *qua opitulatio per univerſos modos ſive occultos, ſive manifeſtos omnibus adhibetur*, ait St. Proſper (a) *Quid* urget admirabili energiâ (b) S. Auguſtinus, *nunquid ideò negandum, eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt? nunquid, inquam, propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe, quoniam cur ita ſit, non poſſumus invenire?* Scriptura, Patres, Concilia, ſupremi Pontifices, omnes doctores Catholici uno ore profitentur, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, nullo excepto; nos verò ex adverſo clamamus contrarium, ex eo, quòd non capiamus, quomodo hæc fieri poſſint: prô quanta cæcitas! qualis dementia!

Itaque non deinceps ex me poſtules cauſas, & rationes convincentes, quomodo hæc fieri poſſint; non enim ratione, ſed authoritate ducimur ad credendum; cæca nimis & infirma eſt ratio, ut fidem roboret; neque etiam ratiocinium, ſi tale deſideres, generandæ, ſed ad ſummum conſervandæ fidei famulatur: Interim pro certo teneas, quòd dura cervix hæretici non ſolùm Spiritui Sancto reſiſtat, ſed & lumini rationis: non flectitur obſtinatus in hæreſi nec evidentiſſimis argumentis, nec primæ admirationis miraculis, ſi aliquando aures obturaverit ad vocem Paſtorum Eccleſiæ, juxta divinum eloquium Salvatoris. *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* (c)

Perſuaſus proinde, te fore docibilem Dei & Auditorem Eccleſiæ, dico & pronuntio cum univerſa Theologia Catholica, quòd etiam Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujuſmodi conditionis homines habeant ſuas gratias ſufficientes ſaltem remotas, quibus ſi cooperantes manus darent, Deus ulteriores, & proximiores adjiceret ad obtinendum fidei, & perſeverantiæ donum, ad aſſequendum pon-

(a) De vocat gent. lib. 2. c. 26.
(b) De don. perſever. c. 14.
(c) Lucæ c. 16.

dus

dus æternæ gloriæ. quam ob rem D. Thomas: *hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur; ſi enim taliter* (id eſt in ſylvis) *nutritus ductum rationis naturalis ſequeretur in appetitu boni, & fugâ mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium* (a)

Quoad parvulos ſine baptiſmo ex hac vita migrantes grandior ſupereſt difficultas; cùm enim ratione careant, incapaces videntur recipiendis gratiis ſufficientibus, quæ potiſſimùm conſiſtunt in illuſtrationibus intellectûs, & motionibus voluntatis. Nihilominus opportet credere, docent & dicunt Catholici poſt S. Proſperum, quòd Deus generali ſua providentia, quantum ex parte ſui expediens erat, etiam parvulis præparaverit ſufficientia ſalutis media opportuno tempore applicanda per parentes, Baptiſmi miniſtros, cauſas ſecundas &c. quorum defectus nequaquam in Deum providentiſſimum ſunt refundendi: D. Proſper candidè deſuper ſuam mentem aperit. *Non irreligiosè credi arbitror ..... quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus .... quæ quidem nec illis, qui renati non ſunt, in parvulis defuit.* (b)

Sicut enim Medicus, prout non ineptè notat doctus Boivin, ægroto parvulo ad revaleſcentiam ſufficienter providiſſe cenſetur, qui congruam præparavit medicinam, eámque nutrici tradidit tempore opportuno applicandam, licèt poſtea nutrix vel ex malitia vel ignavia parvulum ante adhibitam medicinam exſpirare ſinat; ſic Deus ſufficienter providiſſe ſaluti parvulorum cenſendus eſt pro illis inſtituendo ſalubre baptiſmi remedium, licèt deinde vel culpa parentum, vel ſomnolentia paſtorum, vel inordinatio cauſarum naturalium applicationem hujus remedii impediverint, quod tamen

(a) De Verit. q. 14. art. 11. ad 1.
(b) L. 2. de Vocat. gent. c. 23.

quod tamen Deus vera & ſincera intentione dedit, ut ſaluti congruat.

Verum eſt equidem in hac aſſimilatione differentiam eſſe, quòd medicus non habeat dominium in cauſas ſecundas ſicuti Deus, qui earum curſum moderatur verbo virtutis ſuæ, interera fatendum eſt, quòd, ſicut medicus cauſas ſecundas non impedit ex impotentiâ, ſic Deus illas non impediat ex omniſcientiâ; cúm enim ſit ſicut Author gratiæ ſic Author naturæ ejúſque Proviſor Univerſalis, non vult ex ſpeciali & extraordinario privilegio efficacis providentiæ erga parvulos interturbare curſum naturalem & ordinarium rerum: & hoc ex altiſſimis æternæ ſapientiæ ſuæ arcanis, quæ nobis æquè ſunt inacceſſibilia, ac illi, qui de profundis clamavit humiliationis: *O Altitudo divitiarum ſapientia & ſcientia Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles via ejus.*

Adeoque neceſſe eſt fateri, Deum velle antecedenter & ſufficienter Baptiſmum applicari omnibus parvulis ad ſalutem, licét id nolit conſequenter, & permiſſivè, prout V. g. Deus antecedenter & ſufficienter vult converſionem quorundam Janſeniſtarum, quibus præparavit, obtulit, & contulit ſufficientes ad ſalutem gratias, non tamen eam vult conſequenter, efficaciter & permiſſivè, cùm non elargiatur congruas illas & efficaces gratias, quibus prævidet infallibiliter frangendas eſſe duras eorum cervices, eò quòd juſte irritatus Perficâ Novatorum arrogantiâ nolit abſolutè impedire, ne pereant, & moriantur in peccatis ſuis, nolitque, eos ungere ſpeciali aut extraordinariâ unctione miſericordiæ ſuæ.

Hæc ſunt, ni fallor, motiva non mediocris efficaciæ; ſin minùs ut convincant rebelles Eccleſiæ, ſaltem ut confirment & conſolentur eos, qui ex viſceribus ratiocinii credulitati ſuæ robur, & præſidium quærunt. His accedit, quod tota affirmat ſchola Catholica, parvulos quidem ex defectu baptiſmi pænam damni non tamen pænam ſenſûs incurrere. Hæc eſt communis & in Eccleſia ſummè authorata opinio, quam tamen Novatores ſubvertere meditantur ementita Authoritate divi Auguſtini. Non audias, non

attendas eos. Plus nobis quàm ipſis favet Auguſtinus ex ipſo textu, quem pro ſe citant. Auguſtinus ſic loquitur. *Non dico parvulos ſine Chriſti baptiſmate morientes tantâ pæna eſſe plectendos, ut eis non naſci potius expediret; damnatis autem, qui ſenſibilibus torquentur pænis æquè ac Judæ proditori convenit illud: melius erat ei, ſi natus non fuiſſet* (a) Quantopere optandum, ut imitarentur cæci Novatores Ductorem, & Doctorem iſtum minimè cæcum, non utique in Janſenii & Calvini foveas caderent; utinam audirent, & ſequerentur Magiſtrum, cujus recentes diſcipulos ſe jactant, cujus patrocinio inaniter præſumpto gloriantur; Vtinam deciſiones ſuas ſale modeſto & timorato Sancti Auguſtini conſpergerent, qui plus ex abundantia humilitatis, quàm defectu luminis nihil vult, nec audet determinatè decidere circa quæſtionem de parvulis non baptizatis. *Cùm ad pænas parvulorum ventum eſt*, inquit, *mihi crede, coarctor anguſtiis; nec quid reſpondeam prorſus invenio.* (b)

UTRUM EX CATHEDRA VEL alibi ſic liceat eloqui: non ſemper habemus gratiam: Deus eligit hos, & irrevocabiliter deſerit illos: humiliter remittenda eſt ſors noſtra in manus ejus, quia ſalus noſtra ab ejus ſola pendet miſericordia.

ARTICULUS VIII.

SI gratiâ unctus vel modicùm ſentires ſtimulos ex Zelo domûs Domini, prô! quantus doloris aculeus viſcera tua penetraret, quando auribus percipis ex publica câthedra in meditullio civitatis

(a) l. 5. contra Jul. c. 8.
(b) Ep. 166. ad Hieron.

Catholicæ prædicari propoſitiones æquivocas, ſcandoloſas plebi, injurioſas Deo, Eccleſiæ pernicioſas: Domine Deus Salvator omnium hominum, qui non vis perire quenquam illorum, ſana collyrio gratiæ tuæ oculos cæcorum non ex neceſſitate aut nativitate, ſed voluntaria pravitate cæcutientium: vel ſaltem occlude fortitudine brachii tui ora ipſorum in ſempiternum, ne poſtquam poſuerunt in cælum os ſuum blaſphemando miſerationes tuas, lingua eorum pertranſeat in terra; avertas Domine, ne veneno ſuo exitiali inficiant corda credentium, & ne devaſtent erroribus ſuis Eccleſiam tuam.

Nunc, amice, ad te revertor, ſimul ad deciſiones Eccleſiæ. Ad quæſitum reſpondeo, quòd, licèt propoſitiones in titulo præſentis articuli poſitæ, ſi benè explices, non aberrent à vero & ſenſu Orthodoxo, nihilominus ſint perquam periculoſæ, captioſæ, & in extremo gradu malignæ in ſenſu, quem naturaliter, & obviè inſtillant menti fidelium; ſenſus Catholicus ibi reconditus videtur omnino impervius, & inacceſſibilis plebi, niſi ſpeciali cura & ſolertiâ ſimplicibus explanetur. Sed quod maximum eſt, in ſenſu Novatorum & prout illas ſuaviter præcantant intelligendas, ſunt propoſitiones falſæ, hæreticæ, impiæ, blaſphemæ. Enucleatius ſingulas per ordinem explicabimus. *Quòd non ſemper habeamus gratiam*, placet Catholicis, ſi intendas. 1. non omnes homines obtinere gratias efficaces converſionis, pænitentiæ & perſeverantiæ, quoniam non omnes actu convertuntur, ac perſeverant, & quidem ex propria culpa juxta jam dicta, & adhuc dicenda. 2. ſi velis non omnes habere gratias electas, ſpeciales, extraordinarias, elevantes ad eminentem gradum ſublimis perfectionis. 3. ſi intelligas, quòd deſerentes gratiam deſeramur à gratiâ, hoc eſt, ſi recedamus à Deo per noſtram incredulitatem, præſumptionem, ſeditionem, Deus quoque recedat à nobis, retrahendo dexteram particularis ſuæ protectionis, ſine qua nec evitabimus malum, nec operabimur bonum, quamvis abſolutè loquendo unum vitare, & alterum exercere valeamus. Quòd ſi econtra hâc propoſitione prætendas, aliquando ex noſtra parte,

Digitized by Google

& ſecluſa omni culpâ deeſſe ſuccurſum neceſſarium , & ſufficientem ad ſervanda mandata , operandam ſalutem, tunc enim verò eſt hæretica , blaſphema , inſupportabiliter Deo injurioſa.

Quòd Deus irrevocabiliter eligat hos, deſerat illos, rurſum poteſt includere ſenſum Catholicum, ſi per illam derelictionem intelligas reprobationem, quam ſcholæ Thomiſtarum appellant purè negativam, ſeu permiſſivam, quæ nihil eſt aliud, quàm pura, & ſimplex negatio efficacis electionis ad gloriam. Quòd ſi verò hâc derelictione ſubaudias reprobationem expreſſam & poſitivam, quæ non ſit niſi æterna diſpoſitio Dei antecedens, independens ex prævisis demeritis, excludens majorem partem hominum à Cæli gloriâ, & deſtinans æternis ſuppliciis, talis propoſitio non duntaxat Janſenizat, ſed Calvinizat, Lutheranizat.

Quòd oporteat mittere ſortes ſuas in manus Domini, involvit ſenſum inſigniter Catholicum, ſi per hoc velis humilem, & charitate plenam in Deum, ejúſque miſerationes fiduciam, quam fiduciam licèt comitetur heroica reſolutio cum auxilio gratiæ arduos quosque ſubeundi labores, diffidimus tamen propriis viribus, nóſque brachiis divini adjutorii amoroſo affectu committimus, ex quâ ſola Dei miſeratione exſpectamus beatam ſpem particularis ſubſidii ad perſeverandum uſque in finem. Econtra ſortes ſuas mittere in manus Domini, ut abſoluta ejus voluntate ſalveris, aut damneris, deſperabundam ſapit dejectionem, non amoroſam, aut fiducialem reſignationem: neque enim ad hanc facilè diſponitur animus ſine jactura ſpei, ac deſiderii collium æternorum. Talis remiſſio ſortis noſtræ propiùs accedit ad arrogantem ſeditionem, quàm ad humilem in manus Domini reſignationem. Quis enim dubitet, iſtos ſortium ſuarum reſignatores ſignatos eſſe infauſto charactere illorum, qui credunt contra deciſiones Eccleſiæ, Deum nolle ſalvare omnes homines, & ad agnitionem veritatis pervenire?

Quòd ſalus noſtra dependeat unicè ex voluntate miſerentis Dei, & quòd non ſit currentis, nec volentis hominis; hoc iterum concordat cum doctrina Orthodoxa, ſi & in quantum opponitur Pelagia-

nis, & Semi-Pelagianis, qui docuêre hominem poſſe ſalvari, ſi velit, ſolis liberi arbitrii viribus, abſque ſuccurſu ullius gratiæ prævenientis, concomitantis, aut ſubſequentis: attamen eadem propoſitio falſa eſt, & Janſeniſmum ſapit, ſi velis longè majorem hominum partem damnari ex neceſſitate inevitabili, vel ſi hac propoſitione cum Janſeniſtis neges, & perneges, quòd etiam præſente Dei gratia ſit in manibus noſtris vita, & mors, bonum & malum, ſalus & damnatio.

Dices: ſi allatæ propoſitiones includant ſenſum Catholicum, nonnè temeritas eſt, illum de hæreſi ſuſpectum habere, qui eas proponit? Reſpondeo: nulla temeritas in tali ſuſpicione; eſt etenim ſuſpicio violenta cum fundamento in re, præſertim ſi nec ante, nec poſt hujuſmodi eloquium quidquam adjungas, quod ſenſum Orthodoxum inſinuet. Quæſo, ſi fatali tempore, quo tunica Chriſti inconſutilis Ariano furore proſcindebatur, quiſpiam Concinator ex ſolemni ſuggeſtu Excellentias Chriſti deprædicando tandem proclamâſſet; Chriſtus eſt primogenitus inter creaturas, Deo Patre inferior, licèt ſuperior cæteris; non apponendo illud ex Athanaſii ſymbolo: ***Minor Patre ſecundùm humanitatem***, omittendo ***æqualis Patri ſecundùm divinitatem***; nonne omnis plebs dediſſet laudem Deo, avem agnoviſſet ex cantu, contra talem tanquam Arianum, blaſphemum, hæreticum, ſeditioſum conclamâſſet? eccur non æquâ ratione diras jactes, hæreſin clames in illos, qui, dum fideles colorato prætextu ad virtutes invitant ex pulpito, interim myſteria ſua Janſeniſtica pandunt, incircumcisè docent, gratiam Dei ſæpe nobis deeſſe, hos eligi, illos à Deo irrevocabiliter derelinqui? fruſtrà tergiverſatur talis Concionator ſe excuſando, milliéſque repetendo, ſe præallatas propoſitiones in ſenſu Catholico ſumere, nec aliud unquam ſive publicè, ſive privatim ſimilibus loquendi formulis intendiſſe, niſi ut inſpiraret ſuis Auditoribus ***Initium ſapientiæ timorem Domini***, fundamentum perfectionis, profundam humilitatem ex conſideratione abyſſûs divinorum judiciorum: fidenter huic tali ſic reſponderis; cùm præſumptus iſte ſenſus Catholicus minimè appareat, & poſt

velum Templi tanquam in Arca fœderis quaſi intra ſancta Sanctorum lateat, ideo ſimiles nudæ & impolitæ expreſſiones, tametſi ſenſum Catholicum implicitè involventes ad minimùm ſunt captioſæ, periculoſæ, fidelium mentes magis ducentes ad barathrum deſperationis & effrænem vivendi licentiam, quàm ad ſalutarem Dei timorem, humilémque ſui ipſius agnitionem.

Hâc occaſione duplicem mihi quæſtionem moves, forſan à nemine alio motam, ex cujus prompta ſolutione Novatorum laqueos, quos abſconderunt, apertiùs deprehendes.

QUID VEL QUALE SIT FUNDAmentum Humilitatis?

ARTICULUS IX.

S. Hieronymus (a) vocat Pelagium hæreſiarcham *ſuperbum impœnitentia prædicatorem*: optandum, ut inſignis hic Pater Eccleſiæ, terror iſte & malleus hæreticorum noſtro ævo viveret, fortaſſis Novatores ſolemni titulo ſalutaret *ſuperbos humilitatis Chriſtianæ prædicatores*, nihil enim, quod toties repetunt, inculcant ac ipſam humilitatem; nihil contra quod altiùs vociferentur, ac contra ſuperbiam Pelagianam.

Hæc eſt via regia, quâ ſplendidè incedebant hæretici decimo quinto ſæculo: hos è veſtigio premunt Novatores currentis ſæculi, utpote filii & Nepotes eorum, ergo & hæredes ſicut doctrinæ, ſic etiam humilitatis: Nonne Lutherus, Calvinus, Melancton ſub hac ipſa humilitatis larva auctorabant, & Canonizabant arrogantiam ſuam? nónne ſub hac ovina pelle tegebantur lupi rapaces? nónne hoc favo, & melle condiebant fel, & venenum hæreſeos, quò dulciùs morerentur fideles? De hoc, ſi convinci deſideres; inſpice librum Calvini c. 2. de inſtitutionibus, ubi, poſtquam auguſtiſſi-

(a) Epiſt. ad c. teſiph.

Digitized by Google

mam Catholicæ Religionis ſtructuram, quantùm in ſe eſt, funditus ſúſque déque evertit, poſtquam impiiſſima ſua dogmata tanquam calcem, ligna, & lapides pro novo extruendo ædificio collegit, tunc enim verò in lapidem angularem erigit, vel potius pro fundamento altiſſimè foſſo ponit *humilitatem*. Quidquid decoris, & elegantiæ ſancti Patres huic virtuti contribuebant, hoc Calvinus ampliori encomio exornare ſtudet. Viliſſimam humanæ maſſæ materiem infra id deprimit, quod pedibus calcas, ita loquitur de tenui hominis ingenio, de vagâ ejus vanitate, & inconſtantia, ut Hieronymum, vel Auguſtinum crederes, ut Calvinum ipſam eſſe humilitatem peieràſſes. *Semper ſanè mihi vehementer illud Chryſoſtomi placuit, fundamentum noſtræ Philoſophiæ eſſe humilitatem*, ait Calvinus; (*a*) *magis etiamnum illud Auguſtini; quemadmodum, inquit ille Rhetor rogatus, quid primum &c.*

Verùm quis non excandeſcat contra hæc ſpectra humilitatis? quis non indignetur filiis ſuperbiæ veram virtutem mendaci fuco adumbrantibus? fateor, talem videns, & audiens non me contineo: furore Domini plenus ſum, laboravi ſuſtinens: nam ecce, poſtquam larvatus humilitatis hiſtrio, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur *ſupra omne* (*b*) *quod dicitur Deus, aut colitur*; poſtquam omnia ſupra ſe contempſit, cuncta infra ſe exploſit, fulmina Vaticana, Eccleſiæ Anathemata riſit, Papas temeritatis, Regem Tyrannidis, Epiſcopos illuſionis, Doctores Sorbonæ timiditatis, Paſtores regni ignaviæ accuſavit, poſtquam Dominicanos extravagantes, Franciſcanos ignorantes, Jeſuitas Pelagianos proclamavit, tunc enim verò tanquam novum humilitatis ſpectaculum, ac infimæ ſubmiſſionis prodigium ex Cathedra contra arrogantiam fulminat, opportunè importunè homines elationis arguit, deflet, ululat, ingemiſcit, quòd nolit ſuperba hominum progenies proprias intueri miſerias, quòd ſe demulceat inani adulatione ſuarum virium; quòd homo imbecillis præſumat eſſe arbiter & Dominus ſuæ ſalutis, quòd non ſe humiliet ſub potenti manu Dei, qui his miſeretur, &

(*a*) Lib. inſtit. cap. 2. §. 1.
(*b*) 2. ad Theſſalon: 2.

illos

Digitized by Google

illos indurat ex deſpotico voluntatis ſuæ beneplacito, & imperio. Fateor ad hæc audita in fermento ſum totus, vix cohibeo juſtæ indignationis motus, quibus agitor. Quos ego! ſed motos præſtat componere fluctus; ut ſim *imitator Dei* jubente Apoſtolo; vix enim Deus & patentius, & potentius præbet argumentum ſinceræ ſuæ voluntatis ſalvandi omnes homines, quàm admirabili longanimitate & patientiâ, quâ ſuſtinet calvam Novatorum hypocriſin, hiſque perſonatis & umbraticis humilitatis præconibus concedit ſpatium pænitentiæ.

Quis miretur poſtea, hos humilitatis panegyriſtas adeò ſteriles in perſuadendo? dicunt enim & non faciunt: circumeunt mare & aridam, ut faciant unum proſelytum, & filium gehennæ duplo, quàm ipſi, dupliciter obſtinatum, & ſeditioſum, dupliciter arrogantem.

Prima, & quidem potiſſima ratio, tam paucos ex auditoribus præconum Janſenizantium ad humilitatis normam componi, ea eſt, quòd opportuna in hunc finem non proponant media perſuaſores fictitiæ humilitatis: genuinum hujus virtutis motivum non extra ſed intra nos eſt, non in Deo, qui ſe ipſum exinanivit, ut nos exaltaret, ſed in propriis viſceribus inquirendum: domeſtica perverſi cordis noſtri malitia, quæ ſpiritui ſancto ejúſque inſpirationibus ſemper reſiſtit, ad humilitatis exercitium nos permoveat: *Humiliatio in medio tui* inquit Micheas Propheta; Non ergo in Deo inveſtiganda, cùm ipſe ſit principium & radix humanæ Celſitudinis, ſed in proprio nihilo, tanquam in ſcaturigine totius miſeriæ humani generis; vel ſi placeat eam indagare in illo Divinitatis Pelago, non id fiat, niſi in ordine ad finem altiùs perſcrutandi noſtræ abjectionis abyſſum, eam comparando cum altitudine inſcrutabili ſapientiæ & ſcientiæ Dei:

Humilitas, ait S. Bernardus, (*a*) *eſt virtus, quâ quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit:* adeóque ſe ipſum nôſſe eſt efficax motivum, illúdque eſſentiale humilitatis, non verò, præcisè & for-

(*a*) de 12. gradibus humil.

maliter loquendo decretorum divinorum perſcrutatio: figuretur mihi Deus, ſub qua velis formidabili Jdea; vivis coloribus mihi repræſentetur Deus ut abſolutè eligens, & reprobans, vocans, & deſerens irrevocabiliter hos & illos, decernens ab annis æternis hos morte ſua redimendos, illos in maſſa damnationis relinquendos, puſillum gregem à dextris, majorem cumulum humani generis ex abſoluta, & pura ſua voluntate à ſiniſtris ſtatuens, exinde in veritate turbabor, contremiſcam, deſperabundo ſimilis dicam montibus, cadite ſuper me, & collibus operite me, non tamen exinde humiliabor, nunquam hæc decreta dictabunt mihi humilem de me ipſo ſententiam.

Econtra ſi Orthodoxè inſtruar, quòd nihil ſim ex me, niſi corruptio, quòd gratia Dei ſim id, quod ſum, inutilis ex me tanquam ex me ad operandam ſalutem, colendum Deum, quòd mihi diffiſus, Deo confiſus debeam jactare curam meam in Domino, qui me enutriet alimento ſuæ gratiæ, qui licèt non teneatur ſalvare me, velit tamen me ſalvare ex abundantia Miſerationum ſuarum, quamvis non ſine me, meáque cooperatione &c. Hæc ſunt illa dogmata, quæ hominem ad humilitatem informant, ex his humiliatus ſum nimis in conſpectu ejus, nec tamen inter ſcopulos ac ſyrtes deſperationis aut perturbationis periclitor. Hæc ſunt genuina ad Chriſtianam demiſſionem incitamenta, hæc meliora chariſmata infinitum diſtant à lugubri illa & tragica derelictione, quæ inſtar Cometæ prænuncii calamitatum crudeli præſagio perterret fidelium conſcientias.

Ita ſanè. Vera & fundata humilitas, licèt vallata miſeriis, tametſi in pulvere ſedens, conſperſa cinere, vilis, dejecta, & contemptibilis ad apparentiam, hilari tamen facie, heroica fronte inter agmina virtutum eminet, decorem induit, dulcedine paſcitur, fiduciâ viget, animo erigitur, his ſtipata circumſtantiis genuina eſt; his orbata non humilitas, ſed phantaſma eſt, & ſpectrum humilitatis, cujus vel ipſi dæmones ſunt capaces. Nonne & hi immundi ſpiritus altè cognoſcunt Filium Dei non pro diabolo, ſed homi-

Digitized by Google

ne mortuum, nullas pro ipſis præparatas eſſe gratias? nónne terribilis hæc cogitatio dæmones turbat, affligit, lancinat? nonne idcirco credunt, & contremiſcunt? quis dubitet? nec tamen ideò humiliantur: Et ſi dicas, Angelos Apoſtatas hac cognitione humiles reddi, nonne fictitia eſt hæc humilitas? nonne loco ſuaviſſimæ pacis, & tranquillitatis, loco fiducialis amoris, & amoroſæ fiduciæ, loco heroicæ generoſitatis & reſolutionis, quæ ſunt veræ hujus virtutis pediſſequæ, eſt circumvallata terribili tremore, inconſolabili derelictione, amara deſperatione? humilitas hæc diabolica nonne eſt illi ſimillima, quam ſub ſpecioſo velamine veræ humilitatis Novatores adumbrant, ac mentibus fidelium intrudunt, quaſi cruentam conſcientiæ pavidæ carnificinam?

IN QUO CONSISTAT SPES?

ARTICULUS X.

PRocul dubio frequenter audiĕris, hæreticos non credentes Deo ſicut fide carent, ſic etiam ſpe, & Charitate deſtitui, cùm hæ neceſſariò fidei tanquam baſi & fundamento innitantur; neſcio utrùm aliquando adverteris, quòd omnibus hæreticis communis illa pertinacia apprimè ſit familiaris Janſeniſmi fautoribus, qui deſperatis ſuis opinionibus ſpem & fiduciam in Deum adeò convellunt, ut ſit moraliter impoſſibile Janſeniſticè credere, & Catholicè ſperare, impoſſibile, ut vel ſuperficialiter & leviter Janſenizes, quin ſimul graviter pecces contra præceptum ſperandi poſitivum, aut negativum.

Ut rem ex fonte capias, notandum eſt, quid ſit ſpes? hæc eſt juxta D. Thomam poſt Magiſtrum ſententiarum (a) *expectatio certa futuræ beatitudinis proveniens ex gratia, & meritis præcedentibus:* dicitur *expectatio certa*, quæ certitudo ſit adèo firma, inalterabilis

(a) Mag. ſent. 3. d. 26.

Digitized by Google

propter ordinem ad Deum (dico propter ordinem ad Deum) ut nemo in illa titubare, aut hæſitare valeat *ſine injuria divinæ potentiæ, & bonitatis, quibus firmitas ſpei noſtræ tanquam duabus columnis fulcitur*, dicit S. Thomas; & hæc injuria his divinis attributis illata eſt tantæ enormitatis, ut nulla materiæ levitas illam purè venialem reddat. Nam, ut docent Theologi, nunquam prævaricaris contra virtutes Theologales tantùm leviter, aut venialiter, niſi prævaricatio fiat ex indeliberatione voluntatis, aut ex præventione vel ſubreptione intellectûs.

Sed quo medio ſperabo niſi per fidem ? quæ ſpei eſt anteſignana neceſſaria, ut teſtatur D. Thomas. (*a*) *Fides ſpem antecedit, cùm per illam nobis innoteſcat, quòd poſſumus vitam adipiſci æternam; & quòd ad hoc divinum auxilium nobis eſt paratum*, ſi proinde rejecta poſt tergum, & repudiata veritate fidei adeò conſolatoria amplector dogmata Novantium; quòd Chriſtus non ſit mortuus pro omnibus, nunquam intenderit veraciter mereri majori hominum parti ſufficientes gratias, ut ſalventur, quòd forſan & ego ſim ex infauſto hoc numero; nunquid non comovebit firmitatem meam in ſperando hæc infidelitas Janſenizans ? nunquid non vacillantem, perplexam, deſolatam reddet ſpem meam in ſinu meo ? utique hoc naufragium fidei me exponet periculo ſubmerſionis in profundum; ſic naufragus ſine tabula fidei facilè involvor contra ſpem non duntaxat procellis deſperationis & peccati mortalis ſed ipſius, quam vereor, damnationis æternæ fluctibus.

Nec tamen quiſquam ſibi perſuadeat, quaſi dicta firmitas noſtræ ſpei & fiduciæ præjudicet timori, eúmque expellat, cùm tamen Apoſtolus moneat, ut cum timore & tremore operemur ſalutem noſtram. Nemo, inquam, hoc ſibi perſuadeat; cùm enim ſpes & timor objecta habeant toto Cælo diſtantia, hinc non ita opponuntur, ut ſe invicem deſtruant & expellant: ſicut objectum ſpei in ordine ad ſalutem eſt Dei bonitas, & potentia, ſic econtra objectum timoris in ordine ad ſalutem non eſt Deus, vel ejus juſti-

(*a*) 22. q. 17. ad corp.

Digitized by Google

tia, aut decretum, vult enim Deus infinitè bonus per prophetam Oſee, ut ſemper in eo ſperemus, quia vult & in creatione voluit, ut ſemper cum ipſo eſſemus. Quodnam eſt ergo objectum timoris? eſt propria noſtra infirmitas & malitia, eſt inimicus domeſticus, proditor animæ ipſemet homo, cui nimiùm fidere Deus prohibet juxta illud (*a*) *maledictus, qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium ſuum.* Si gloria promitteretur per ſolam gratiam, quæ ſecundùm ſufficientiam nemini defuit, utique plena tranquillitate ſecluſo timore cuilibet ſperare liceret; cùm verò nemo ſit coronandus, niſi qui legitimè certaverit fideliter cooperando cum gratiâ, cùm præterea tali cooperatione non rarò deſtituamur, hinc jure merito ſalutariter pertimeſcimus; nec tamen hoc ſalutari timore Domini quantumvis intenſo unquam ſpes noſtra de Dei bonitate & potentiâ poteſt imminui; in hâc Dei bonitate & potentiâ diffidentiam ponere eſt nobis ipſis, ut loquitur Auguſtinus, *januam miſericordiæ claudere. Cùm enim Deus velit miſereri, quia bonus eſt, & poſſit, quia omnipotens eſt, ipſe contra ſe divinæ pietatis januam claudit, qui Deum ſibi miſereri, aut non velle, aut non poſſe credit, eúmque aut bonum, aut omnipotentem diffidit.* (*b*)

DE LIBRIS PROHIBITIS

ARTICULUS XI.

MUltorum ea eſt craſſiſſima illuſio, quâ opinantur, nullos prohiberi libros præter illos, quos interdicit Eccleſia aut Poteſtas politica. Sciendum proinde plurimos proſcribi libros authoritate immensùm altiore, id eſt, *jure divino & naturali*, & hoc quidem independenter ab omni interdictione exteriori, quæ tanquam humana ſemper præſupponit prohibitionem juris divini & naturalis, vel ut meliùs loquar, quæ prohibitio externa ab homine lata

(*a*) Jeremiæ 17.

(*b*) S. Auguſt. ſerm. de temp. 58.

eſt ſignum prohibitionis internæ à Deo & natura prolatæ, ita quidem, ut ſi evidenter pateat librum jure divino & naturali eſſe prohibitum, nemo illum legere audeat ſine peccato frequenter etiam mortali, licèt cæteroquin ejus lectio nec à Politica nec Eccleſiaſtica Poteſtate ſit interdicta.

Jam verò duplici ex motivo liber proſcribitur jure divino, & naturali. 1. quando tali lectione communicamus cum peccato Authoris illius operis. 2. quando hujuſmodi lectio nos immergit periculo lapsûs in errorem aut hæreſin: Hoc poſito triplex, aut quadruplex genus librorum eſt, qui ſunt illiciti ex ſe ipſis, licèt à nemine ſpeciatim prohibiti, cùm enim non omnes libri ſint cogniti, conſequenter nec omnes vetiti.

Primi ordinis ſunt omnes libri de amore Cupidinis, quæ vulgò intitulantur hiſtoriæ Romanæ ſeu amatoriæ, quarum lectio plerúmque replet imaginationem Venereis impreſſionibus, immodicis cupiditatibus, ac phantaſmatibus periculoſis. Secundi ordinis ſunt omnes libelli famoſi, calumniis, ſarcaſmis, & denigrationibus farti, qui ſub venuſto prætextu detegendi quædam myſteria multa loquacitate famam lacerant, dominationem ſpernunt, Majeſtatem blaſphemant, qui reſpectum & reputationem vel poteſtatis Eccleſiaſticæ, aut Sæcularis, vel Congregationis Regularium, aut Sacerdotum, vel etiam perſonæ particularis ſatyricè proſcindunt: ultra enim, quòd tales libri omnem extinguant ſenſum æſtimationis ac teneræ charitatis erga proximum, inſuper lectorem infami Authoris peccato conſpergunt, ac ejuſdem criminis reum conſtituunt. Communi huic Theologorum ſententiæ nemo contradixerit quàm Janſeniſta, niſi fortè, quod abſit, defendere velis licitum eſſe, ſe immiſcere circulis & converſationibus, in quibus devorant alienam famam, ac ſaturantur opprobriis, calumniis, denigrationibus ſanguinolentis fratrum ſuorum.

Igitur nullatenus hæreo in deciſione ad quæſitum, utrum tutâ conſcientiâ legere poſſis litteras Provinciales? abſolutè id nego conſecutivè ad mox allata principia, etiam abſtrahendo ab omni ex-

Digitized by Google

trinſeca interdictione peccas lethaliter eas legendo. Eſt enimverò evidentiâ facti manifeſtum, illas in lucem non prodiiſſe, niſi ut lucem bonæ famæ abſcondant vel penitus extinguant Præclaræ Congregationi Regularium, cujus utile & laudabile inſtitutum gaudet ſolemni approbatione Eccleſiæ.

Dixi. Abſtrahendo ab omni prohibitione extrinſeca: nam præter internum juris divini & naturalis interdictum inſuper pro ſuperfluo & abundanti perniciofus hic liber exulare juſſus eſt à ſupremis poteſtatibus: ut enim reticeam Decreta Papalia, quæ meritò ſummi ſint ponderis apud omnes, qui Chriſtum audire volunt, nemo ignorat, has litteras edicto Conſilii Regii Vulcano datas & exuſtas eſſe Anno 1660. & quidem poſt ſinceram remonſtrationem tredecim Doctorum facultatis Pariſienſis, ex quibus quatuor erant Epiſcopi, qui cùm eas de mandato Chriſtianiſſimæ Majeſtatis maturè examinâſſent, declaraverunt, apertas in illis contineri hæreſes Janſenii, ſcatentes eſſe calumniis & injuriis, conſequenter dignas pænis à lege latis contra libellos famoſos & hæreticos: Quid cenſes igitur de legentibus Provinciales litteras urbe & orbe exules ac infames? ſunt qui illas tranquillâ & immotâ conſcientiâ non legunt duntaxat, ſed & aliis legendas porrigunt & commendant. Quid de his cenſendum? nonne culpandi ſunt vel de hæreſi, vel de ignorantia craſſa, aut affectata? quin imò frequentiſſimè de utroque ſimul.

Tertii Ordinis ſunt omnes libri hæretici tractantes de Religione. Ad hanc claſſem ſpectant libri, libelli, litteræ, aliique fæderis Janſeniſtici codices & codicilli: horum Authores mundus novit, licèt larvati, perſonati, perjuriis velati incedant, novit tamen eos mundus oculatior, quòd non ſint ex nobis, quòd fidem puram & defæcatam non habeant, quòd ſincero corde deciſionibus Eccleſiæ ſe non ſubmittant, quòd conſtanter & incredibili pertinacia erroribus patrocinentur, decreta & oracula Eccleſiæ vilipendant: nonne hæc ſpirant hæreſin formaliſſimam? plus audeo, & aſſero, licitum non eſt hujusmodi libros legere, quamvis apparenter loquan-

Digitized by Google

tur linguis ſanctorum hominum & Angelorum: æſtimo perquam ſæpe talem lectionem eſſe peccaminoſam ſaltem in illis, qui nec ſimplicitate nec bona fide, nec ignorantiâ excuſantur. Hi peccant plus vel minùs enormiter ſecundùm varias diſpoſitiones, circumſtantias, proportionem majoris aut minoris periculi, quòd ſubeunt illicitâ lectione. Reclamabunt abſque dubio contra mox datam deciſionem utpote nimio rigore præcipitem omnes illi, qui cæca præventione libris Novantium mancipati cæteris renuntiàrunt. Interim fundatur hæc deciſio in jure divino & naturali ſeriò prohibente illos authores, qui periculum lapsûs promovent, qui venenum cordis in chartas evomunt, de religionis puritate ſuſpecti ſunt. *Nunquid enim fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* quærit Apoſtolus Jacobus (*a*) Nunquid colligunt de ſpinis uvas aut de tribulis ficus? nunquid mare ſalſum dulces propinat aquas? Sic ô Novatores non poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali, ex abundatia enim cordis os loquitur, & ſicut bonus homo de bono theſauro profert bona, ſic malus homo de malo theſauro profert mala.

Porro quòd periculum prolabendi in errores ex illicita lectione librorum Janſenizantium non ſit merè imaginarium, ſed prô dolor! nimis reale & evidens, hoc teſtatur experientia quotidiana. Quis non ingemiſcat tot improvidos mortales ita legere oculis corporis, ut perdant hâc ſuâ lecturâ oculos mentis lumina fidei: legendo excæcantur, & cæci legunt, cùm ut ille æthiops non intelligant, quæ legunt. Sicut ſerpens antiquus nunquam callidius pietatem ſimulavit ac in modernis hæreticis, ſic nunquam periculoſius calcanèo fidelium inſidiatus eſt: tortuoſis ſuis conatibus, & annuloſis ambagibus tam leniter ſe inſinuat, ut vel timidior ſexus mulierum non illibenter in libris Novatorum cum hoc ſerpente ludat, eum in ſinu foveat, & tanquam theſaurum in arca recondat cum mundo muliebre; nunquam Venator hic infernalis ſubtiliùs abſcondit laqueos ſuos, nunquam verſutiùs tetendit funiculum ſuum nunquam occultiùs expandit retia ſua ad capiendas, & decipiendas

(*a*) C. 3.

animas

animas ac his temporibus; quot libri Janſeniſtici, tot laquei, tot retia, tot funiculi Satanæ. Maximè pernicioſi ſunt libri illi, qui ita pietatem ſpirant, devotionem affectant, ad virtutes erudiunt, ut etiam primo intuitu ſuadeant, quorum tamen noviſſima vergunt ad mortem, & interitum animæ: gemit orbis ſub ingenti cumulo talium librorum, quos hodie undequaque diſpergunt tanquam bonum ſemen in agro Eccleſiæ Novatores: in his concinnant dolos artificioſâ induſtriâ ac providâ fraudulentiâ; in his ita ineſcant illicitè curioſos eloquentia ſua luxuriante, elegantia ſua demulciente, venuſtate ſermonis abblandiente, ut priusquam deguſtes, hamo captus, & fixus hæreas; ita ſubtiliſſimum virus ad viſcera mittunt, ut ſaluberrimum crederes contra venena antitodum. Hoc virus cautè vulnerat, ſuaviter inficit, lentè ſerpit, non illico inflat, ſed paulatim ad ſeditionem, ad hæreſin, ad mortem diſponit, donec omnem tibi fidem, & religionem auferat, non abſimiliter toxicis illis venenatis, quæ ſolerti induſtria ſic temperantur, ut, licèt ea deglutias, non niſi ex condicto, & ad alterius arbitrium ſtatutâ horâ, die, menſe, vel anno mortem afferant.

Nôſſe cupis, quid primò efficiat talis lectio? quis præliminaris ſit ejus effectus? dicam; eſt ingens æſtimatio, nec vulgaris, ſed præponderans affectus erga Authores ex ſignis apparentibus & fumo cognitos, tam pios, tam Aſceticos, tam profundos, & ſicut libenter conglutinamur eorum ſententiis, quos æſtimamus, ſic velociter trahimur vinculo propenſionis ſenſibilis conferendi ſigna, noſtráſque eorum opinionibus amico fædere copulandi. Quòd ſi hæſites, vel ignores in cortice medullam, in littera ſenſum, non deerunt Encomiaſtæ ad hæc undique deſtinati, qui non infæcundâ facundiâ tantopere extollent authores, & libros illos, quaſi ex tripode Delphico oracula darent; deprædicabunt eos tanquam vaſa ſcientiæ, & prodigia pietatis, tanquam heroes intrepidos, ac defenſores accerrimos ſublimis ac puriſſimæ moralitatis, tanquam ex cinere D. Auguſtini recentiſſimè ſuſcitatos doctrinæ Hypponenſis alumnos ſimul & Profeſſores. Ab his ornatiſſimis Panegyriſtis brevi

Digitized by Google

temporis intervallo vivæ vocis oraculo diſces, quid quid myſterii reconditum latet in mortuis illis, ac papiraceis oratoribus.

Tunc tandem ex his Novatorum paginis id comprehendes in plena ſua meridie, quod antea non niſi caligantibus oculis tanquam in crepuſculo perſpexeras, tunc denique animadvertes hæreticum & erroneum ſenſum, non quidem ut talem, quem involvunt certæ propoſitiones ambiguæ, & amphibologicæ, quibus forſan primo & ſuperficiali intuitu nullas dederas reflexiones: inde cognoſces emanantes ſequelas à mente Eccleſiæ alieniſſimas, ſed enim eas tanto ſententiarum apparatu firmas, tanto facundiæ ornatu venuſtas reperies, cæcâ velocitate perges, quo cæpiſti pede, nunquam retrahendus, nunquam perſuadendus quòd erres cum errantibus.

Vix eò uſque devenies, cùm jam ſpiſſioribus inambulabis tenebris: jam nemo præter cætum Janſeniſticum quidquam ſcit, vel intelligit; totus mundus in maligno poſitus, omnis homo cæcus natus eſt; ſolus Janſeniſta ſapit & videt. Jam nemo ſuffragatur Pontifici & Eccleſiæ niſi Moliniſtæ, malè litterati homines, ſe ipſos amantes, Majeſtatis & aulæ mancipia, regii favoris aucupes: hi ſoli Jdolis tuis domeſticis thura negant, favoritis tuis remoram injiciunt. Tunc Janſenius jam non propriâ ſed alienâ culpâ laborat, ſanguis ejus innocens damnatus eſt ex aliorum crimine, nimirum ex livore & invidia æmulorum. *Mars Gallicus*, liber ille diſplicens mundi Rectoribus, hanc damnationem promovit; tunc in Jdeis tuis ipſe Apoſtolus Paulus, ipſe Antiſtes Hypponenſis S. Auguſtinus in innocenti perſona Janſenii (gratioſæ, & glorioſæ memoriæ) ſententiam damnationis accepit: non teneris Papam audire ejúſque decreta, & deciſiones, licèt eas Eccleſia audiat, & amplectatur: Vaticana fulmina terrorem inferunt, non ictum, ſúntque vanæ ſine viribus iræ, quæ dum plebem promiſcuam terrent, atque dejiciunt, fortes ſpiritu erigunt, ac roborant,

Necdum ibi ſubſiſtes, citó progredieris: abyſſus invocabit abyſſum, agitatus hæretica phræneſi ruptis vinculis, projecto jugo, laxatis compedibus effrænatus proſilies contra quid quid ſacrum,

quid quid Orthodoxum religio tenet : mox enim inchoabis pænitentiam agere de originali peccato, quaſi unda baptiſmi non ex toto id abluiſſet. Mox Sacerdotem imitaberis licèt abſque charactere ; ipſemet cum Presbytero Miſſam dices, intrepida voce verba conſecrationis cum ipſo pronuntiabis, ne auguſtiſſimum Altaris Sacramentum in terribili illo momento ſolus Sacerdos perficiat : mox coram ſacro tribunali pænitentiæ peccata tua recitans non timebis inculpare Deum, quaſi defuiſſet ſuâ gratiâ in tentatione tuis viribus ſuperiore : mox, ut ſummum meritorum culmen attingas, te ipſum retrahes à ſacra Synaxi ſolemniſſimis anni temporibus etiam in feſtis Paſchalibus : mox irridebis exſibilabiſque uſum ſacri Scapularis, Roſarii, aliarúmque laudabilium confraternitatum, quas ſacræ Sedis Authoritas jam dudum approbavit. Mox detrahes Virgini Virginum non duntaxat gratioſa nomina Vitæ, Advocatæ, Spei noſtræ, quibus eam Eccleſia publicis precibus implorare conſuevit, ſed etiam magnificum *Deiparæ* titulum cenſurabis poſthac cautiore devotione uſurpandum : Verbo, periculoſa fraude & rapina nullum illi nomen relinques intemeratum, præter illud *Mater Chriſti*; quid ultra adjiciam ? mox ſenties Romanum Oraculum inane prorſus eſſe ſine Numinis afflatu timidíſque ambagibus adeò obſcurum, ut non pecces, ſi contemnas : mox circa hominis libertatem ita ratiocinaberis, ut omnino tollas : gratiam Dei eó uſque extolles, ut penitus deprimas, Deumque blaſphemes. Infinitus forem detegendo præcipitia, in quæ proruunt temerarii & refractarii Lectores librorum prohibitorum ; quàm verè de illis dixeris. (*a*) *Non cognoverunt altitudines Satanæ*, nec profundas abyſſus, in quas præcipitantur tanquam in infernum viventes.

Dices : ſunt enim vero hi Authores ſelectiſſimis abundantes ſententiis ; ſunt admirabiles in detegendo ſenſus abſconditos ſcripturarum : docent, & erudiunt primi ponderis veritates, quas nunquam ſeriò ſine illis perpendes : Cæterùm ſi quis lapillus offenſionis, aut modici ſcandali viam occupet, non protinus pede impingam ;

(*a*) Apoc. 2. v. 23.

Digitized by Google

declinabo; non prævalebit, ut in fide calcitrem; immobiliter hærebo ad petram Eccleſiæ, nec etiam me immergam fluctibus modernæ charybdis, hos ſcopulos quæſtionum devito, neque enim me ipſum judico quaſi idoneum, ut diſcernerem inter lepram hæreſeos.

Hæ ſunt loquelæ, hi ſunt ſermones plurium currente ſæculo, imò non paucorum, qui admodum tenui litteratura tonſi, exiguo Zelo animati, modico lumine proviſi Conſcientias dirigunt, ſuiſque devotis & pænitentibus libros prohibitos ita permittunt, ut etiam perſuadeant innixi baculo arundineo ac fulcris ſtramineis rationum, quas ſupra retuli. Quis non profundo cordis gemitu indoleat ſciolæ huic ignorantiæ! ad everſionem religionis hæc res pertinet, ad ſalvum conductum cunctis erroribus, ut qua data porta ruant in ſancta Sanctorum, in Eccleſiæ Dei penetralia; ſi enim concedatur locus his ratiunculis, nulla poſthac erunt Biblia tantopere depravata, nulla volumina ſatis à vero, & honeſto errantia, quæ non cuilibet inoffenſo pede percurrenda pateant.

Quis non penetret, talem ignorantiam hæreſi nullo jure patrocinari poſſe? imò ipſa hæc ignorantia motivum videtur longè urgentiſſimum eliminandi penitus omnia ſcriptionis genera in fide & moribus ſuſpecta, eáque eripiendi fidelium manibus. Verſatior Theologus non notabiliter periclitabitur hâc lectione; novit etenim cujus Spiritûs ſint, erroréſque haud ægre denudat, ſuiſque involucris ſpoliat; ignorans verò, vel ſemitonſus, aut mediocriter litteris tinctus, neſciens dijudicare inter lucem & tenebras, veritatem & mendacium æqualiter uni quàm alteri inſtar cæci palpantis ad parietem manus dabit. Jdem quoque velim intelligas circa libros hinc inde intertextos ſententiis inſignem pietatem & devotionem ſpirantibus. Liber enim ex toto malignus & impius non tam nocet, ac liber ad ſpeciem & umbram religioſus atque aſceticus. Venenum, quod aperto crimine poculo homicidium clamante porrigitur, nauſeam & horrorem creat, non niſi coactos vel mente captos inficit, nam à cæteris reſpuitur; econtra venenum ſub melle latens ſuaviter intrat, ſapit palato palliata hæreſis, intellectum faſcinat,

Digitized by Google

voluntati imperat, mendacium vellere veritatis obtectum facilè creditur, frequentiùs decipit.

Nonne hoc ipſum eſt, quod tanto ſudore quærunt moderni hæretici? nolunt videri quod ſunt, ſed eſſe, quod non videntur: ad quid tam arduâ naturæ violentiâ pietatem fingunt, in libris & colloquiis hypocritas agunt, niſi ut auditoris & Lectoris animum intricent, erroribus implicent, involvant tenebris? (*a*) *transfigurantes ſe in Angelos lucis*, ut clariùs fallant, narrantes (*b*) *ut abſconderent laqueos*, & dicentes *quis videbit eos?* quorum *molliti ſunt ſermones ſuper oleum & ipſi ſunt jacula.* Hos veriùs increpaveris (*c*) *Vos ex patre diabolo eſtis*: Hi enim, ſcriptura teſte, non alium in finem exaggerantibus vacant narrationibus, non alio ex motivo emolliunt ſermones ſuos oleo lenocinantis facundiæ, quàm ut cautiùs parent laqueos, ſagittas acuant, venena propinent, animas vagas & curioſas capiant, vulnerent, inficiant; qui tandem ad æmulationem Patris ſui diaboli mendacia fabricant ipſo momento, quo veritatem jactant, vel ſi vera loquuntur, ea non niſi ſpiritu mendacii & falſitatis promunt.

Cùm enim oppugnant errorem, id fit, ut alium roborent huic oppoſitum: Si veritatem docent, id fit, ut aliam majoris ponderis enervent: Si clamant contra dogmata ſemi-Pelagianiſmi, id fit, ut Calvino faveant: ſi probant neceſſitatem & gratuitam donationem gratiæ contra Pelagium, id fit, ut Janſenio congratulentur, non omnibus ad ſalutem ſufficientes adeſſe gratias: ſi depingunt humanæ maſſæ miſerias ac vulnera ex lapſu Adami, id fit, ut nos præcipitent in abyſſum inevitabilis neceſſitatis ad peccatum: ſi extollant fortitudinem ac ſublimitatem divinæ gratiæ, id fit, ut triumphum erigant gratiæ neceſſitanti contra liberum humani conſensûs vel diſſensûs arbitrium: ſic de reliquis myſteriis fidei.

Verbo. Adeò tornatilis eſt eorum verſutia, ut eo ipſo inſtan-

(*a*) 2. ad Corinth. 11.
(*b*) Pſal. 63.
(*c*) Joan. 8.

Digitized by Google

ti, quo ſuadent praxin pietatis, eam diſſuadeant *ex intento profundiore*, prout loquitur nonnullus ex eorum gremio propria expreſſione: ſub prætextu te manuducendi in Hyperduliam Sacratiſſimæ Deiparæ ejus cultum ad nihilum redigent, ejus protectionem reddent inacceſſibilem, fiduciam in ejus patrocinium ſi non penitus tollent, diminuent: ſub ſpecie te informandi ad frequentem & dignum ſacræ Synaxeos uſum exigent diſpoſitiones tam impracticabiles & exoticas, ut reipſa nunquam ad menſam Domini accedere liceat, ſub pallio colorato tibi ſuggerendi opportuna media attenté & intensè pſallendi, affabre tecum avolant ab Angelico hoc exercitio, ſuaviter inſuſurrantes, gravedinem capitis, palpitationem cordis, ſeriam occupationem mentis tibi diſpenſare, ne officio dicendo te ipſum diſcrucies, & ſi non audeant palam loqui contra horas canonicas, furtim inſinuant, brevem & ferventem oratiunculam prævalere longitudini pſalmorum, qui ordinariâ ferme neceſſaria mentis evagatione recitari ſoleant. Hæc eſt abyſſus, hæc intentio laborioſæ hæreſis eo momento, quo tractant de rebus ſummæ ædificationis, nec tamen fideles has pedicas advertunt, hinc illæ lachrimæ! inde provenit; quòd vulpina hæreſis devaſtet vineam gallicanam, quòd tot urbes florentiſſimi regni paulatim defloreſcant à fide, ſe ſeque inſerant erroribus multis: *non cognoverunt altitudines Satanæ.*

Nunc verò cùm Altiſſimo placuerit ex gratiæ ſuæ dono aperire tibi oculos, & quaſi linire ſputo præſentis opuſculi, ne patiaris ultro tibi imponi hæreticorum argutiis: procul ſit admiratio, procul applauſus, qui paſſim Novatorum libris tanquam tributum penditur: potiùs altùm ſuſpira, quòd tam grandia ingenia evaneſcant in cogitationibus ſuis, ac ditiſſima talenta, quibus nonnulli deſuper pro tutelâ Eccleſiæ ſunt ornati, vertant in ejus deſtructionem.

Non vos o fideles! dementent hi Syrenum cantus, non elegantia ſermonis, non facundiæ lenocinium. Reſpicite libros iſtos, eorumque authores quaſi colubros veneno gravidos, qui licèt verſicolores aut verſipelles amænum præbeant ſpectaculum oculis, non tamen ex eo minùs formidabiles, aut virulenti appareant. Com-

pertum eſt ſerpentes illos exquiſitiſſimo veneno noxios eſſe, qui ex colorum ſplendore & mixtura formoſiores ſunt. Lubentiùs forſitan libros iſtos, eorúmque fabricatores aſſimilaveris comptulis illis aulæ Numinibus, quæ ementitâ cæſarie, tinctis & vernantibus genis, luxu ornatúque venereo, tenerrimis loquendi modulis effæminatos ad amorem invitant; ut tales cavendi ſunt illi libri; probè noveris, quòd ſicut arcta neceſſitas & familiaris frequentia cum Deabus illis incarnatis ſupra modum lubrica ſit & periculo plena, ne ſeducaris, ſic in ſummo & evidenti verſaris diſcrimine lapſûs in hæreſin, converſando cum libris hæreticorum, præcipuè ſi id fiat comitante complacentia & aſſiduitate; non enim minùs delicata eſt virtus fidei ac caſtitatis.

DE LECTIONE S. SCRIPTURÆ.

ARTICULUS XII.

CUm Eccleſia tam ſolemni ritu in propoſitionibus Quenelli damnaverit indiſcretam lectionem ſacræ Scripturæ, non utique me deinceps argues de nimio rigore, ſi repetitis vicibus tibi ſeriò inculcem, legere ſacras litteras præſertim vulgari & vernaculâ editas ex ſpiritu curioſitatis, pertinaciæ, aut præſumptionis eſſe peccatum valde enorme. En rationes deſuper, quas paucis expedio 1. Quia tali lectura fit injuria Verbo Dei, cùm id legam ex eodem ferme motivo, cum iiſdem ferme circumſtantiis, quibus legitur liber prophanus, vel Mercurius nova ordinaria ex Belgio, aut Hiſpania vel aliunde reportans 2. Quia hæc & talis lectio ſupponit audentiam excedentem, ac notabiliter criminoſam, quâ præſumo latentes ibi ſenſus detegere, ac recondita myſteria penetrare 3. Quia temerariè legendo Lector ſe exponit extremo errandi periculo.

Sic tenent plures ſummi Pontifices, qui in regulis indicis Concilii Tridentini expreſſè interdicunt (*a*) *ne cuilibet indiſcriminatim*

(*a*) Reg. 4. ind. lib. prohib. Conc. Trid.

Digitized by Google

concedatur permiſſio legendi ſacram Scripturam in linguis vulgaribus, cùm experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari linguâ paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quàm utilitatis oriri, hac in parte &c. Verumtamen Janſeniſtæ infallibiliores omnibus ſummis Pontificibus, de afflatu divini Spiritûs ſecuriores cunctis Patribus illius Concilii Æcumenici (quod juxta ipſos non erat niſi conſeſſus Monachorum quorundam & Scholaſticorum) hi, inquam, nullatenus ſunt hujus opinionis & ſententiæ. Lectio ſacræ Scripturæ, dicunt Janſeniſtæ, non ſolumodo utilis verùm omnibus Chriſtianis neceſſaria eſt; ejus obſcuritas non eſt ratio diſpenſandi, ne cuncti fideles teneantur ſe huic lectioni applicare: Eſt illuſio, imò eſt ſpecies crudelis Tyrannidis ſacras paginas tollere è manibus fæminarum etiam maximè rudium: eſt enim Sacra Scriptura lumen illud Cælo lapſum, ut cognoſcas vias Domini & ſemitas voluntatis ejus: eſt panis ille de ſurſum deſcendens, qui dat vitam mundo, quo omnes ſeſe reficere & nutrire debent.

Ita ſanè; quis dubitet? Sacra Scriptura eſt lumen cæleſte, ſed ut inſerviat oculis ſanis, non ægrotis: eſt panis ſacratiſſimus, ita tamen ut à fortibus non debilibus maſticetur. Utique panis iſte non magis erit neceſſarius ac panis ille Euchariſticus, qui, quantumvis ex ſe ipſo ſaluberrimus, nihilominus perquam funeſtos parit effectus in illis, qui ſe ipſos non probant, ſed judicium ſibi manducant & bibunt, mors eſt malis, vita bonis. Sic pariter, cùm juxta D. Auguſtinum verbum Dei in ſacris litteris complexum non ſit inferiore reſpectu & Veneratione dignum, ac corpus dominicum, nonne imprudentia foret criminoſa & prorſus intolerabilis, nonne profanatio ineptiſſima, ſcripturarum lectionem permittere non ſolùm pauperibus & debilibus Spiritu, verùm etiam mundo, vanitati & pertinaciæ gratis vel pro ſtipendio ſervientibus? Quis non condoleat cæcæ temeritati præſentis & fatalis ſæculi, in quo ſacræ paginæ traduntur ad crucifigendum, & ſi dicere liceat, proſtituuntur in manibus promiſcui vulgûs. Infelix ſæculum! in quo omnis plebs prophetizat, ſibique verbi divini intelligentiam genui-

genuinám arrogat: peſſima tempora! quibus lectio ſcripturarum non ſit majore cum reſpectu, timore, ac veneratione, quàm lectio Mercurii, alteriúſve libri vana & profana tractantis. Eò uſque hæc diſordinatio promovetur, *ut ſumma ſcripturarum ars ſit*, inquit Hieronimus (*a*) *quam ſibi paſſim omnes vendicant, quam garrula anus, quam delirus ſenex, quam ſophiſta verboſus, quam univerſi præſumunt, lacerant & docent, antequam ſciant.*

Quis abominandum hoc chaos induxit in Eccleſiam Dei, niſi recenter nata hæreſis Janſeniſtarum? hi enim æmulo pede veſtigiis veterum hæreticorum inſiſtentes, ac ſtipe & commodato ex eorum ſcriptis errores ſuos conſarcinantes, non modò hanc lectionem ſacræ Scripturæ devotis ſuis, & pænitentibus tameſi rudiſſimis feriò ſuadent, ſed & verè imperant, pro ſalutari & ſacramentali pænitentia injungunt, in quem finem? ut eos judices conſtituant, arbitróſque reddant religionis: hinc ſolicitè pænitentes ſuos attendere jubent & funditus penetrare illos textus, quos reputant cauſæ ſuæ imprimis favorabiles.

Avertat Deus, ne unquam adeò excæcatæ præſumptionis notam, & culpam contrahas: audi potius, quid Spiritus dicat Eccleſiis, & quid tibi Eccleſiaſticus; (*b*) *quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam; quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus* (per Organum Eccleſiæ ſuæ) *illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus non fueris curioſus; plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi; multos quoque ſupplantavit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum* .... *qui amat periculum, in illo peribit.*

Cautum te faciant aliena pericula; eſto prudens aliorum infortunio: concipe ſacrum timorem Domini & reverentiam erga verbum illius; in ſacris litteris tibi loquitur majeſtas ejus, ſicut olim loquebatur filiis Jſrael ſupra verticem montis Sinai, horum

(*a*) Epiſt. ad Paulin.
(*b*) C. 3. v. 20.

concuſſus tremore dicito humiliter cum illis ad Moyſen (ad Eccleſiam, ad Papam) *loquere tu nobis & audiamus, & non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*; eſto contentus te legiſſe Dei eloquia, prout tibi explanantur, & quaſi digeruntur in libris Aſceticis ſpiritu & unctione plenis S. Franciſci Saleſii, Ludovici Granatenſis, Rodericii, aliorúmque probatorum, quos Orthodoxos novimus, ne, ſi velis tibi immediatè à Domino ſermonem fieri, fortè moriaris, & confundaris: *nam qui (a) ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à Gloria.*

Sint laudes Altiſſimo, non illud ſæculum vivimus, in quo cum propheta lamentari liceat; *parvuli petiêrunt panem, & non erat, qui frangeret eis (b)* panis ſacerrimus divini eloquii in tot particulas & fruſtula dividitur tam ſolicitè maſticatur à nutricibus, id eſt, à libris ſpiritualibus, ut parvuli & ſimplices in illis reperiant abundans alimentum ſine diſcrimine ſe vulnerandi inſtar parvulorum, ſi ipſimet panem frangerent, aut cultro conciderent.

Sin verò nihilominùs ſpeciali impulſu ad immediatam ſacræ Scripturæ lectionem commovearis, lege illam opportunâ horâ, detecto capite, flexis genibus, cum timore & reſpectu debito, præſertim poſt petitam & obtentam tui Parochi, vel Confeſſarii Zeloſi & prudentis licentiam, conformiter ad quartam regulam Indicis Concilii Tridentini, quæ ſic habet; *ut (c) cum concilio Parochi, vel Confeſſarii Bibliorum à Catholicis autboribus verſorum lectionem in vulgari lingua concedere poſſint, quos intellexerint &c.* Quòd ſi tales Parochi, vel Confeſſarii ſint verè Catholici & juſſis Eccleſiæ devoti, ut decet, nunquam tibi hanc lectionem permittent, niſi probè cognoverint, tibi vivam fidem profundámque humilitatem non mediocriter ſuffragari, ut fructum inde centuplum colligas, quem Verbum Dei efficax ſolet producere in cordibus ritè diſpoſitis. Certè modus agendi contrarius hos directores conſcientiarum redderet coram Deo peccati mortalis reos juxta ſolidum & prudens judicium Baſſæi, qui ſic

(a) Proverb. c. 25.
(b) Thren. 4.
(c) Reg. 4. ind. libr. prohib.

Digitized by Google

proponit : (*a*) *Tenentur paſtores ſub mortali invigilare ſuper Bibliorum, quæ manibus teruntur, editione, ne ſint corrupta; & ſuper qualitate legentium, ne curioſitate, imprudentiâ, præſumptione venenum inde hauriant &c.*

Notare te velim, me hîc non loqui cum Concilio Tridentino niſi de verſionibus Catholicis, non verò de illis, quas indies texunt & retexunt Janſeniſtæ violenter ſuſpectas de hæreſi; nemo tibi eas legendas impunè conceſſerit. Multò minùs hîc loquor de novo teſtamento Quenelli, nec de traductione Montenſi, ſeu ut vulgò dicunt, *de Mons*, nec de cæteris omnibus verſionibus ex Montenſi & Quenellica transumptis. Verùm hâc de re oportet ſtatuere diſtinctum articulum, quem ſtatim ordior, & pro quo tuam invito patientiam ac ſedulam attentionem.

DE BIBLIIS JANSENISTICIS.

ARTICULUS XIII.

Veritati conſonat, quod retuli Articulo XI. non ſunt laquei plus timendi magiſque cavendi fidelibus, ac malitioſi, pernicioſi, periculoſi Novatorum libri, qui in dies & horas in lucem editi lucem obtenebrant, pietate affectata pietatem in Deum & Eccleſiam tollunt, blandimentis teneræ eloquentiæ ſubtiliſſimum virus animabus infundunt, ac fidelium mentes incurabiliter ſauciant; ſed & conſtat manifeſtâ experientiâ, nihil ab ipſis contagioſiùs emanare in publicum ac eorum doloſas traductiones, verſionesque infideles Bibliorum in linguas vernaculas & vulgares: hi enim corrumpunt quod integrum, falſificant quod verum, invertunt quod rectum Sacræ Paginæ continent, faciúntque verbum divinæ Veritatis ancillari mendaciis & erroribus.

Prô! quanta mala Eccleſiæ intulerunt Lutherani, Calviniſtæ, aliique Sectarii nuperrimis & Noviſſimis ſæculis, tot falla-

(*a*) Verbo hær. n. 16.

ces verſiones & depravata Biblia credentium manibus terenda ſubminiſtrantes! nunquam opportunius remedium promovendis ſuis opinionibus incidit his perverſoribus; audeo aſſeverare, unico Bibliorum corrupto codice plus profeciſſe hæreſin contra Eccleſiam, ac cæteris omnibus quantumvis virulentis & violentis ſcribendi modis: nec tamen id quiſquam miretur. Eſt enim ſcriptura rudibus ſine litteratura ac diſpoſitione eam legentibus, quod iratum pelagus ſine velo, ſine remis & gubernaculo navigantibus, qui inſurgente vento valido naufragant; quid fiet, ſi Sacra Scriptura peſſimâ fide tranſpoſita veritatem cum mendacio miſceat craſi ſacrilega? nunquam vitium ita auguſtum, quàm ſi purpurâ & ſceptro ſplendet, nunquam falſitas ita deſpotica & in mentes humanas tantopere imperioſa, quàm ſi regio amictu *Veritatis* turget, nunquam faciliùs admittitur, nec ægriùs dimittitur mendacium, quàm ſi titulo *verbi divini* condecoratur.

Recentibus Calvini diſcipulis (Janſeniſtas intelligo) vetus hoc medium propagandæ hæreſis ſummè oportunum fuit: non diu deliberârunt; potente & urgente hâc induſtriâ non modicè ſectam ſuam pernicioſam propagare certabant; cùm enim ex eo ſint hæretici, quòd annuntient aliud Evangelium contrarium illi, quod Verbum incarnatum Evangelizavit. Cùm inſuper verum illud Jeſu Chriſti Evangelium in ſacris paginis aſſervetur, quid aliud neceſſe erat, niſi Scripturam adulterare, vel ut meliùs loquar, aliam ejus loco ſubſtituere? ut nova dogmata novis ſcripturæ textibus firmarentur, oportuit recenter exſtruere novum ſcripturarum codicem ſuper rudera & ruinas veteris, quem Novatores, quantùm in ſe, ita ad terram proſternebant, ut vix reliquerint lapidem ſuper lapidem. Quæres: Quænam ergo & ubi eſt nova ſcriptura Janſeniſtarum? reſpondeo, eſt verſio Montenſis, ſeu *de Mons* dicta, Verſio prava & adultera, quæ nihil minùs eſt eo, quod in fronte gerit, Nimirum *teſtamentum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum editionem vulgarem cum differentiis græcæ verſionis*: ſed eſt, (ut ſenſum ver-

Digitized by Google

bis D. Hieronimi exprimam) *Evangelium hominis ; & quod peius eſt, Evangelium, & teſtamentum diaboli ſecundùm editiones, & doctrinas Janſenij cum differentiis errorum, & mendaciorum ejus*: *Caveas*, ait Hieronimus, (*a*) *ne perversâ interpretatione de Evangelio Chriſti hominis fiat Evangelium, aut quod pejus eſt, diaboli*; tale eſt monſtroſum illud teſtamentum.

Tale judicium ferunt omnes Catholici cum Clemente IX. & Innocentio XI. qui bullis ſuis ſolemnibus condemnârunt hanc verſionem tanquam peſſimam, damnoſiſſimam, ejúſque uſum & lectionem interdixerunt ſub pæna Excomunicationis: Verum eſt, Bullas iſtas in Galliis requiſitis ſolemnitatibus non eſſe receptas, nec in toto regno debitam obtinuiſſe Authoritatem; nec tamen exinde ut minùs obligantes cenſendæ ſunt. Poſſet enim dici cum Clero Gallicano, quòd Poteſtas Pontificia ſit infallibilis, quòd legitimum Papæ judicium ſit regula credendi fidelium, quòd teneamur cum reſpectu & ſubmiſſione audire vocem Romani Epiſcopi tanquam vocem ſupremi & legitimi Paſtoris, cui omnes Chriſtiani parere tenentur in rebus ad conſcientiam ſpectantibus, nec Gallicanæ libertati præjudicantibus: ad hæc poſſet afferri, quòd Rex, ut ſecundaret Zelum & Authoritatem Papalem, regno ſuo exturbaverit verſionem Montenſem per decretum Conſilii regii; quòd Majeſtati teneantur obedire omnes Galli, cùm de fide ſit, ſubditos teneri legibus juſtis ſui Principis; *non ſolùm*, ait Apoſtolus (*b*) *propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*; ſepoſitis tamen cunctis his rationibus minimè ſpernendis, quæro; nónne Beatiſſimus noſter Papa *Clemens* XI. recentiſſimè damnavit novum teſtamentum *de Mons* in ultima ſua Conſtitutione *Unigenitùs*? quæ, cùm ſit acceptata ab univerſa Eccleſia, omni pollet authoritate, quam etiam extremè delicati gallicanæ libertatis Zelatores deſiderarent: quis enim ignorat, tenore & vi hujus Conſtitutionis damnatum eſſe ac ſub pæna Excommunicationis interdictum Quenelli novum teſtamentum? & hoc non ſolùm idcirco, quòd ejus reflexiones morales quamplurimæ ſint

(*a*) Hom. 6. in cap. 1. ad Galat. (*b*) Rom. 13. 5.

Digitized by Google

veritatibus Orthodoxis contrariæ, verùm etiam, quòd ejus verſio in vernaculam gallicam ſit conformis in pleriſque capitibus Verſioni Montenſi jam condemnatæ ac prohibitæ à ſumma Cathedrâ.

Supponamus tamen, licèt falſiſſimò, Conſtitutionem *Unigenitus* ex hoc capite nullius prorſus eſſe roboris inter Gallos, num ideò dubitare liceat hanc verſionem eſſe vetitam? poſt tot reiteratas damnationes, poſt repetita toties anathemata Paparum & Epiſcoporum, qui exemplo Pontificis excitati hanc ipſam verſionem non ſemel profligârunt, nullus dubitandi locus ſupereſt; quippe ex hoc ſolo luculenter conjicies, eam eſſe peſſimam & ſummè damnabilem. Utique ſufficiat, & ſuperabundet unicum iſtud, ut dicta verſio ne nominetur quidem inter Catholicos, & quam nullus ſine læſione animæ, ſine periculo lapsûs, ſine offenſa Dei & Eccleſiæ legerit.

Hoc ipſum ne quidem Janſeniſtas latebat; ut enim ſupplantarent ſimplices, quibus conſcientia eſt tenera & remordens in legendis libris prohibitis, attendas quid attentaverint. Plures editiones Novi teſtamenti Montenſis diverſis locis divulgari curaverant, variato titulo ſeu fronte quorundam exemplarium, relinquendo cætera in priſtino ſtatu corruptionis: in aliis verò exemplaribus corrigebant loca quædam apertiùs depravata, contenti appoſitione nonnullarum annotationum, venuſtè ſenſum ſacræ Scripturæ inflectentium, ſuiſque tegendis erroribus deſervientium: & quod hac ex parte maximè eſt ſeductivum, quodque ingenuis ſuſpiria, cæteris iram provocat, ſeductores illi frequenter in fronte Bibliorum nomina præmittebant Virorum non vulgaris authoritatis & conſiderationis, quo aſtu planiſſimam ſibi ſternebant viam ad deludendam Religionem: Cùm igitur ſimpliciores fideles alíorſum diſtracti immorari nequeant examinandis hujuſcemodi verſionibus, hinc ducuntur authoritate & putativa approbatione, quam in editione Montenſi maximè ſupponebant ex adeò ſpecioſis & magnificis apparentiis; hinc moraliter impoſſibile eſt, ſimplices non hallucinari ad

Digitized by Google

tam fraudulenta extrinſeca, ne minùs venenum pro medicinâ hauriant, verbum hominis pro verbo Dei ſuſcipiant.

Quapropter immenſi ponderis & emolumenti fore arbitror, ſi hâc occaſione Biblia Janſeniſtica ad tribunal citem, ut appendantur in ſtatera, & inveniantur minùs habentia: in hunc finem notabo nonnullos textus, quos corrumpere in patrocinium falſitatis ſacrum & ſolemne habent, ut ſi aliquando tales editiones & verſiones occurrerent, brevi labore ex hîc annotatis corruptionibus dignoſcantur, & tanquam in adulterio deprehenſæ vel lapidentur, vel extra Eccleſiam fiant.

Nota, me in hoc propoſito non parare amplam diſſertationem de authoritate diverſarum editionum Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ linguæ, nec de obligatione indiſpenſabili ſe conformandi in omnibus cum Latina Vulgata, quæ eſt vera & Authentica ſcriptura, nec de crimine falſi nigerrimo illorum, qui in ſuis verſionibus immutant, adjiciunt, tollunt aliquid in ſacro contextu, nec de innumeris falſificationibus Montenſium, quibus ſcatent eorum tranſpoſitiones, nec de intolerabili libertate ac temeritate, quâ hi verſores perſæpe textum græcum latino vulgato præferunt, imò relicto tam hoc quàm illo verbum vicarium ſubſtituunt Verbo Dei, nimirum verbum Janſenii.

Singula iſthæc in nimis remota nos deducerent contra propoſitum: fuſior diſcuſſio ſuper tanti momenti materias non brevem epiſtolam ſed ingens volumen exigit: Nec etiam tale quid rei neceſſitas poſtulat; quòd enim verſionis Montenſis uſus tibi ſit interdictus, ſufficiat ſcire, legitimè damnatam eſſe verſionem illam, licèt cæteroquin ignores damnationis hujus cauſas & rationes.

Igitur ſuperabundans ero, ſi hoc loco afferam tres aut quatuor textus corruptos ſuper quamlibet ex primariis quinque Janſenii propoſitionibus, quibus Montenſes corrupta ſua verſione ſuppetias ferre ſtatuerant: monſtrâſſe ſufficiat quædam falſa majoris ponderis & præjudicii unácum conſequentiis periculo gravidis, quæ deducuntur contra veræ fidei principia: His addam nonnullos textus

corruptos contra divinitatem Chriſti, ut demonſtrem, non ſine fundamento in re ſuſpectos haberi modernos hæreticos de occultis intentionibus ſubvertendi totam Chriſtianam Religionem.

Cæterùm licèt ſubſequentes annotationes ſint admodùm breves & ſimplices, nì tamen fallor, non erunt ex toto ſteriles; utpote quæ promittunt non mediocres progreſſus in tui inſtructione; inde enim diſces non ſolùm depravata Biblia, ſed & intemeratum fidei Catholicæ robur cognoſcere; quippe quòd una ex parte perſpicies ſolidum fundamentum verbi divini, cui firmiter & inconcuſsè inſiſtunt dogmata Catholicæ Religionis, ex alterâ autem denudabis uſque ad fundum labile ædificium Novatorum ſuperædificatum non Petræ ſed arenæ peſſimæ fidei; certum eſt enim, nihil adeò falſitatem doctrinæ prodere ac mala fides, quando nimirum veritatis patrocinium in mendacio quæritur, atque ad ſtabiliendam religionem fraudes tanquam arioli conſuluntur recurrendo ad teterrimam impietatatem, qualis eſt depravatio ſcripturarum.

CONTRA

Digitized by Google

CONTRA POSSIBILITATEM MANDATORUM DEI.

Primus Locus corruptus.

Textus Vulgatæ latinæ ſic habet : *Per legem cognitio peccati.* Rom. c. 3. v. 20.

Verſio Catholica vulgaris. Nam lex fecit cognoſcere peccatum.

Verſio Montenſis : Nam lex *non nobis dedit , niſi* cognitionem peccati.

Cur non ſimpliciter vertunt : legem nobis dediſſe cognitionem peccati ? quid neceſſitat addere , quod non eſt in textu , legem *nihil nobis dediſſe* niſi hoc, ſcilicet cognitionem peccati ? nonne ideò , ut excludant à lege divina , illíque abnegent omnem alium finem nobiliorem , ac favorabiliorem tum perfectioni tum ſaluti hominum ? nonne ideò, ut inſinuent impiam Janſenii opinionem dicentis , illos abundè decipi , qui credunt , legem Judæis datam eſſe ex immediata intentione, ut illuminati præceptorum radiis faciliùs cum ſuccurſu gratiæ evitarent peccata , quæ olim cōmittebant contra legem naturæ ;

Secundus Locus corruptus.

Text. Vulgatæ *Quid ergo lex ? propter tranſgreſſiones poſita eſt.* ad Galat. 3. v. 19.

Verſio Vulgaris Cath. Quid igitur juvat lex ? propter crimina illa fuit ſtabilita.

Verſio Montenſis. Quare igitur lex eſt ſtabilita? hoc ideo fuit, *ut cognoſcerentur crimina, quæ ejus violatione committuntur.*

Præter quòd hæc tranſpoſitio non ſit litteralis, ſed paraphraſtica, eſt inſuper valdè temeraria, & infidelis: evidens eſt Verſores Montenſes non corrupiſſe hunc textum tali modo, niſi ut illum, quantùm fieri potuit, torquerent ad exprimendum ſenſum hæreticum Janſenii mox explicati ad locum præcedentem.

Tertius Locus corruptus.

Text. Vulg. *ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato. ad Galat. 3. v. 22.*

Verſio Vulgaris Cath. Sed ſcriptura ſubjecit omnia peccato.

Verſio Montenſ. Sed lex ſcripta quaſi incluſit omnes homines ſub peccato.

Omnes Doctores Catholici conveniunt, D. Paulum hoc paſſu nolle quid aliud dicere, niſi quod ſcripſit ad Romanos: (a) *Cauſati enim ſumus, Judæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe. Scriptum eſt enim, non eſt juſtus ..... non eſt qui faciat bonum uſque ad unum*; quaſi diceret; cauſati ſumus, id eſt, convicimus eos Judæos, & Græcos omnes eſſe ſub peccato, ſicut ſcriptum eſt: Convicimus eos per ſcripturam, vel ſcriptura eos convicit. Tranſpoſitores Montenſes, ùt exauctorarent interpretationem tam Catholicam, uſi ſunt Metamorphoſi, ac tranſmutârunt Verbum *Scriptura* in verbum *lex ſcripta*, & hoc in favorem Janſenii falsò docentis, legem ſcriptam reſpectu Judæorum fuiſſe quaſi murum firmum, & fortem, ad ſeparandum eos à juſtitiâ

(a) C. 3. v. 9.

Digitized by Google

tanquam muro interpoſito : item quòd lex Judæos quaſi incarceraverit in clauſtro peccati per impoſſibilitatem illud evitandi.

Quartus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate.* Rom. 11. c. 32.

Verſio Vulg. Cath. Deus reliquit omnia in incredulitate.

Verſio Mont. Nam Deus *voluit*, ut omnes *Judæi, & gentiles involuti eſſent* in incredulitate.

Si Deus voluit omnes Judæos, & Gentiles involutos in incredulitate, tunc ſequitur indè neceſſariò, quòd illis gratiam neceſſariam non dederit ad evitandam hanc incredulitatem, & quòd reliquerit eos conſequenter in abſoluta neceſſitate inobedientiæ, & infidelitatis : En impietatem, quam perverſi Verſores hoc loco promovere ſtudent. Deus neminem vult, nec incredulum, nec inobedientem, quia omnibus tribuit ſufficientes gratias ad evitandam tam inobedientiam, quàm incredulitatem, permittit tamen utramque, quia non omnibus ſuppeditat efficaces gratias.

CONTRA GRATIAM SUFFICIENTEM.

Primus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo,*

ſi quis audit meam vocem, & mihi januam aperit, intrabo ad illum. Apoc. c. 3. v. 20.

Verſio Cath. Ecce ſum ad oſtium & pulſo, ſi quis audit meam vocem, & mihi januam aperit, intrabo ad illum.

Verſio Montenſ. nam *ſtatim ero ad* oſtium & *pulſabo*, ſiquis audierit vocem meam, intrabo ad illum.

Evidens eſt hos infideles tranſpoſitores corrupiſſe hunc locum tot modis, ut oppugnarent gratiam ſufficientem omnibus hominibus datam 1. detraxerunt hoc verbulum. *Ecce*, quod denotat præſentiam actualem gratiæ, quam Deus nobis offert, & præſentat 2. *ſtare & pulſare* de præſenti tempore tranſmigrârunt in futurum, *ſtabo & pulſabo*, licèt Spiritus Sanctus id aſtruat de præſenti: *ſto & pulſo*: ut eò meliùs exprimatur & præſentia gratiæ, & patientia Dei expectantis noſtrum conſenſum 3. adjungunt adverbium ſtatim, quod eſt falſificatio, & impietas intolerabilis.

Secundus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Gentes ..... obſcuratum habentes intellectum, alienatæ à vita Dei.* Ephes. 4. v. 19.

Verſio Cath. Gentes, quæ habent intellectum obſcuratum, alienatæ à vita, quæ eſt ſecundùm Deum.

Verſio Montenſ. Gentes, quæ habent intellectum

plenum tenebris, & quæ ſunt *totaliter* alienatæ à vita Dei.

Profectò non modica eſt differentia inter locum plenum tenebris, & locum obſcurum. Locus tenebris repletus eſt locus omni orbatus lumine, locus verò obſcuratus, ſeu obſcurus adhuc participat tenues quoſdam radios, ac modicas ſcintillas luminis; facta hac reflexione facilè penetratur ratio, cur Verſores Montenſes Paulum teſtari velint, quaſi gentiles intellectum habeant plenum tenebris; ſine dubio hac verſione prætendunt, gentes nullam penitus gratiam à Deo recipere, nec lumen, nec motionem, quibus ferantur ad bonum & avertantur à malo; hoc itidem affirmatur ex illo additamento *totaliter*, quod textus non habet, ſed ipſi aſſociârunt verbis, *alienati à vita Dei.*

Tertius Locus corruptus.

Text. Vulg. *Pervenit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem.* 1. *Teſſal.* 2. *v.* 16.

Verſio Cath. Nam ira Dei cecidit ſuper illos pro ſemper.

Verſio Mont. Nam ira Dei cecidit ſuper eos, *ut illos opprimat* uſque in finem.

Montenſes ſuperaddiderunt hæc verba, *ut eos opprimat vel onere premat*, quæ non ſunt in textu, non alia ex cauſa, niſi ad inſinuandum, quòd Judæi fuerint in derelictione tam horribili, ut non ſolùm Deus illis nullam conceſſerit gratiam interiorem, quâ poſſent ſe juvare, ſed quòd etiam ipſamet lex, quæ videbatur in ſuccurſum, & auxilium ſalutis conceſſa, eos poſuerit in ſtatum neceſſitatis inevitabilis nova perpetrandi peccata.

Digitized by Google

Quartus Locus Corruptus.

Text. Vulg. *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15. v. 20.

Verſio Cath. Plus laboravi, quàm omnes ipſi, non tamen ego, ſed gratia Dei mecum.

Verſio Mont. Plus laboravi, quàm omnes alii: nihilominus non ego, ſed gratia Dei, *quæ eſt mecum.*

Quando Paulus dicit, gratiam laborare nobiſcum, & nos cum gratia, omnes vult inſtituere, quòd bonus effectus gratiæ dependeat à concurſu liberi arbitrii una cum operatione ipſiuſmet gratiæ. Econtra ſi diceret, prout vertunt malæ fidei Montenſes, gratiam *quæ in nobis eſt* laborare, prona concluſio ſequeretur Janſeniſtarum, ſolam gratiam totum in nobis operari independenter à cooperatione libera hominis, nunquam hanc gratiam ſuo effectu deſtitui, nullas dari gratias ſufficientes, ſed duntaxat efficaces.

CONTRA POTENTIAM HOMINIS reſiſtendi gratiæ.

Primus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Eſt ſcriptum in prophetis; & erunt omnes docibiles Dei: omnis, qui audivit à*

Digitized by Google

Patre, & didicit, venit ad me. Joan. 6. v. 45.

Verſio Cath. Eſt ſcriptum in Prophetis: erunt omnes diſcipuli ipſius Dei? quicunque audivit Patrem & didicit venit ad me.

Verſio Mont. Eſt ſcriptum in prophetis: erunt omnes *inſtructi à* Deo. *Igitur* omnes illi, qui audierunt vocem patris, & fuerunt *ab ipſo inſtructi*, veniunt ad me.

Hoc paſſu deteguntur tres falſificationes notabilis momenti. 1. Montenſes apponunt particulam igitur, quæ non eſt in textu, & hoc ut inſinuent, quòd inſtructi à Patre cæleſti veniant ad filium per conſequentiam neceſſariam, & quòd ſic illi, qui ad eum non perveniunt, non ſint inſtructi nec gratiam veniendi habeant, nec habuerint. 2. loco verbi *diſcere* poſuerunt *docere* ſeu *inſtruere*, quòd eſt crimen falſi palmare: nam verbum *diſco* nunquam ſignificat doctum, & inſtructum eſſe, ſed per Synonima ſignificat acquirere doctrinam, fieri eruditum, litteratum, aliquid imprimere intellectui, illi acquieſcere, illi vacare voluntariè, & liberè. Idcirco hujus loci verus eſt ſenſus, quòd illi veniant ad Chriſtum, qui poſt illuminationem obediêrunt gratiæ, & conſenſerunt. 3. Montenſes activum verbi *diſcere* mutaverunt in paſſivum verbi doctum, inſtructum eſſe, & hoc infallibiliter, ut perſuadeant, voluntatem non operari liberè, ſed paſſivè ſe habere ad operationem gratiæ omnia in homine operantis.

Secundus Locus corruptus

Text. Vulg. *Reſpondit Jeſus & dixit ei, ſi ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: da*

Digitized by Google

mihi bibere; tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. Joan. 4. v. 10.

Verſio Cath. Jeſus dicit ei: Si cognoſceres donum Dei, & quis eſt, qui tibi dicit, da mihi bibere; forſitan petiiſſes ab eo, & ipſe tibi dediſſet aquam vivam.

Verſio Mont. Jeſus dicit ei, ſi cognoſceres donum Dei, & quis eſt ille, qui dicit tibi, da mihi bibere, ipſamet ab eo petiiſſes & dediſſet tibi aquam vivam.

Hoc loco verſores infideles omittunt adverbium *forſitan*, quod patenter innuit, ambiguum & incertum eſſe, utrùm mulier Samaritana ſit conſenſura gratiæ oblatæ. Cur verò hoc adverbium abjecerint, facilè divinaveris ſine cerebri defatigatione; nimirum ut robur adjicerent impio dogmati de gratia neceſſitante. Ex hoc ipſo motivo & intento Montenſes ſe hoſtes irreconciliabiles monſtrârunt contra hoc *forſitan*, illud hinc indè in ſuis verſionibus evitando, prout etiam in capite 5. ejuſdem S. Joannis. *Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi*, quòd ita tranſpoſûere: ſi crederetis Moyſi & mihi crederetis.

Tertius Locus corruptus.

Text. Vulg. *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. Cor. 6. v. 1.

Verſio Cath. Ut autem laboremus vobiſcum,

vos

vos exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Verſio Mont. Cùm igitur ſimus cooperatores Dei exhortamur vos, ut *tali modo vos geratis*, ne *receperitis* gratiam Dei in vanum.

Hæc eſt paraphraſis infidelis, nec eſt tranſpoſitio litteralis. Infidelitas in eo conſiſtit, quòd verſores inverterint præſens in præteritum, ac mutent *recipiatis in receperitis*, quod integrum ſenſum Pauli immutat. Si enim Apoſtolus hortaretur fideles, ut ita ſe gerant, & circumſpectos habeant, ne in vanum gratiam Dei receperint, non illos niſi ad perſeverantiam excitaret. Nunc autem Apoſtolus toto cælo contrarium monet ſcilicet ne in vanum & vacuum Dei gratiam recipiant, hortatur, ne illi reſiſtant, exſtimulat, ut cum illa concurrant ad praxin & exercitium virtutis, ne gratia in ipſis maneat inanis & ſterilis, ſed ut fiat efficax; hic ſenſus, ut ad oculum patet, ex radice tollit, & evertit blaſphemam propoſitionem de gratia neceſſitante.

Quartus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Deus autem pacis ..... aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem faciens in vobis, quod placeat coram ſe* Heb. 13. v. 21.

Verſio Cath. Interim Deus pacis reddat vos aptos ad omne bonum, ut adimpleatis ejus voluntatem, operans in vobis ea, quæ ipſi ſint placita, & accepta.

Verſio Mont: Deus Pacis vos *applicet* ad omne

opus bonum, ut faciatis ejus voluntatem: *ipſimet faciens* in vobis id, quod ipſi eſt acceptum.

In modo loquendi ſcholaſtico, prout notum eſt Theologis, hæc vocabula prædeterminatio, præmotio, applicatio ſunt ſynomina, idem ac eodem modo ſignificantia apud omnes illos, ſive ſint hæretici ſive Catholici, qui prætendunt gratiam eſſe ex ſe & intrinſecâ ſuâ naturâ efficacem. Diſcrimen autem quoad hoc inter Catholicos & hæreticos ſubſtantialiter in eo conſiſtit, quòd Catholici doceant voluntatem ſe liberè & ex ſe ipſa ad actum determinare, licèt gratia applicet hanc voluntatem ad faciendum bonum: Econtra hæretici tenent, ſolam gratiam nos ad opus determinare, & applicare: hanc hæreſin ſequuntur Verſores Montenſes, quando verbo *applicare* induunt ſignificationem violentam non naturalem: hoc latiùs patet ex addito pronomine, *ipſemet*, ſacro textui intextum, ut intimarent ipſummet Deum eſſe, qui omnia operetur in nobis independenter à nobis.

CONTRA INDIFFERENTIAM liberi arbitrii.

Primus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* 2. *Theſſal.* 2. v. 13.

Verſio Cath. Ideò Deus illis mittet hoc opus Erroris, ita ut adhibituri ſint fidem mendacio.

Verſio Mont. Ideò Deus ipſis mittet *Spiritum er-*

Digitized by Google

roris adeò efficacem, ut credituri ſint mendacio.

Nemo non videt traductores non alio ex fine attentâſſe inſignem hanc variationem, niſi ad deſtruendam liberi arbitrii indifferentiam. Omnes concordant interpretes ly *operationem erroris* in mente D. Pauli nil aliud exprimere, niſi actionem externam Anti-Chriſti, quâ ſit facturus portenta & prodigia ad ſeducendos, ſi poſſibile ſit, etiam electos. Econtra Tò *Spiritum erroris* indicat intrinſecam motionem, quæ voluntatem inducit in errorem. Quod majus eſt, *Spiritus erroris adeò efficax*, ut credant mendacio, clarè exprimit virtutem invincibilem hujus motûs interni, ac neceſſitatem inevitabilem illum ſequendi.

Secundus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt, qui verò ſecundùm Spiritum ſunt, quæ ſunt Spiritûs ſentiunt.* Rom. 8. v. 5.

Verſio Cath. Nam illi, qui vivunt ſecundùm carnem, guſtum habent pro rebus carnis, & illi qui vivunt ſecundùm ſpiritum, ſunt ſenſibiles pro rebus ſpiritûs.

Verſio Mont. Illi, qui vivunt ſecundùm carnem, *ſunt poſſeſſi amore* carnis, illi qui vivunt ſecundùm ſpiritum *ſunt poſſeſſi amore* rerum ſpiritualium.

Digitized by Google

Num forſan natura linguæ latinæ fuit inverſa, quòd jam *ſapere*, *& ſentire* ſignificent *poſſideri amore*, vel eſſe *poſſeſſum amore*? Verùm ne mireris, Verſores Montenſes audere contra principia linguæ latinæ, cùm nihil non audeant contra principia & doctrinas Eccleſiæ, dummodo impium dogma de neceſſitate agendi ſub motione gratiæ aut concupiſcentiæ promoveant.

Tertius Locus corruptus.

Textus Vulg. *Verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.* 1. *Theſſal.* 2. *v.* 13.

Verſio Cath. Verbum Dei, qui operatur in vobis aliis, qui credidiſtis.

Verſio Mont. Verbum Dei, qui agit *efficaciter* in vobis,qui eſtis fideles.

Nihil Montenſibus adeò familiare in ſuis verſionibus, ac *efficacia*, *efficax*, *efficaciter*: maximè hos terminos placet illis ſuperaddere textibus, in quibus Spiritus Sanctus loquitur de operibus gratiæ & concupiſcentiæ: Et hoc ut *efficaciter* probent, & propugnent neceſſitatem agendi, ſive per gratiam, ſive per concupiſcentiam impellentem.

Quartus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum.* 2. *Tim.* 2. *v.* 21.

Verſio Cath. Si quis igitur ſe purificavit ex hac

parte, erit vas honoris, ſanctificatum, & commodum ad uſum Domini, præparatum pro omni ſpecie bonorum uſuum.

Verſio Mont. Si quis igitur ſe *purum ſervat* ab his rebus, erit vas honoris ſanctificatum & utile Domino, præparatum pro omni ſorte bonorum operum.

S. Paulus nos inſtruit hoc loco, in noſtra ſitum eſſe poteſtate cum auxilio gratiæ tranſeundi ex infauſta conditione Vaſis in contumeliam, ex immundo ac ſordibus peccati inquinato Vaſe ad felicem conditionem Vaſis in honorem mediante fuga peccati & vera converſione cordis. Noſtri autem Montenſes non ſic ſentiunt, malunt Janſenium quàm Paulum ſequi: loco ſe *emundaverint*, ſubſtituunt ſe *puros ſervant* vel *cuſtodiunt*, ut hac ratione enervarent ſcripturæ ſuffragium. Quilibet haud difficulter notabit diſcrimen inter hoc & illud: nam ſe cuſtodire, ſervare purum à peccato nihil aliud exprimit, niſi fugam peccati, in quod quis necdum prolapſus eſt: ſe verò emundare à peccato explicat actualem peccatoris mutationem, quâ ſe ad Deum convertit, hanc mutationem & converſionem hoc loco Paulus affirmat eſſe in plena poteſtate liberi arbitrii cum ſuccurſu & auxilio gratiæ.

CONTRA MORTEM JESU CHRIſti pro omnibus hominibus.

Primus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Gloria in excelſis Deo, & in terrâ*

Pax hominibus bonæ voluntatis. Luca. 2. v. 14.

Verſio Cath. Gloria ſit Deo in altiſſimis Cœlorum, & pax ſuper terram hominibus, qui habent cor rectum.

Verſio Mont. Gloria Deo in altiſſimis Cœlorum, & pax ſuper terram hominibus *Deo dilectis.*

Hoc textu latinæ vulgatæ Spiritus Sanctus narrat, veniſſe Angelos, ut annuncient pacem hominibus bonæ voluntatis, id eſt volentibus proficere ex gratiis, quas ipſis Chriſtus ſua nativitate promeruit, & ideò, ſi non omnes has gratias recipiant, hoc accidere ex propria culpa: Verùm noſtri tranſpoſitores non Angelos, ſed Janſenium audiunt; magis docibiles diſçipuli hujus quàm illorum, conſultum judicant immutare hæc verba hominibus recti cordis vel bonæ voluntatis in hæc: hominibus *à Deo dilectis.* Per quod non obſcurè inſinuant, Angelos nuntiâſſe pacem non niſi illis, qui ſpeciali electione ſunt amati à Deo, & conſequenter Chriſtum non veniſſe in carne, nec mortuum eſſe ſecundùm carnem niſi pro ſolis electis.

Secundus Textus corruptus

Text. Vulg. *Maniſeſtavi Nomen tuum hominibus, quos dediſti mundo.* Joan. 17. v. 6.

Verſio Cath. Feci cognoſcere nomen tuum, quos dediſti mihi de mundo.

Verſio Mont. Feci cognoſcere nomen tuum ho-

minibus, quos mihi dediſti, *poſtquam illos de mundo ſeparâſti.*

Cur oportet addere integram conſtructionem, *poſtquam illos ſeparâſti?* nonne idcircò, ut mordicus defendant, Chriſtum non veniſſe in mundum, non evangelizâſſe, non mortis ſtipendia ſolviſſe, niſi pro ſolis electis, dilectis, ſelectis à mundo, & ſeparatis: res eſt evidens, & per ſe loquitur.

Tertius Locus corruptus.

Text. Vulg. N*on poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt mortuus pro nobis.* 1. *Theſſal.* 5. v. 9.

Verſio Cath. Deus nos non deſtinavit, ut ſimus objectum iræ ſuæ, ſed ut obtineamus ſalutem per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt mortuus pro nobis.

Verſio Mont. Deus non nos *ſelegit*, ut ſimus objectum iræ ſuæ.

Non multi paſſus extant in ſacris paginis, qui clariùs teſtentur ſinceram Dei voluntatem ſalvandi omnes, moriendi pro omnibus. Ut igitur Verſores Montenſes validiſſimo huic textui robur ſubtrahant, loco *non poſuit, non deſtinavit nos*, congruum ſuo errori ſubſtituerunt terminum *non ſelegit nos*, quo taliter & temperant & limitant hanc expreſſionem Paulinam, ut non poſſit adaptari niſi ſolis electis; licèt enim Tò *ſelegit* cunctis Chriſtianis convenire poſſit, ſpecialiùs tamen deſignat *electos.*

Quartus Locus corruptus.

Text. Vulg. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam.* Rom. 9. v. 21.

Verſio Cath: Nonne eſt in poteſtate figuli faciendi ex eadem maſſa vas ad uſus viliſſimos &c.

Verſio Mont: Figulus nónne poteſtatem habet faciendi ex eadem maſſa lutea vas *deſtinatum* ad uſus honorabiles, & aliud *deſtinatum* ad uſus viles & contumelioſos.

Si unquam licuiſſet addere quid vel variare in ſacro textu hâc occurrentiâ, nemo id meliore jure attentaverint ac nos Catholici ad explicandas tenebras hujus loci, cùm plurimùm videatur favere Luthero, Calvino, eorúmque erroribus juſtè ab Eccleſia damnatis. Verùm auſus tam temerarius non niſi hæreticos decet, quibus nihil adeò ſacroſanctum, quod non lacerent, vel profanent in ſubſidium ſuæ pertinaciæ. Ex hoc conſilio adjecerunt mox allato loco bis repetitum *deſtinatum*, quod textus non habet,per quod *deſtinatum*, nolis, velis, abſolutè & ultimatò ſe determinant credere & docere, Deum irrevocabili conſilio & decreto maximam hominum partem flammis devorantibus in pabulum perpetuum deſtinâſſe, & per conſequens Chriſtum non pro his ſed pro illis duntaxat mortuum eſſe, quos abſolutè deſtinavit ad gloriam.

Cùm Janſeniſtæ ſæpiſſimè jactent hunc textum Paulinum ad propagandam & protegendam hæreſin, operæ pretium erit ejus genuinam explicationem hac occaſione tradere. Igitur ſciendum eſt primò, quòd hoc vocabulo *Maſſa* loquatur quidem de omnibus hominibus peccato Originali infectis, principaliùs tamen de illis, qui plura

plura peccata mortalia, & actualia contraxerunt; Etenim evidenter patet ex ipſo contextu, Paulum loqui de impiis, & Judæis incredulis. Sciendum 2. quòd Apoſtolus hìc non præcisè, & propriè agat de prædeſtinatione ad gloriam, prout falsò præſumunt Novatores, ſed quòd ſolùm tractet de prædeſtinatione ad gratiam filiationis, & adoptionis, quam gratiam Catholici concedunt eſſe purè gratuitam. Certum eſt enim, quòd ſi eam Deus aliquibus recuſet ex juſto judicio, & conſilio imperſcrutabilis ſuæ juſtitiæ, eò quòd abuſi ſint primis gratiis, illam econtra largiatur aliis ex abundantiâ & affectu divinæ ſuæ bonitatis, licèt eam frequenter minùs meruerint, ſéque indigniores prioribus tali gratia reddiderint.

Hoc poſito dico cum perdocto Cornelio à Lapide, (a) „Deum tantùm in eo comparari huic figulo, quòd ſicut figulus poteſt ex eodem luto facere vas unum in honorem, aliud in contumeliam, ita „Deus ex eadem maſſa, cujus vult miſeretur, & quem vult, „indurat: cujus ergo miſeretur, id eſt, quem peccato liberat & „juſtificat, uti Chriſtianos credentes, hos facit vaſa in honorem, „quem verò indurat, uti Pharaonem & Judæos incredulos, hos „facit vaſa in contumeliam. Non ergo vas in honorem hìc eſt electus „ad gloriam, nec vas in contumeliam eſt reprobatus ad gehennam, „ſed vas in honorem eſt juſtificatus, vas in contumeliam eſt impius, „qui eſt in peccato: „huc uſque Cornelius. Nec tamen Deus aliquem expreſſè deſtinat, ut ſit impius & vas contumeliæ, ſed tantùm indirectè retrahendo gratias efficaces, ex quo pergunt in ſua malitia ſine ulla deſtinatione, quam tamen Janſeniſtæ in hoc textu demonſtrare tantopere deſudant, cui etiam bina vice ter-improbo conatu *ſuam deſtinatum* intertexunt, licèt non reperiatur in vulgata latina.

Cùm tamen Deus ab æterno præviderit, quoſdam morituros in ſuis peccatis partim propter abuſum gratiæ, partim ex obſtinacia malitiæ, hinc ipſam peccatorum pervicaciam ad ſuam gloriam ordinavit. Prævidebat Deus, inquit Cornelius, Pharaonem contuma-

(a) in epiſt. ad Rom. c. 9.

Digitized by Google

citer monitis, & potentiæ obluctaturum, hinc ejus malitiam ordinavit ad gloriam; unde etiam non incongruè quis dixerit, quòd, licèt Deus omnes illos in prima ſua intentione fecerit in vaſa honoris, in ſecunda tamen intentione illos figuraverit in vaſa contumeliæ, qui in deplorando hoc ſtatu aliquando inſerviant manifeſtandæ divinæ gloriæ, quando nimirum ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, tunc tandem intonabit ſuper impios indignationem vindictæ, rigorem juſtitiæ, magnitudinem omnipotentis brachii ſui.

Hîc habes in paucis amplam, & genuinam explicationem ſenſûmque naturalem hujus textûs, in quo Janſeniſtæ tam inaniter gloriantur, & à non quo niſi apparens, & ementitum mendicant ſuffragium ſuis erroribus.

CONTRA DIVINITATEM JESU Chriſti.

Primus Locus corruptus.

Text. Vulg. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* *Joan.* 1.

Verſio Cath. Verbum erat à principio, & Verbum erat in Deo.

Verſio Mont. In principio erat Verbum, & Verbum erat *cum* Deo.

Nemo non deprehendat primo intuitu ingentem diſtantiam inter particulas *in & cum*, prima enim particula *in* adamuſſim exprimit conſubſtantialitatem perſonarum, earúmque identitatem naturæ; nam quid quid eſt in Deo, neceſſariò eſt ipſe Deus, cùm econtra altera particula ſatis clarè denotet duas naturas realiter diſtinctas,

Digitized by Google

quæ ſint invicem, quæque, ut ita loquar, ſibi mutuam ſocietatem præſtent. In hunc finem, ut refert S. Fulgentius, (*a*) Ariani tranſpoſuerunt eundem locum ſicuti Montenſes, nimirum *& Verbum erat cum Deo*, ut hoc paſſu ſcripturali uterentur tanquam argumento irrefragabili contra divinitatem Chriſti, ſic enim teſte Fulgentio ratiocinabantur hæretici Ariani: (*b*) „ſicut veſtis apud me eſſe dicitur, animus „in me, quia veſtis externa, animus internus eſt, ſic D. Joannes aſſeruit, „quòd Verbum eſſet apud Deum, non in Deo, quia Verbum non „eſt loquela Dei Patris interior & conſubſtantialis, ſed ſolùm lo„quela exterior, & conſequenter differentis naturæ à natura Dei „Patris.

Calvinus ex aſſe concordat cum Arianis, (*c*) Docet enim in ſuis inſtitutionibus, Verbum divinum habere ſuum eſſe à ſe ipſo, & quòd actus ille continuus, quo filius generatur à Patre, aliud non ſit, niſi ens rationis, ſive inanis Chimæra. Poſthæc Verſorem agit, antiquorum hæreticorum tranſpoſitionem æmulatur, intonans, *in principio erat Verbum*, & Verbum erat *cum Deo*, quaſi hac verſione ſcripturam vocaret in Judicem, & teſtem dogmatis Ariani. Omnes Authores Bibliorum Genevenſium adhærent Calvini, & Arianorum veſtigiis, abſque dubio, ut diſcipuli juſtificent injuſtitiam Magiſtrorum. Judicent proinde ſenſati, utrùm Montenſes tam reſoluta fronte poſt habentes verſionem Catholicam, & Arianam amplectentes non meritò ſint ſuſpecti de Arianiſmo?

Secundus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Ipſe eſt, qui poſt me futurus eſt, qui ante me factus eſt.* *Joan. c.* 1. 8. 27. *&* 30.

Verſio Cath. Ipſe eſt, qui debet venire poſt me, qui eſt ante me.

(*a*) l. 3. contra Monim. relatus à Mald. in Comm. cap. 1. Joan.
(*b*) Loc. cit. (*c*) Inſtit. l. 1. cap. 13. §. 23.

Digitized by Google

Verſio Mont. Ipſe eſt, qui debet venire poſt me; qui *mihi fuit antepoſitus.*

Modica fides, & pietas ſufficit, ut intelligas tactus dolore cordis intrinſeco, quid portendat hæc loquela: ***Chriſtus fuit antepoſitus Joanni:*** quis non inde concludat inter Chriſtum, & Joannem vigere talem æqualitatem, ut Chriſtus non ſit Deus? Omnis enim ſimilitudo vel comparatio neceſſario ſupponit quandam electionem, electio verò comparationem unius rei cum altera, juxta S.Auguſtinum: epiſt. 102. ***ita benè agit anima rationalis, ſi diſtinguendo, eligendo, pendendo ſubdat minora majoribus.*** Ubi perſpicitur S. Doctorem invicem confundere & æquo habere pretio præferentiam, electionem, & comparationem.

Verum eſt, quòd Arius quondam hoc ipſo loco uſus ſit tanquam ſagitta in pharetra, ut confodiat conſubſtantialitatem Verbi, prætendens, quaſi hæc verba, ***ante me factus eſt***, non poſſint adaptari humanitati Chriſti, quæ primùm poſt Joannem Baptiſtam facta eſt, & quòd conſequenter ſint referenda ad Verbum, ſeu in quantum Chriſtus Dei Verbum eſt. Et in hac ipſa qualitate Verbi Chriſtum non eſſe niſi ſimplicem creaturam ab æterno Patre in principio temporum formatam: attamen Orthodoxi conſtanter Arianis repoſuerant, hunc terminum ***factus*** eſſe Verbum genericum, quo æquè uti poſſis de Filio omni æternitate genito, ac de quolibet alio effectu per cauſam externam differentis naturæ producto: & quod S. Joannes Baptiſta ipſemet abundanter ſolverit omnem nodum æquivocationis, quando teſtatus eſt, Chriſtum ideo fuiſſe factum ante ipſum, quia erat quaſi Senior ipſo, vel potiùs ante ipſum: (*a*) ***ante me factus eſt, quia Prior me erat.***

Jdcircò, licèt certi quidam expoſitores interpretati ſint hæc verba ***ante me factus***, per illa ***antepoſitus***, nullus tamen viſus eſt traductor Gallicus ſuſpicione Janſeniſmi purus, qui attentâſſet hanc uſurpare tranſpoſitionem, qui ***mihi fuit antepoſitus.*** Videtur hanc ver-

(*a*) v. 30. ejuſdem cap.

Digitized by Google

ſionem parùm cum littera conformem plus augmentâſſe, quàm diminuiſſe difficultatem, cùm tollat quaſi omne medium favorabiliter interpretandi hunc locum. Soli Calviniſtæ non vulgari temeritate auſi ſunt hunc textum taliter tranſponere, forſitan ex ſecretiore conſilio, & propoſito Chriſti divinitatem impugnandi, ut blaſphemam Magiſtri ſui ſententiam de æterna Filii generatione ſolidarent. Quis igitur dubitaret, vel potius quis non crederet, Traductores Montenſes, dum tam arduè Calvini veſtigia premunt, ad eundem cum Calvino terminum & ſcopum tendere?

Tertius Locus corruptus.

Text. Vulg. *Dixit eis Jeſus: Principium, qui & loquor vobis.* Joan. 8. v. 25.

Verſio Cath. Reſpondit illis Jeſus. Ego ſum principium, ille qui vobis loquitur.

Verſio Mont. Reſpondit illis Jeſus: ego ſum *à principio*, & hoc eſt quod vobis dico.

Omnes Doctores Catholici unius ſunt labii, quòd Chriſtus Dominus hoc paſſu authenticum Divinitatis ſuæ teſtimonium promat, & quòd Judæis ipſum ſollicitantibus, & tentantibus quis eſſet? nitidè & palam fateatur, ſe eſſe Principium rerum omnium, & conſequenter Deum. Hoc probat non ſolùm Sanctorum Eccleſiæ Patrum authoritas, præcipuè S. Chryſoſtomi, & Auguſtini, (*a*) verùm etiam ipſe contextus Sacroſancti Evangelii, nam immediatè poſt allata verba teſtatur S. Joannes, quòd ipſi (id eſt Judæi) non cognoverunt, *quia Patrem ſuum dicebat Deum.*

His non obſtantibus Calvinus eſt multùm diſcrepantis ſententiæ: illi, inquit, qui traducunt (*b*) *Principium* quaſi diceret, ego *ſum principium*,

(*a*) D. Chryſoſt. hom. 52. item D. Auguſtin. l. 5. de Trinit.
(*b*) In comm. in cap. 1. Joan.

& qui hoc ſumunt tanquam divinitatis Chriſti teſtimonium, falluntur abſurdâ ignaviâ. Omnes Doctores Græci hoc paſſu non ſunt ejuſdem opinionis, licèt omnes in hoc conveniant, hîc intelligendam eſſe quandam præpoſitionem. Quantùm ad me (proſequitur Calvinus) verbum græcum ſic tranſpono. ***Sum à principio***: ſed quæro, ex quo ſtimulo novus hic Evangeliſta ſic vertit textum? reſpondeo, quia probè novit & quidem convincenter, hanc formulam ***ſum ab initio, à principio***, divinitatem Chriſti nequaquàm exprimere, prout illa Catholicorum: ***ego ſum principium*** (ſubaudiendo rerum omnium) vel ad minimùm Calvinus optimè noverat ſuam tranſpoſitionem non ita apertè divinitati Chriſti ſuffragari, quin non opportuno tempore contra illam torqueri valeat, & in ſenſum Arianum felici conatu defluat. Quòd noſtri quoque Montanenſes ejuſdem fuerint conſilii, propoſiti, & intentionis cum Calvino ubique laborante, ut debilitaret fortiſſima quæque loca divinitati Chriſti ſuffragantia, hoc nemo quidem præmaturo judicio pronuntiaverit, interim ſine ſcrupulo, ſine remorſu conſcientiæ palam fateor, quòd conformitas Montenſium in tranſponendis ſcripturis cum blaſphemo calamo, & ore Calvini non modicam mihi cauſet ſuſpicionem, eos in fide de Chriſti divinitate non eſſe integros, ſed contra Chriſtum cum Calvino factos eſſe amicos in illa die.

Quartus Locus corruptus.

Text. Vulg. *Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus eſt.* *Joan.* 10. v. 29.

Verſio Cath. Illud quod Pater meus mihi donavit, eſt ſuper omnes res.

Verſio Mont: Pater meus, qui mihi illa dedit, eſt major omnibus rebus.

Digitized by Google

Quid eſt quod Pater dedit Filio? quid eſt, quod filius teſtatur majus omnibus eſſe? quis dubitet hoc eſſe naturam divinam? nam quod concernit naturam ejus humanam, cæteri homines ipſi ſunt æquales, ipſemet verò Angelis inferior eſt; idcircò S. Patres nominatim (*a*) S. Hilarius. S. Ambroſius. S. Hieronymus. S. Auguſtinus continuò utebantur hoc textu, quamdiu contra Arium præliabantur, tanquam valido teſtimonio de Chriſti divinitate. Ipſum Concilium Oecumenicum Lateranenſe ſub Innocentio III. cenſuit hunc locum adeo expreſſum & deciſivum ad confundendos Arianos, ut illum elegerit præ omnibus aliis, qui magis obvii, & minus dubii fuiſſent, prælegit, inquam, hunc textum præ textibus omnium clariſſimis, & penetrantiſſimis, ut firmaret Auguſtiſſimum dogma divinitatis Chriſti contra Arianos. *Pater* (dicit decretale) (*b*) *ab æterno filium generando ſuam ſubſtantiam ei dedit, juxta quod ipſe teſtatur. Pater quod dedit mihi, majus omnibus eſt.*

Nemo igitur miretur corruptionem textûs à Calvino, & Calviniſtis attentatam: hic eſt enim textus, qui doctrinam, & capita eorum impietatis arguit, quid mirum, ſi eum taliter tranſpoſuêre? *Pater meus, qui mihi illa dedit, eſt major omnibus rebus*: Nemo, inquam, miretur de hoc crimine falſi, eſt enim pediſſequum doctrinæ eorum; nonne credunt diſcipuli cum Magiſtro, Verbum Patris æternum habere ſuum eſſe à ſe ipſo, nec eſſe à Patre ab æterno genitum? quod ſi tamen admirari velis, admirare Doctores Catholicos, quales videri volunt Montenſes, æmulatos fuiſſe peſſima Chariſmata Calviniſtarum ſe conformando eorum tranſpoſitionibus, & quidem in re tantæ molis. Quantumcunque benignè, & favorabiliter (neſcio, qua inclinatione tractus) de Montenſibus ſentire velis, laborabis tamen, nec eos ab omni ſuſpicione vindicabis, quaſi noluerint Chriſti divinitatem infeſtare.

Plus te convincerem de hactenus dictis, ſi plura tibi loca à montenſibus depravata oſtenderem, quæ concernunt Chriſti divinitatem,

(*a*) S. Hilarius l. 7. de Trinit. S. Ambros. l. 3. de S. Spiritu. c. 1. S. Hieron. in cap. 18. Ezech. S. Auguſtin. tract. 48. in Joan. (*b*) Cap. firmiter de ſumma Trinit.

Digitized by Google

ſed tempus eſt finiendi has notas, ſi velis, criticas, ut greſſum ad anteriora majoriſque ponderis promoveamus. Amplior fuſiorque deſcriptio forſitan tibi non prodeſſet. Satis dixi, ut judices juſtè & piè de bibliis Janſeniſticis. Hoc unum ſupereſt, nec dixiſſe ſuperfluum erit; quantocius ejicias, ſi quos uſque adhuc ſervâſti in diverſorio tuo, Montenſes, alioſque Novatorum libros; ad hoc teneris in conſcientia. Comedat te Zelus domûs Dei & Sacro-ſanctæ ejus Eccleſiæ, ut Vulcano comedenda projicias omnia hæreticorum ſcripta: averſare illa tanquam magica & diabolica, non enim minus maligna minùs nociva ſunt, nec in minora te pertrahunt crimina; quoniam teſtatur Spiritus Domini, (*a*) *quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ, nolle acquieſcere.*

UTRUM MULTI EX ILLIS EXcuſandi ſint à peccato & hæreſi, qui modernis erroribus implicantur?

ARTICULUS XIV.

OMnes Theologi docent cum S. Thoma (*b*) *peccatum infidelitatis eſſe majus omnibus peccatis, quæ contingunt in perverſitate morum*; ratio eſt, quia directè militat contra divinam authoritatem, quoniam ut loquitur S. Joannes, *mendacem facit Deum*, ac præterea integrum ſubvertit Chriſtianæ virtutis ædificium deſtruendo fidem, virtutum omnium ædificium fundamentum. Hinc tot ſeveriſſimæ pænæ omni ævo ab Eccleſia ordinatæ contra hæreticam pravitatem; hinc averſio illa Implacabilis & extremus horror, quem continuò contra hæreticos teſtabantur Paſtores & Rectores Chriſtianiſmi integerrimè credentes; hinc vehementes illæ, & energicæ expreſſiones, quibus

(*a*) 1. Reg. 15. 23.
(*b*) 2. 2. q. 10. art. 3.

S. Patres

Digitized by Google

SS. Patres, & Doctores hæreſim arguebant, quorum nonnulli hæreticos non aliter nominandos cenſuerant quàm primogenitos diaboli; quaſi dicerent, ſicut Dæmone nihil abominabilius, ſic hæretico nihil deteſtabilius eſt, hic enim quaſi jure primogenituræ proximus accedit ad malitiam hæreditariam Patris mendacii.

Quæ cùm ita ſint, unde ergo ſtupenda prorſus & incredibilis illa faſcinatio, quâ pleræque Novatorum conſcientiæ implicantur, adeò calloſæ, ut ne quidem ſcrupulum ex hæreſi ſentiant, atque inſenſibiles ſine punctura aut remorſû ſyndereſis indureſcant? hoc pejus eſt; lætantur quòd malè credant, gloriantur & exultant in rebus peſſimis, optimè ſe de mundo meritos ſibi gratulantur ſectando hæreſes, contradicere Eccleſiæ ejúſque Rectoribus ſignum putant ſublimis ingenii ad magna & alta nati; poteſtati reſiſtere, Eccleſiam Dei contemnere autumant decorum eſſe, ad regulas ingenuè vivendi & ad modos mundi moderni compoſitum, non aliter ac ſi ageretur de cultu corporis aut ornamento capitis. Hæc ſunt, quæ non capio, quæ non ſapio, quæ me totum in ſtuporem rapiunt, nimirum cimmeriæ tenebræ Janſeniſtarum, nec non terribilia judicia Dei, qui tot homines ad ſpeciem pietatis compoſitos dedit in reprobum ſenſum, ne videant, quòd inſtar ſolis meridiani patet, nimirum omnes eos incidere in caſum reſervatum, deteſtabilis hæreſis reos fieri, ac vinculo excommunicationis majoris innodari, qui contumaciter tenent ſententias, quas Eccleſiâ reprobavit & hæreticas declaravit, vel qui eas publicè defenſant, ac deſuper propalant ideas ſuas hæreticales.

Nec tamen abſolutè infero, omnes penitus hodiernis opinionibus præventos incurrere mox dictam infauſtam conditionem; opinor enim nonnullos licèt admodum paucos ſi non à labe mortifera, ſaltem ab hæreſi formali excuſari poſſe, & fortaſſis etiam à peccato mortali ſaltem per breve tempus.

Exempli Gratiâ: rudis quædam, & inculta perſona, quæ nunquam circa materiam de gratia & prædeſtinatione in Eccleſia agitatam

Digitized by Google

aliud audivit quàm quod Catecheſis credere juſſit, quæ cæteroquin anxiè Deum & ſalutem quærit: attamen à Directore Janſeniſtico eatenus eſt ſupplantata, ut Spiritui ſancto ſe refractariam autumaret, niſi fidem adhiberet mendaci oraculo tot coloratis pietatis radiis circumfuſo: in tali caſu error hujusmodi perſonæ non erit niſi purè materialis, cùm laboret ignorantiâ invincibili, quæ juxta deciſionem Sacræ Sedis nonnunquam ab hæreſi formali & peccato excuſare poteſt (a)

Cùm verò tali perſonæ incumbat ſcire principia ſuæ Religionis, quibus inſtruitur, quòd Deus creaverit hominem ad gloriam æternam, quam quilibet nullo excepto ex meritis Chriſti Redemptoris firmiter ſperare tenetur, cùm inſuper quaquaverſum in foro & choro ſingulis ferme diebus à Catholicis Paſtoribus, Concionatoribus, Catechiſtis audiat totum contrarium ab eo, quod perverſus ille director inſenſibiliter inſtillavit, cùm præterea inſpirantis divinæ gratiæ ſuccurſus occultus nunquam deſit illis, qui Deum quærunt ſimplici & recto corde, ideò talis perſona paulatim excitabitur ad violentam ſuſpicionem, utrùm vera ſint, quæ director Janſeniſta docuit; quòd ſi ſuffocet hanc ſuſpicionem, nec meliùs informari ſtudeat, jam hic error minùs foret invincibilis, & minus à peccato remotus.

Quòd ſi autem perſona qualiſcunque modernis erroribus vel præventa vel alio modo fermentata ſentiat conſcientiæ ſtimulos identidem interriorem aurem vellicantes, ac quaſi poſt tergum muſſitantes, forſitan hauſtas ſuas opiniones eſſe ex Cathalogo mortuorum, ex numero damnatarum ab Eccleſia, cùm paſſim audiat de ſimilibus ſermones & colloquia miſceri, nec tamen huic interno & externo lumini reſpondeat, & ex ſupina quadam ſalutis incuria veritatem indagare negligat, talis, inquam, perſona difficulter à peccato mortali excuſabitur, licèt adhuc ſit exempta à formali hæreſi.

Dixi 1. talem perſonam non excuſari à mortali peccato, cùm ejus ignorantia ſit perquam vincibilis.

Dixi 2. eam poſſe excuſari ab hæreſi formali, ſuppoſito, quòd

(a) Pius V. & Greg. XIII. prop. 68. Alex. VIII. prop. 2. inter 31.

ſit ſincerè diſpoſita ac parata ſe ſubmittere judicio Eccleſiæ, quam primum id innotuerit: in hoc enim caſu necdum eſſet rea illius pertinaciæ, quam Caſuiſtæ comuniter requirunt ad formalem hæreſin.

Dixi 3. & notanter, talem perſonam *fortaſsis* & non certò excuſari ab hæreſi; per quod intelligo, valde rarò & ferme nunquam contingere, ut excuſetur, præſertim ſi taliter Janſeniſmo tincti habeant rationes quaſdam credendi & violenter ſuſpicandi, doctrinam, cui adhærent, eſſe damnatam ab Eccleſia; tunc enim hæc ignorantia ut plurimùm eſt nimis ſenſibiliter affectata, qualis ſecundùm communem Theologorum non excuſat ab hæreſi formali: hæc eſt illa ignorantia, ex qua nolunt aperire oculos, ut videant deciſiones Eccleſiæ, ne fortè ſanentur & convertantur, ne teneantur obedire, ſéque ipſos mendacii arguere, ne arctum illud & familiare vincuculum rumpatur, quo parti contrariæ ſunt copulati: hæc eſt illa ignorantia, ex qua nolunt extergere lethargum, ut evigilent, ac tandem renuncient commercio hæreticali tantopere ſibi grato & neceſſario. Dicunt enim nonnulli, neminem obligari tam arduas & ſpinoſas materias diſcutere, hoc negotium Theologis eſſe relinquendum, ac inter ſe terminandum; quaſi verò non ſit obligatio indiſpenſabilis tenendi fidem puram & expurgatam ab omni fermento; quaſi verò nemo teneatur audire Eccleſiam, illius deciſionibus acquieſcere, illius judiciis cæcâ obedientiâ ſe conformare.

Nec dicas, te eſſe paratum audire Eccleſiam, ſi ejus judicium ut verum & rationabile judicaveris; qui in circumſtantiis ſtatim ſuppoſitis ita loquitur, ſe ipſum decipit, inexcuſabilis eſt, hypocriſin cum hæreſi nectit, mentitur Spiritui ſancto, ſeſéque reum conſtituit criminis Ananiæ, & Saphyræ; nemo enim cum veritate affirmaverit, ſe eſſe diſpoſitum acquieſcendi judicio Eccleſiæ, quamdiu illud abſolutè non vult cognoſcere, & poſtquam cognoverit, illi ſe ſubmittere tergiverſatur. Præterea ſi hæc excuſatio ſufficeret, nemo mihi formalem hæreticum poſthac monſtraverit ne quidem in medio Miniſtrorum proteſtantium Angliæ & Bataviæ, cùm quilibet eorum, licèt cæteroquin ſummè obſtinati forent, facili prætex-

Digitized by Google

tu ſe extricaret dicendo, judicium veræ Eccleſiæ necdum ſibi plenè pervium & recognitum eſſe.

Quoad illos, qui perfectà cognitione ſciunt, Plures Pontifices damnâſſe quaſdam propoſitiones ut hæreticas, Conſtitutiones deſuper emanatas fuiſſe receptas à tota Eccleſia, nihilominus pergunt in pertinacia ſub inani prætextu, Eccleſiam ex obligatione non eſſe audiendam, niſi loquatur ex ore Concilii Generalis, hujus decretis ſe obtemperaturos &c. tales nullus Theologorum dubitat eſſe formaliter hæreticos & excommunicatos. Omnes Orthodoxi aſſerunt, hujusmodi homines ex judicio ſuo erroneo non modo inexcuſabiles eſſe ab hæreſi, ſed propterea damnationem majorem acquirere, quia tutâ conſcientiâ nunquam pertinaciter perſiſtere licet in opinione declarata tanquam falſa, temeraria, ſchiſmatica, hæretica non ſolùm ab univerſis Doctoribus Catholicis, ſed etiam quaſi ab integro corpore paſtorali Epiſcoporum, imò à ſumma Cathedra Eccleſiæ, cùm omnes Pontifices continuò pronuntiaverint, fideles obligari ad ſubmiſſionem deciſionibus Papalibus, & quòd ſemper pro hæreticis fuerint reputati omnes illi, qui recalcitrârunt.

Verum eſt equidem, quòd non ſint de crimine formali hæreſis incuſandi, qui invincibiliter ſic errant & recalcitrant, præſertim ſi alioquin verè parati exiſtant ſe ſubjiciendi, poſtquam cognoverint Eccleſiam omni ſua authoritate veſtitam. Quis verò non manibus palpat ſupradictum errorem non duntaxat excedenter vincibilem, ſed & ſtudioſiſſimè affectatum? dum non obſtantibus cauſis prægnantiſſimis ac rejectis authoritatibus urgentiſſimis ſibimet obſtinaciter adulantur, nullam adeſſe obligationem audiendi Eccleſiam, niſi quando oracula ſua pandit ex ore Concilii Generalis; eccur iſtud? ut liberiùs errent, & in diebus malis veteraſcant: Procul ab eo, quòd ſint excuſabiles ab hæreſi formali, potius hâc ſuâ reſiſtentiâ duplicis hæreſeos ſe reos conſtituunt; ſunt enim hæretici, quòd fidem adhibeant ſententiis ab Eccleſia condemnatis: ſunt hæretici, quòd fidem non adhibeant Eccleſiæ infallibili per

organum ſupremi Capitis ſua oracula pronunciantis, prout Articulo primo diximus.

Hoc eſt judicium, quod oportet formare de illis, qui modernis erroribus ebrii Eccleſiam audire recuſant; quæ planè ſi ita ſe habeant, prout nullatenus dubitandum, quot quæſo homines mortaliter ſauciati! quot excommunicati, quot hypocritæ, quot impiè devoti, quot ſacrilegè ſacra Sumentes, & Miniſtrantes, Verbo, quot cæci & duces cæcorum, qui turmatim in foveam cadunt, ſéque invicem in ruinam præcipitant! ſed ex quo fine quo motivo alliciente? forſan pro theſauris divitum? pro ſceptris regum? pro favore principum? non pro pugillo hordei, ſed pro inflato puncto honoris, pro & ex ſpiritu contradictionis, ex pruritu excutiendi jugum & dicendi, non ſerviam: ***& dixi. Heu, heu, heu Domine Deus, ergòne decepiſti populum tuum?*** (*a*)

Hîc maximè ingeminandum illud ***heu*** lamentabile Jeremiæ Prophetæ: hîc ſanguineis lachrymis deplorandi ſunt æternaliter infelices, qui pro nihilo ſe ſe rigoroſiſſimis Dei judiciis in interitum tradunt. Quid enim pro cauſa ſua tuenda reſpondebunt coram Auguſto tribunali Divini Judicis, quando de hæretica pravitate fuerint inquiſiti? bonâ tuâ veniâ imminens hoc diſtrictum judicium enucleatius pondero, quod quidem ab Authore inſignis characteris jam olim tantiſper explorabatur, non tamen ea extenſione, qua par eſt, nec illâ patheticâ energiâ, quam meretur tam ſublimis conceptus.

Patrocinatus es ſceleri, intonabit de Cælo Dominus in ira ſua: patrocinatus es ſceleri, propoſitionibus Janſenii ſceleratiſſimis; eius hæreſi manum dediſti, fædus cum hæreticis pepegiſti; quinque propoſitiones damnatas tanquam pretioſiſſimum fidei depoſitum in ſinu tuo foviſti: igitur cum hæreticis damnandus es.

Verum eſt Domine, reſpondebit Janſeniſta, haud diffiteor; credebam tamen has quinque propoſitiones eſſe Orthodoxas: non illis utique adhæſiſſem, ſi hæreticas credidiſſem.

(*a*) Jerem 4. 10.

Nunquid tu Magiſter in Jſrael, & hæc ignoras? eas toties ab Eccleſia mea per os Paſtorum fuiſſe profligatas tanquam hæreticas?

Domine ſciebam utique: veruntamen firmiter perſuaſus credideram, in quinque damnatis propoſitionibus nihil minùs reprobari quàm doctrinam Janſenii.

Quomodo hæc ignorare potuiſti? nonne factum illud clamoroſâ inſinuatione publicè divulgabatur? nonne erat notorium, nihil unquam hac in re agitatum, niſi ſiſtema Janſenii? & quid ſi ignorâſſes? nonne Eccleſia iteratis deciſionibus promulgabat, quinque illas propoſitiones fuiſſe rejectas in ſenſu Janſenii?

Non ignorabam, Domine, fateor. Sed frequentiùs mihi dicebatur Eccleſiam eſſe fallibilem in hoc genere facti, ac poſſe Authori tribuere ſenſum extraneum, Eccleſiam de facto fuiſſe deceptam ex mala informatione in cauſa Janſenii, plures inſigniter Doctos & Doctores opus Janſenii legendo & relegendo nihil ibi reperiiſſe niſi doctrinam S. Auguſtini, omnes melioris litteraturæ viros hujus eſſe ſententiæ, neminem tales & tantos ſequendo periclitari.

Quid, non periclitari? ſequendo placita Doctorum particularium in præjudicium Eccleſiæ Vniverſalis? ſiccíne rationabiliter credidiſti? cur non contrarium tibi perſuaſiſti? nullatenus te periclitari adhærendo Eccleſiæ, quantumvis etiam fallibilis ſupponeretur? Non ergo ſciebas ſummos Pontifices & Epiſcopos tanquam vivum Eccleſiæ organum eſſe primos illos Ductores, Doctores & Paſtores? quos tibi præcepi ut audias, ac ſi me ipſum audires, dicendo, *qui vos audit, me audit*; nonne eorum vox debuiſſet prævalere voci alienigenarum & Mercenariorum, qui aliunde in ovile deſcenderunt, & non pertinebat ad eos de ovibus? cur hos cum contemptu illorum audire voluiſti?

Domine dictum eſt mihi, Papas & Epiſcopos non quâ par erat dexteritate & attentione factum Janſenii examinâſſe, præventos fuiſſe artibus Moliniſtarum, Bullas eorum & Conſtitutiones in

Digitized by Google

urbe & orbe tantopere valentes & populum exterrentes vi & fraude fuiſſe extortas, ac ſubreptitiè procuratas.

Ex ore tuo te judicò ſerve nequam. Siccine contra Evangelium meum tenuiſti portas inferi prævalituras adverſus Eccleſiam meam, utpote quam potens & ſubdola conſpiratio violaverit, & in errores protraxerit? cur non contrarium tenuiſti ut decuiſſet; nimirum illos ipſos, quorum inſpirationes auſcultatus es, fures eſſe & latrones, ſeductores populi, ac fraudulentos artifices mendacii.

Domine! quis dubitâſſet de eorum bona imò optima fide? Religioſus ille inclytus, Director ille Zelantiſſimus non mediocriter eminebat inter æmulos & decore ſcientiæ & ſplendore devotionis: de divinis propemodum divinè diſſerebat, inſpirabat in faciem meam ſpiaculum vitæ & pietatis; potens in opere & ſermone, verbo & exemplis efficax ad ardua vitæ Sanctioris me provocabat; admirabilis & prorſus inſolitæ erat integritatis, modeſtus, ſolitarius, illibatus; nocte & die ſtudiis & orationi vacabat; corpus cilicio aliiſque non infrequentibus auſteritatibus edomabat, nec tamen humanam captabat auram; ſecreta erant & clauſo oſtio hæc rigoris exercitia, quæ præter me nemini confidebat, nec mihi aliter niſi ut ad æmulam pænitentiam me animaret, adeò completa erant ejus condenſata jejunia, ut ne hauſtum aquæ frigidæ admiſiſſet in ardentiſſimæ ſitis refrigerium; peccato mortali ſibi duxiſſet vel tenuiſſimum potum, ita exactus erat in minutiſſimis: quis talem non ſuſpexiſſet omni ſuſpicione ſuperiorem? peccare crediddiſſem omnes, qui eum audire renuerent. Locus dubitandi nullus erat.

Adeóne locus dubitandi aut diffidendi de tuo directore nullus ſuperfuit; ergóne amplior tibi locus & campus patuit dubitandi ac diffidendi de meâ Eccleſiâ, cui promiſi infallibilem aſſiſtentiam? quæ tam lentâ, juſtâ, æquâ, & prudente ſtaterâ negotia fidei trutinat: ergóne plus fluctuabas de fide & veritate totius Eccleſiæ, quàm unius Janſeniſtæ directoris tui? Naviculæ Petri non Janſenii, gubernaculum meum promiſeram; nunquamne gravem illam & grandæ-

vam ſententiam percepiſti? non ex perſonis de fide, ſed ex fide de perſonis judicium fieri: Nonne ſolicitè monui? *attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces*: nónne ex fructibus arbor cognoſcitur? fructus fidelium primus, quem deſidero, eſt cæca & humilis ſubmiſſio deciſionibus Eccleſiæ: ex hac ſubmiſſione diſtinguitur inter ſpiritum veritatis & mendacii: nunquámne tibi innotuit illud perdilecti mei diſcipuli? *qui novit Deum, audit nos, qui non eſt ex Deo, non audit nos; in hoc cognoſcimus Spiritum veritatis & ſpiritum erroris.*

Heu Domine! nunquid ignorantiâ & præventione, quibus tamdiu faſcinabar, excuſandus ſum coram facie tua?

Novi utique cæcam humanæ mentis corruptionem: miſereor ſuper turbam; excuſarem te, ſi præventio fuiſſet involuntaria, vel ignorantia invincibilis. Verumtamen quis te impedivit aperire oculos veritati, quaqua verſum coruſcationibus ſuis ſe inſinuanti? *Quid ultrà debui facere, quod non feci*, ut te ad pænitentiam revocarem & cervicem tuam jugo fidei ſubmitterem? quoties ſacrum tibi horrorem incuſſi de doctrina Janſenii decretis meis Tyrannidem affingente? quoties te retrogradum volui ad ſimplicem Catechiſmum, ut vetuſtate novitatem deſtrueres? millies inſpirationibus meis pulſavi ad oſtium, ut aperires Sponſæ, Eccleſiæ meæ, Vicario meo ſummo Pontifici, ſed noluiſti, deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum. Millies tibi per Prædicatores Veritatis ſanam doctrinam propinaveram; tu verò ut ignorantes, ut ſemi-pelagianos arrogante ſupercilio reſpuebas; hortabantur te paſtorali anxietate Paſtores veri, periculum denudabant, cui te ſeditioſâ fronte contra Eccleſiam commiſiſti; tu verò ridente ore poſt terga projeciſti verba eorum: hæc feciſti & tacui. Doctores Catholici abundantes & fundatos tibi libros porrigebant contra injurias & errores temporis, tu verò ne quidem unicum legiſti, inſipidos inclamâſti antequam ſaperes & guſtares. Interim nihil minùs quàm de remedio morbi tui ſolicitus concinnabas tibi pulvillos, quibus molliùs indormires & in fide langueſceres. Sponte cæcutiebas, ne viam veritatis agnoſceres, & ut tranquillius per avia

àvia & devia errando pergeres, ut intrepidiùs cervicem indurares ſupra petram & contra petram Eccleſiæ. Nulla tibi propitiatio ſupereſt, *quia repuliſti ſcientiam, repellam te.* (*a*)

Ita eſt Domine, quis contradixerit? culpâ rubet vultus meus; ſed nunquid reſpicies ad tot & tanta mea bona opera? fugi mundum & concupiſcentiam ejus, dilexi ſolitudinem, incubi lectioni ſpirituali aſſiduè, jejunavi rigorosè, vigilavi indefeſsè, oravi ferventer, elemoſinas dedi frequenter.

Diſpergam ſuper vultum tuum ſtercus ſolemnitatum tuarum (*b*) Operum tuorum, jejuniorum, orationum, elemoſinarum. Mortua ſunt opera ſine fide viva, ſine ſana Religione; non pluris ea facio quàm opera Paganorum, abſit coronari virtutes, quæ vera ſunt crimina; loco mercedis ſeveriùs vindicabor de illis, cùm ſint hypocryſi & circumſtantiis vitioſiſſimis palliata. Ita eſt ut dicis, mundum fugiſti, ſolitaria quæſiviſti loca non amica mæroribus ſed inimica moribus & dogmatibus ſacroſanctæ Eccleſiæ; ut tutiùs lateret tua hæreſis, anachoretam adumbrâſti; ne ſolus eſſes, in ſolitudinem fugiſti ſocios reperturus rebellionis tuæ, cum quibus quò ſecretiùs eò arctiùs familiaritatem excommunicatam contraheres; ita eſt, ſedulus Lector eras eorum, quæ tibi ſub Anathemate prohibebantur, longas orationes protraxiſti, ſed tales, quarum blaſphemam pietatem reprobavit Eccleſia. Vigilâſti, jejunâſti, corpuſculum extenuâſti, ſed ut famæ conſuleres, applauſum reportares, ſpiritui ſeditionis pænitentiæ larvam indueres: non modicas elemoſinas feciſti tuis non meis pauperibus, in ſubſidium & ſolatium inimicorum Eccleſiæ non liberalis duntaxat, ſed prodigus fuiſti. Recede à me non novi te, non habebit me Patrem, qui Eccleſiam meam noluerit habere Matrem. Ito in ignem æternum cum Mahometanis, Arianis, Lutheranis, Calviniſtis, quorum impia chariſmata es æmulatus, quorum blaſphema veſtigia es imitatus.

(*a*) Oſeæ 4. 6.
(*b*) Malach. 23.

Tale erit judicium illorum, quos forſan ex conſuetudine & familiari neceſſitudine noſcis: tale foret tuum quoque tribunal, ſi erroribus nomen tuum dediſſes, aut in illis perſeveràſſes. Sede, lege, revolve, cogitans recogita, quidquid pietas tibi deſuper inſpiraverit; ego verò pro coronide hujus epiſtolæ illa tibi ſuggeram monita, quæ opportuna ſunt, & quæ non mediocrem merentur attentionem, videntur enim ſatis magni momenti, nec forſan minoris ad ſalutem emolumenti.

ADMONITIONES SALUTARES.

ARTICULUS XV.

Oportet conari, ut noſcas larvatos Janſeniſtas, ne circumveniaris eorum verſutiis.

PRIMA ADMONITIO.

VEriſſimum, quod D. Bernardus aſſerit, & cui ſæculum, quo vivimus, funeſtis experientiis indies ſuffragatur; *plus nocet, falſus Catholicus, quàm ſi verus appareat hæreticus*; ſtatim ac declaratum hæreticum vides, fugis, diffidis, occulto eum horrore averſaris, non niſi cum ſtomacho loquentem audis: vel ſi auſcultes libenter, aure magis quàm corde faves, nec ullam ejus loquelis reflexionem tribuis. Econtra ſi falſus Catholicus, aut ſi velis, larvatus hæreticus ſeminet Zizania ſua ſub ſpecie tritici, ſi induat larvam Eremitæ, Reformatoris Eccleſiæ, Zelatoris pro veritate, tunc enim verò erectis auribus adſtas, favet attentio, ſenſim & inſenſibiliter ſerpit perſuaſio, rationes coloratæ triumphant, nec ægrè creditur, quod primo oculo adeò ſanctum & ſanum apparet.

Cùm igitur juxta præſagium dilectiſſimi Joannis (*a*) *plures falſi Prophetæ venerint in mundum*, idcirco *nolite credere omni ſpiritui, ſed probate Spiritus, utrum ex Deo ſint.* Fateor, habes generalem & quidem infallibilem notam dignoſcendi Spiritus, nimirum quòd omnis Spiritus ex Deo ſit, qui confitetur Jeſum Chriſtum veniſſe in carne ad ſalvandos omnes homines, econtra quod omnis ſpiritus non ſit ex Deo ſed ex Anti-Chriſto, qui dividit Jeſum Chriſtum dicendo, eum non veniſſe pro omnibus, ſed tantùm pro multis. Cùm verò hi falſi Prophetæ non tam alta voce ſuas cantilenas decantent, ſed omni ſolertia ſub ſpecioſis apparentiis ſuos errores obvelare ſtudeant, imò frequenter ore approbent quod corde reprobant, veritates noſtras falſitatibus eorum oppoſitas linguâ doloſâ ad cælum extollant, ſuos verò errores tanquam impios & blaſphemos ad Acharontem proſcribant, ſervata interim libertate ſe ipſos deſuper explicandi, ut duplicitatem ſuam centuplicent, ac perſonatam fallaciam per Chriſtianum orbem cautius promoveant, hinc neceſſe eſt, ut ſignis ſpecialioribus provideatis.

Quam ob rem adhortor iterum atque iterum, proba Spiritus, utrùm ex Deo ſint, ac devita imprimis ſolerter illos, qui in ſuis deciſionibus iniqua lance ingens pondus noſtræ concupiſcentiæ aggravant, exaggerantque infimam dejectionem, in quam meritò nos projicere deberent terribiles veritates noſtræ Religionis; qui indefeſsè gratuitatem gratiæ deprædicant, qui gratiam tanquam victricem Reginam deſpotico juſſu voluntatibus electorum imperantem quaſi in triumpho circumducunt, glorioſo applauſu acclamantes, Vivat gratia; qui tumultuoſo clamore ac immodico calore confeſtim excandeſcunt contra Pelagianos ac ſemi-Pelagianos, eosque laxatis inferis inter tormenta alloquuntur riſu dignâ apoſtrophe eis exprobrando, quòd contra gratiam arma tulerint: Verbo, qui in pleriſque ſuis loquelis reticent conſolatorios fidei articulos, quos Eccleſia jubet tenere contra Calviniſtas & Lutheranos.

(*a*) 1. Joann. cap. 4.

Certè hæc talis affectatio non duntaxat hypòcriſin ſed & hæreſin ſapit. Nec abſimiles mihi videntur Ario & Arianis ſimulatores iſti. Nemo tempore Arii inter fideles unitatem Dei impugnabat, omnes Catholico ore fatebantur, Deum unum & ſimpliciſſimum eſſe, attamen Arius & Ariani uſque ad raucedinem contra hoſtes ſimplicitatis & unitatis divinæ vociferabantur tanquam auram verberantes & in incertum pugnantes: at ex quo motivo? ut Trinitatem in Deo tollerent quaſi incompatibilem cum unitate: ſic hodierni Novatores gratiam, quam nemo negat, prodigo clamore quaſi Lazarum ex tumulo evocant, ut libertatem ſepeliant.

2. Nec minore cautela vitandi ſunt, qui implacabili ſententia parvulos ſine baptiſmatis aqua mortuos in ignem mergunt inextinguibilem, qui non contenti breves has creaturas æternùm cruciari pæna damni ac privatione viſionis beatificæ, eas inſuper ſubjiciunt pænis ſenſuum ſicut reprobos adultos: licèt enim rigioroſa hæc opinio necdum ſit hæretica, ſed etiam quibuſdam Doctoribus Catholicis viſa ſit defenſibilis atque probabilis, nihilominus conſtat Lutherum, Calvinum, Melanctonem alioſque penultimi ſæculi hæreticos ac hæreſiarchas ſicut & modernos Janſeniſtas non alio ex fine huic opinioni tam ardenter patrocinari, niſi ut paulatim fidelibus ſuadeant, homines ſine vulnere divinæ juſtitiæ mitti poſſe in gehennam ignis ſceluſâ violatione legis ſervatu impoſſibilis, & ad quam ſervandam ſufficiens gratia non ſuccurrerit.

3. Illos quoque providè caveas, qui Catholicos famoſo titulo *Moliniſtas* ſalutant. Vix Catholicus Doctor aut Concionator publicè vel privatim perſtringit doctrinam Janſenii, cùm Novatores paſſim audiuntur contra talem ſubridente & contemptibili tono ſucclamare, *eſt Moliniſta*, Omni tempore, omnique loco ſonora hac praxi uſi ſunt hæretici teſte Auguſtino, qui ſic ſcribit contra Arianos (*a*) „Et cum ſe tanta iſta voragine impietatis immergant, nos tanquam op„probrio novi nominis vocant Homuſianos: ita enim ſeſe habet „Catholica Veritatis antiquitas, ut ei omnes hæretici diverſa no-

(*a*) Lib. cont. ſerm. Arian. cap. 36.

„ mina imponant, cùm ipſi ſua ſingula, ſicut ab omnibus appel-
„ lantur, obtineant.

Interim Janſeniani hoc titulo *Moliniſta* non nos ſed ſe ipſos lædunt, ſicut olim Ariani nomine *Homuſiani*: Nihil Chriſtiano Catholico ſit magis honorificum hâc putativâ injuriâ. Fateor, dùm inaudio poſt aliquas meas conciones Janſeniſtas me vocare Moliniſtam, ſuperabundo gaudio ex tam decora denominatione, tantúmque mihi in illa complaceo, ac ſi Lutheranus vel Calviniſta me Papiſtam vocaret; nemo enim me Papiſtam nominaverit, quin ſimul fateatur, me eſſe Romano-Catholicum: ſic pariter nemo me Moliniſtam indigitaverit, quin, nolit velit, doctrinam meam ut Catholicam veneretur, cùm ſyſtema Molinæ nunquam fuerit rejectum in Eccleſia, nec ullis unquam cenſuris confoſſum, & quòd immensùm diſtet à Janſenii ſyſtemate toties damnato ac deinceps damnando uſque ad conſummationem ſæculi.

4. Multùm quoque diffidas illis, qui itentidem contradicunt fidelium dèvotionibus erga Beatiſſimam Deiparam tanquam extravagantibus & indiſcretis; qui male-ſartâ calumniâ Catholicos accuſant, quaſi Virginem Matrem ut Deam vel divinitatem ſubalternam colerent, ſibique ſalutem ejus interventu promitterent abſque Decalogi obſervatione aut exercitio pænitentiæ. Vide, ne fidas illis, qui pernegant gratias extraordinarias nonnullis enormibus peccatoribus Mariæ patrocinio impetratas, explodendo hæc narrata velut inanes fabulas non ad exemplum ſed ad ſcandalum natas. Tanquam à facie colubri fugias illos, qui Crocodilli lahrymis deplorant, plus reponi fiduciæ in Matre quàm in Filio, plus deferri cultûs & honoris creaturæ quàm Creatori; qui non loquuntur de celeberrimis Sacratiſſimi Roſarii & Scapularis confraternitatibus niſi cum riſu & exploſione; qui dehortantur devotos, ne Cætibus hujusmodi incorporentur ſub futili prætextu, primitivam Eccleſiam penitus ignoràſſe ſuperſtitioſas hujusmodi devotiones; qui tandem amaro animo patiuntur juſtiſſimas laudes à fidelibus huic Angelorum Reginæ decantatas, ac geminatâ blaſphemiâ SS. Patres

Digitized by Google

carpunt ut nimis exoticos in encomiis Deiparæ Virginis, & quòd hæc elogia nihil minùs quàm fidem humanam mereantur.

Ne dubites taliter ſermocinantes eſſe Janſeniſtas, hoc enim commune habent cum cæteris hæreticis, quòd occulto ferantur odio in Matrem pulchræ dilectionis, dum tam improbo conatu deſudant ſub ſpecioſis titulis ejus Venerationem diminuere; ut verò correſpondeam Zelo, quem dedit mihi Dominus pro amplianda gloria Maximæ Genetricis, non ſuperfluum arbitror, ſi recitem ad Verbum, quod Author libri de artificiis hæreticorum (a) in hunc finem conſcripſit: quamvis inſignis iſte liber, pleriſque ejus exemplaribus Novatorum ſagacitate interceptis, quaſi incarceratus rariſſimè videatur. Nihil ad hunc ſcopum opportunius pronuntiavero.

,, Evagrius notat (inquit hic Author egregius) inter omnes ,, hæreticos, qui bellum Eccleſiæ moverunt, pænè nullos reperiri, ,, qui non ſimul inimici fuerint Beatiſſimæ Virginis; Diabolus ſuſ,, citator omnium hæreſum neſcit oblivioni tradere illud ſcrip,, turæ vaticinium, *ipſa conteret caput tuum.* Eccleſia ſemper hono,, ravit Mariam ut Matrem Dei ac Dominam Mundi; fideles eam ,, ſemper appellavêre omni ævo ſuam Mediatricem, Advocatam, ,, Spem, Refugium peccatorum, & Matrem Miſericordiæ. Nec etiam ,, Pater Mendacii Diabolus quidquam omiſit ab incunabulis Ec,, cleſiæ, ut glorioſos hos titulos Matri Dei raperet, ejuſque hyper,, duliam debitam imminueret ,, ... poſthæc fuſiùs citat diverſas hæreſes diverſis ſæculis graſſantes, quæ continuò ſicut fidem ſic quoque Mariam aperto Marte infeſtaverant, ac tandem proſequitur.

,, Dæmon olim omnes hæreticos contra Eccleſiam ad arma ,, convocans eorum operâ ac ſtudio violenter magis quàm fraudu,, lenter proceſſerat. Noviſſimis verò his ſæculis armigeros ſuos ,, aliter inſpiravit, plus arte quàm Marte proficit. Jam his diebus ,, inimici Eccleſiæ non furore ſed induſtriâ inſaniunt, ſub fictitia Dei,, paræ Virginis veneratione occuluerunt impudentiam ſuam; Nam ,, agnoſcendam affirmant Mariam, ſed colendam negant, hyperdu-

(a) Artificio 11.

Digitized by Google

„ liam Auguſtiſſimæ qualitati Dei Genetricis annexam reſecant; Reginam fatentur ſed non circumdatam in veſtitu deaurato varietatibus honorum & cultuum. Omnem lapidem & Acharontem moverunt uſque adhuc, ut eam in turba aliarum mulierum collocarent.

„ Prægrandia ſunt, quæ Lutherus recenſet de laudibus & prærogativis Deiparæ: hunc ſi audias de encomiis Beatiſſimæ Virginis prædicantem, pejerâſſes non Lutherum ſed Sanctum Patrem eſſe qui loquitur; altiùs aſcendit in ſua Panegyri quàm quidam Doctores Catholici, dum dicit; juſtum & rationabile fuiſſe perſonam Mariæ ab omni ruga & macula peccati originalis præſervatam eſſe, verumtamen non ex alio fine & intento eam adeò tollit in altum, niſi ut lapſu graviore ruat, ædificat Lutherus, ut deſtruat; incipit paulatim & in principio valde apprehendere, ne forte hic cultus hyperdulevticus præjudicet cultui Latrevtico, ſummi Numinis. Nonne, ait Lutherus, gloriam Chriſto furantur, qui creaturæ deferunt, quod ſoli & uni Deo debetur? Sit Deipara, non tamen Dea, ſit Domina gratiâ plena, honoretur cultu, quo Deus illam vult honorari, non tamen judico bonum eſſe, ut illi divinitatem attribuamus.

„ Plangit, & ejulat inſuper Lutherus, quòd omnes ad Mariæ præſidium reccurrant, quòd pleniorem gratiam ab illa quàm à Chriſto præſtolentur, ac tandem ipſam Dei Genitricem inducit loquentem, ſuoſque Clientes nimio Zelo raptos interpellantem eiſque monita ſalutis ſuggerentem, quæ aliorſum non tendunt, niſi ad vilipendium & decrementum Marianæ Celſitudinis ex intuitu & exaggeratione proprii nihili. Ecce quàm laneis & lineis paſſibus furtim progrediatur argutus hæreſiarcha, ut inſenſibiliter fideles imbibant vilem de cultu Mariæ opinionem, & quidem ſub titulo colorato Zelandi pro gloria Maternitatis divinæ.

„ Eraſmus aſſiduo pede Lutheri veſtigia premit, adamuſſim Lutherum ſecutus eſt. Nemo venuſtiùs, nemo ſtudioſiùs Mariam laudaverit ac ipſe, nullus ejus ſcripta de laudibus Deiparæ

Digitized by Google

„ abſque pio motu devotionis legerit; interim venerationem à fidelibus Mariæ impenſam cryſi ſubjicit, arguit, increpat, & in colloquio, cui titulus *naufragium*, devotionem erga Beatiſſimam cum riſu & joco excipit, illiſque ſarcaſticè illudit, qui in extremo ſalutis diſcrimine nutantes Mariam implorant eam ſalutantes Stellam Maris, Reginam Cæli, Dominam mundi, Portam paradiſi; utque Eraſmus Lutheri integerrimus eſſet imitator, conſtruxit in ſuo colloquio, cui titulus, *Peregrinatio*, quandam epiſtolam, quam appellat Mariæ epiſtolam ad Glandcoplutum, in qua Beatiſſima Virgo ſumma affectatione conqueritur contra indiſcretam clientum ſuorum devotionem.

„ Calvinus, Oecolampadius, Melancton, Kemnitius, ut reliquos ſileam, corde ore & opere idem ſentiebant, idem loquebantur: Non honoratur Maria, ſed attrociter injuriatur, ait Calvinus, cùm à Deo ſemoveas, ac Mariæ tribuas, quod ad Deum ſolum pertinet. Eò profuſus eſt furor & exceſſus inſaniæ, ut Virgo ſpoliis filii exornetur, quaſi non debitè honoraretur niſi cultu indebito, & quaſi ipſi ſit glorioſum Deam dici, titulis ſacrilegis ſalutari, ac ſubſtitui in locum Jeſu Chriſti ad dexteram Patris.

Res per ſe loquitur, dicit Melancton; ſatis clarè patet, „ Beatiſſimam Virginem credulitate publica in locum filii ſui ſubſtitutam eſſe: homines eam invocârunt: fiduciam in ejus miſerationes repoſuerunt; indignationem Filii per Mattris interceſſionem placare præſumpſerunt, quaſi Chriſtus pro ipſis non ſit Mediator, ſed Judex, & Vindex implacabilis „ hucuſque quoad ſubſtantiam Author citatus, quæ ſufficiant ut dignoſcas, quo ſpiritu ſint animati Novatores ac putativi reformatores devotionis fidelium erga ſacratiſſimam Virginem.

5. Nec minus illos in fide ſuſpectos habeas, qui dentibus ſuis fremunt & tabeſcunt in ſacram ſedem, qui ſine reſpectu linguam contumelioſam exerunt contra ſummum Pontificem, qui aſſerunt prudentiam carnis Papis pleraque conſilia & judicia dictare; qui citant

Digitized by Google

citant facta & acta quædam ſiniſtrè interpretata, ut probent, plures Pontifices de hæreſi convictos eſſe, qui libenter narrant ex hiſtoricis vitas quorundam Paparum, item ficta vel facta eorum minùs moderata & ſcandalum parientia: nonne tales meritò aſſimilantur maledicto Cham? dum enim in circulis & converſationibus nunquam facundiores ſint, quàm ſi agatur de calumniandis Pontificibus, non ſolùm Patris ſui nuditatem contra exemplum Sem & Japhet operire pallio ſilentii & excuſationis nolunt, ſed eam cum ſcandalo annuntiant fratribus, ut numeroſius illudant ſupremæ Cathedræ: nimirum narraverunt iniqui fabulationes iſtas, ut fideles, quod ſummum eſt in orbe, pedibus calcent, ſeque ipſos contra Anathemata Pontificia extra teli jactum in tuto conſtituant, quò fidentius Conſtitutionibus Apoſtolicæ ſedis inſultarent.

Tale fuit hæreſi genium omni ævo Eccleſiæ, nimirum, quòd implacabili odio averſata ſit Pontificiam Cathedram; ſic hæretici omnium ſæculorum primos belli furores deſpumârunt in authoritatem Pontificis, ejus judicium & juſtitiam, ejus vitam & mores calumniis & mendaciis proſcindentes: Nec modicùm intereſt Novatoribus hanc praxin proſequi; ſic etenim haud contemnendum colligunt emolumentum ſanctificandis ſuis impietatibus, dum ſuper ruinam Columnæ Veritatis falſitatem extruunt, dum Solem Romanum nebulis ac nebeculis Sarcaſmorum obſcurant, ne diſſipet errorum tenebras, dum os illud obſtruere ſatagunt, quod ipſos ut hæreticos increpat, dum Satyricis linguis & calamis Judicem illum incorruptibilem ex tribunali ſuo deturbare laborant, qui jam toties capitali ſententia conquaſſavit capita eorum refractaria. Si Papa authoritatem & confirmationem adjiceret eorum hæreſibus, ſi dogmata illa blaſphema foveret in ſinu ſuo, forſitan mundus univerſus reſonaret plauſibus & tripudiis hæreticorum Romanæ Sedi infallibilitatem acclamantium? quàm diſerti quàm eloquentes in laudes Vaticani & Laterani porumperent! quàm magnificis encomiis Cathedram Petri ſupra Petrum extollerent, ſuper aſtra ſolium Pontificium exaltarent; cùm verò jam eos centies & millies anathe-

Digitized by Google

matizaverit, quomodò poterunt tam citò bona loqui de hoc tribunali, cùm ipſi ſint mali? nonne illud exornando deornarent hæreſes ſuas, ac damnarent capita ſua? *quomodo poteſt malus litigator*, ait venuſtiſſimè D. Auguſtinus, *laudare judices; quibus judicantibus victus eſt.*

6. Caveas inſuper eos, qui exceſſivo apparatu effuſi ſunt in laudes laude digniſſimi Auguſtini; qui præter hunc ſanctum Patrem nullum alium audiendum aut legendum ſuadent, qui hunc ſolum ad ſtabilienda & explicanda fidei myſteria univerſa, ad enodandas conſcientiæ plicas & replicas omnes ſufficientem, ſuperabundantem, incomparabilem jactitant, qui tandem hujus authoritatem omni alteri etiam Chriſti in terris Vicarii authoritati præferunt. Sanctus Auguſtinus doctrinâ ſublimis ſed corde humilis adhuc nobiſcum in carne vivens non dubitavit de ſe fateri, (*a*) *quòd Evangelio non crederet, niſi ipſum Eccleſia commoveret authoritas*; declaravit luculenter, nolle ſe, ut quiſpiam ſuam mentem & ſententiam ſequatur, niſi in illis, in quibus manifeſtum ſit, eum non hallucinatum eſſe; ipſe de ſe loquatur: *quamvis, inquit* (*b*) *neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in his, in quibus me non errare perſpexerit: nam propterea nunc facio libros &c.* Sic ſentiebat in terris humilis Doctor Eccleſiæ, nunc verò excelſior cælis factus abominatur extrema cum indignatione impios ſermones Novatorum in authoritate ſua inaniter tripudiantium: Abſit Auguſtino gloriari, ſibique complacere in elogiis injurioſis Eccleſiæ, cujus membrum eſt adeò inſigne & ſplendidum: ſubſcribit, ſi fas eſt ita loqui, in ipſo ſinu gloriæ ſuæ damnationem ab Alexandro VIII. latam contra hanc propoſitionem, (*c*) *ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere & docere non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Abſit ab Auguſtino gloriari de infallibilitate aliena tanquam propria, nemini promiſſa niſi ſponſæ Chri-

(*a*) Cont. Epiſt. fund. c. 5.
(*b*) De dono perſever. c. 21.
(*c*) Prop. 30. inter 31. damn. ab Alex. VIII.

Digitized by Google

ſti ejuſque Vicario, nulli particulari attribuenda ſine rapina ſacrilega: Novit utique hanc infallibilitatem eſſe amictum Sponſæ, & ornamentum Capitis ejus.

7. Etiam illos pia averſatione devita, qui liberalius laudant Janſenium, Arnaudum, Sancyranum alioſque phalangis ſuæ Anteſignanos, qui Poëticâ facundiâ hos ſuos Coriphæos inter ſidera collocant tanquam ſtellas inacceſſibilis ſcientiæ, inæquabilis eruditionis, eminentiſſimæ pietatis, tanquam (a) *aliquos Magnos* quibus dignus non erat mundus, quibus pares non genuêre noviſſima ſæcula, portenta Virtutum, Sanctitatis ſpectacula, Mundo, Angelis & hominibus. Nunquam extravagantes hi Panegyriſtæ tantâ pollerent eloquentiâ, ſi forent integri vitæ ſceleriſque puri; nunquam adeò facundi forent pro perſona Janſenii, niſi damnatam ejus doctrinam profiterentur, cujus enim dogmata non placent, illius perfacilè mores diſplicent.

Quod ſi tales Encomiaſtæ forent illibati & probati Catholici, ſi teneram Charitatem erga Matrem Eccleſiam tanquam legitimi filii in ſinu alerent, non utique adorationi ferè publicæ exponerent homines, quos execratur Eccleſia, non utique *Euge Euge* acclamarent illis, qui toto vitæ tractu mordicus defenderunt, quod Eccleſia damnat, non utique conſecrarent ſuas Panegyres illis, qui fuerunt & hodiedum ſunt lapis offenſionis & Petra ſcandali, cauſa funeſtiſſima damnationis æternæ tot Chriſtianorum: intuerentur Janſenium ejuſque aſſeclas non oculis amore deperdito ſed indignatione plenis dubiiſque de eorum ſalute, refricarent Janſenii memoriam in oblivionem ejus ſempiternam.

Jam ſede & judica, quid de illis tenendum, qui effigies Janſenii, Imagines Arnaudi, aliorúmque hujus farinæ primatum in cubilibus, Muſæis & Oratoriis ſuis æmulâ veneratione ſuſpendunt, eiſque ſpeciem cultûs Religioſi impendunt? qui Rebelles & inimicos Eccleſiæ denuntiatos velut æſtimatione & acclamatione populi Canonizatos honorant & invocant? ſuntne Cultores iſti hæ-

(a) Act. 8.

reticæ an Catholicæ profeſſionis? ſúntne Chriſtiani, an Idololatræ? rem decidere refugit animus.

Novi equidem, quòd ſi non alia Religione aſſervarent effigies ſuorum Principum, ac fortè icones Virgilii, Alexandri, Cæſaris, aliorumve quos fama & virtus magnos voluit apud hiſtoricos, nemo illos deſuper objurgaret; nunc verò cùm ſervent has effigies tanto cum affectu teneritudinis & venerationis, quantum deberent Sanctis Eccleſiæ Patribus, & hoc præcisè, quòd effigiati iſti peperint opiniones, quas Eccleſia jam in partu tanquam parvulos non ſuos eliſit ad petram, & ut blaſphemas exterminavit. Quid ſonat, quid clamat hoc niſi hæreſin & ſpiritum ſeditionis? nec ſanè perſpicio, quali effugio juſtificanda ſit tam inſolens temeritas, aut eximenda à crimine Idololatriæ & impietatis.

8. Fuge, cave illos, qui affectant moralem doctrinam extraordinarii rigoris ac ſimulatæ ſeveritatis, qui identidem ruminantur vetuſta, recoquendo veterum Canonum praxes his temporibus inpracticabiles, ad quas ſictè æmulantur reformare univerſum orbem, qui immensùm exaggerant relaxationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quaſi tota Eccleſia in maligno poſita, exlex, corrupta & depravata viveret, qui amaricato animo irruunt in prætenſum illud morale relaxatum quorundam Caſuiſtarum, quos notant ubique nigerrimo calculo.

Verum eſt, puritatem moralis doctrinæ non minus ad ſalutem animarum requiri ac puritatem doctrinæ dogmaticæ. Zeloſus Catholicus pro utráque ſtat gladio utrobique acuto: at quis neget, peſſimum eſſe ſignum, ſi quis contra communem Theologorum ſenſum ultimi rigoris ſententias affectato & hypocriſin ſpirante Zelo propugnet? experientiâ conſtat, hæreticos plerumque ſub velamine neceſſariæ reformationis Eccleſiam deformâſſe, ut fideles & ſecuriùs fallerentur, & veneno hæreſcos ſuaviùs inficerentur.

Cæteroquin nullus ita hebes & credulus ſibi perſuaſerit, hos Zelatores tales eſſe in ſe, quales videri cupiunt perſonata ſua ſeveritate; non eſt, nec ſi ſuperis placeat, unquam erit in Eccleſia Dei

aliquod morale laxius & corruptius, quàm morale Doctorum facultatis Janſenianæ recenter fabricatum in officina Diaboli: ne enim loquar de illis, qui defectum ſufficientis gratiæ ac mandatorum impoſſibilitatem ſibi dictantes conſequenter enormia quæque ſcelera quaſi pro nihilo reputant: ne loquar de illis, qui ſub fucoſa ſimulatione urgentis reformationis ducunt in bonis dies ſuos vitam viventes longè deliciosiſſimam; qui ſub præſcripto modeſti habitûs & veſtitûs Chriſtiani veſtiuntur nitore exquiſitiſſimo, qui ſub prætextu menſæ frugalis amant cibos omnium lautiſſimos, ſub titulo ſimplicitatis in utenſilibus molliſſimè dormiunt, pretioſiſſimè vigilant, ſolertiſſimè omnes excogitabiles corporis comoditates procurant.

Ne, inquam, loquar de commodis hiſce præconibus ſtrictiſſimæ moralitatis, ad ampliora me converto, & quæro; Quis ex hujuſmodi Zelatorum gremio ſibi conſcientiæ aut ſaltem ſcrupulo ducit, imò quis non pro ſpecie meriti reputat, ſi in primis anni ſolemnitatibus & frequentiùs ipſo paſchali tempore ſacramentis abſtineat? legere libros prohibitos vel de hæreſi ſuſpectos, contemnere ſumma tribunalia utriuſque fori & poteſtatis, ſpernere Chriſtos Domini quaſi non eſſent uncti oleo; ludibrio habere cenſuras Eccleſiæ, rancorem fovere immortalem contra probos Religioſos aut alios Eccleſiaſticos, omni favente occaſione acuere linguas in hos & illos tanquam avaros, arrogantes, ambitioſos, ignorantes, immorigeros, mentiri evidenter in evidentiâ facti contrarii & in ſummi momenti negotiis, reſiſtere agnitæ veritati ſole meridiano clariori, penè extaſes & raptus fingere, ubi nec ſcintilla ſolidæ devotionis corde latet, hypocritas imitari ſub velamento bonæ fidei, amphibologias inſenſibiles atque doloſas æquivocationes uſurpare in juramentis præſtandis; anathematizare & jurare ſe firmiter credere quod negant, nec unquam credituri ſunt, oblarvare ſuam Religionem, illi ad ſpeciem renuntiare & ad oculum dare libellum repudii, nocte autem & remotis arbitris eam quaqua verſum diſſeminare tanquam bonum ſemen in agro dominico, contra ſua propria prin-

Digitized by Google

cipia operari, quæ volunt, æquè enorme crimen eſſe Religionem ad ſpeciem velare, & alienam ſimulare, ac ſi Chriſtianus Paganum, aut Catholicus Calviniſtam fingeret.

Hæc & alia Janſenianis familiaria, ac titulo juſtitiæ turgentiâ, ne minimum quidem remorſum creantia nonne indigitant rigoroſum illud Morale, propter quod inflantur typho ſuo Novatores? ſi hoc morale non ſapiat laxitatem, nullam in orbe reperies relaxationem: Nimirum Scribarum & Pharifæorum erat hic rigor, hypocritæ, qui dicebant nec faciebant, qui imponebant alienis humeris onera gravia, inſupportabilia, nec ipſi digito movebant ſarcinas, qui notabant feſtucas minutiores in oculis fratrum, non advertentes trabem in oculis propriis, qui culicem excolabant, & camelum deglutiebant.

En tibi notas & characteres, quibus haud ægrè dignoſcas currentis ſæculi falſos prophetas, qui venerunt ad nos in veſtimentis ovium, intus autem ſunt lupi rapaces, qui ſub ovina pelle Catholici videri volunt, ſed non eſſe, ut cautiùs incautos diſcerpant, & impunè gregem Chriſti devorent. Veruntamen quid noviſſe juvat hos lupos, niſi contra famelicas eorum inſidias te inceſſanter munieris? cape conſilium ſummè tibi opportunum. Non ſponte te eorum gregi immiſceas diſputandi gratiâ; non enim extemplo ſe declarant, nec unicuique revelant cor ſuum; abſcondere Sacramenta Janſenii bonum eſſe apprime nôrunt: Nec etiam fortaſſe tantum tibi lumen ineſt, quo diſſipes errorum tenebras: tutiſſimum contra hanc peſtem antitodum, fuga: tanquam lue contagioſa venenatos providè declina; Verè enim peſtis mortifera eſt omnis hæreſis de communi Patrum Eccleſiæ calculo, ex hac prius mortem quàm morbum ſenties, nimis celeriter virus ſuum ad inteſtina promovet; ſicuti perquam difficile eſt eodem lecto cubare cum peſtifero, quin non idem cum ipſo malum participes, ſic ſummopere arduum ac diſcrimine plenum eſt commercium cum homine hæretico.

Ne dicas quæſo, hic vir tanto ingenio pollet, tanta erudi-

Digitized by Google

tione, pietate, induſtria eminet, eloquia ejus ſuper mel & favum, ſuper aurum & topazion, tam ſapidè de Deo loquitur, tam disertè ſcit reprobare malum & eligere bonum ac alter Emanuel butyrum & mel comedens. O quàm potens, quàm penetrans eſt in opere & ſermone! Cognatus meus, amicus eſt, cui quid quid ſum, debeo; non refert; ſit tibi oculus, ſit manus, aut brachium dexterum, ſit tibi utilis, aut neceſſarius, abſcinde eum, & projice abs te, ſi noveris eum Janſenio fermentatum.

Hoc Deus, hoc Eccleſia & conſcientia jubet. *Si quis (a) venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum accipere in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dixit illi ave, communicat operibus ejus malignis.*

Hæreticum hominem (b) poſt unam, & ſecundam correptionem devita, certò perſuaſus talem hominem perverſum eſſe & in ſtatu peccati, cùm ſit proprio judicio & conſcientiâ condemnatus.

SECUNDA ADMONITIO.

OPORTET EVITARE CIRCULOS & diſcurſus, in quibus nimiâ libertate ſolent ventilari quæſtiones modernæ.

POſteaquam ex inſidiis Novatorum Theologicæ diſputationes è ſcholis in plateas, in tabernas & officinas transvolârunt, quilibet aſſumit ſibi honorem tanquam Aaron tractandi de negotiis fidei ponderoſiſſimis, quilibet deſuper ſuam mentem & ſententiam eviſcerat, non ſecus ac ſi ageretur de re domeſtica, de utenſilibus, eſculentis aut poculentis; termini ſcholarum *gratia efficax & ſufficiens, prædeſtinatio ante vel poſt prævisa merita, decreta prædeterminantia vel ſcientia media, quæſtio juris & facti* hac tempeſtate vix non audiuntur ex ore

(a) 2. Joan. c. 1.
(b) Ad Titum c. 3.

infantium & lactentium, etiam ſexus muliebris hanc linguam novit ſcholaſticam, modus & genium moderni ſæculi his converſationibus recreatur uſque ad delicias; Academicorum plena ſunt omnia.

Quis non rideat, vel potius quis non fleat? *digna res riſu imò & planctu* ait Ambroſius, cùm paſſim videas in circulis & ſtationibus cujuslibet ſexûs, ætatis ac conditionis perſonas vix ſuperficialiter, ne dicam ſufficienter Cathecismo imbutas, ignorante audacia ſe ſe ingerere diſcurſibus circa materias primorum Theologorum ingenia fatigantes! quod intolerabilius; auribus obſtreount non diſcurrendo duntaxat, ſed decidendo, ſententiam ferendo multò fidentiùs ac forſitan Sorbonæ Doctor aut facultatis Pariſienſis Licentiatus. Neque tamen hic diu ſubſiſtunt; citò ſiccarentur venæ illarum converſationum, brevi in arena hærerent hujuſmodi Theologi & Theologiſſæ, niſi maledicentia, murmur, impietas ampliores magiſque domeſticas materias ſuppediarent. In hiſce confabulationibus centies texunt & retexunt ſuas fabulas contra illos, quos libenter Moliniſtas vocant. Ibi laceratur fama, honor, reſpectus etiam Magnatum & Optimatum, qui nullibi ſunt ſine veneratione & honore, niſi inter hæreticos. Ibi carent ſuprema capita eâ Authoritate quâ maximè abundant, dum nec Eccleſiaſticæ nec Politicæ Poteſtati parcitur; ibi non verentur hi ſcioli præcipua Chriſtianiſmi ſydera ad jus citare, præventionis, cæcitatis, violentiæ, Tyrannidis Reges & principes inſimulare. Hic nemo evadit inſons præter ſontes. Hic ſoli, & uni Eccleſiæ hoſtes ſunt laude & applauſu digni; ut in hoc conventu malignantium ſis verus Chriſtianus, hæreticus eſto: Etenim iſtorum in ſe patrocinium ſuſceperunt; interea Chriſti Eccleſiam ad tribunal rapiunt, cenſuris afficiunt, ejus paſſus & greſſus dinumerant, judicant, damnant; Paſtores Eccleſiæ quamtumvis in gubernandis fidelibus Spiritu Sancto afflatos unácum eorum conſtitutionibus & deciſionibus ad triremes vendunt vili pretio, forſan minore triginta argenteis.

Phrænetica iſthæc conciliabula ſolerter tibi fugienda eſſe quis dubitet? audeo decidere. Sine notabili læſione conſcientiæ nemini

liceant

Digitized by Google

liceant hæc Lycæa forenſia vel ſubterranea Novatorum : adverte rationes. 1. Quia tranquillis auribus haurire calumnias, ſarcaſmos, maledicentias, alióſve diſcurſus vitioſâ libertate repletos, eſt ſimilia ſuo modo & ſenſu ratificare, ac alterius peccato veraciter cooperari.

2. Quia præceptum fraternæ correctionis ſi uſpiam certè hâc occaſione obligat, quam ſi omittas, animam ſaucias. 3. Quia ſpontaneo auſu te proſtituis periculo errandi ferme inevitabili, cùm hujuſmodi virulenti ſermones malignas ſuas ſpecies & Ideas generent commoventes ſpiritum, ac fidem arietantes, præter quòd corrumpant bonos mores colloquia mala juxta Apoſtolum,

Nolite ergo, ut cum eodem Apoſtolo proſequar, (*a*) *communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem & redarguite illos*, qui talia dicunt & faciunt : neque ergo, ait Auguſtinus (*b*) *conſentientes ſitis malis, ut approbetis, neque negligentes, ut non arguatis fabulationes iniquas.* Modeſtè demonſtrandum eſt licentioſis iſtis, Chriſtianam humilitatem & Charitatem interdicere loquelas hujusmodi, non decere falcem mittere in alienam meſſem, idque pro themate vulgaris converſationis aſſumere, quod frequentiùs obfuſcat lucidiſſima Doctorum ingenia ; quòd ſimplici fideli potius incumbat, ut reſponſum habeat caput ſuum, humiliter illud inclinando ad legitima ſuperiorum eloquia, ac præſertim ad deciſiones & oracula Eccleſiæ. Dein priuſquam frivolis eorum ratiunculis reſpondeas, abſcinde quantocius filum converſationis, téque indignabundo ſimilem cætui ſubtrahas.

Ita uſurpabat aliquando teſte Euſebio (*c*) S. Polycarpus Martyr ; ſi fortè impia dogmata audiret, aures obturans continuò exclamabat. O bone Deus ! in quæ tempora me reſervâſti, ut hæc patiar ? atque ex eo loco, in quo vel ſedens vel ſtans ea audiviſſet, protinus aufugiebat. En exemplum à ſancto relictum, ut devites

(*a*) Epheſ. c. 5.
(*b*) Serm. 18. de Verb. Dom.
(*c*) Euſeb. l. 5. hiſt. Ecc. c. 19.

Pars I. S

impios & temerarios circulos, utque ſanctè audeas iraſci hæreticis: huic deeſſe obligationi eſt fidem & Eccleſiam prodere, repudiare, ſeque participem reddere ejuſdem criminis, haud aliter, ac ſi quis blaſphemâ patientiâ ſilendo quieſceret audiens horribiles in Deum blaſphemias.

TERTIA ADMONITIO.

OPORTET CAVERE ARROgantem incredulitatem in rebus minutiſſimis.

NUnquam induas duram cervicem illorum, qui de penetrante ingenio ſibi gratulantur, ſeque mirabili metamorphoſi tranſmutatos autumant ex vaſis luteis in fortes ſpiritus, & robuſta, ut vocant, ingenia, qui adeóque ſe diſtinguunt imaginaria fortitudine, & penetratione à debili & promiſcua plebe, & idcirco ridiculâ ingenii ſublimitate credere renuunt, quid quid ſacræ hiſtoriæ ſive de miraculis Taumaturgæ Virginis Deiparæ, ſive de admirandis Sanctorum geſtis, ſive de revelationibus Extaticorum, ſive de præſtigiis Magorum, aut de Energumenis narrant. Hæc & ſimilia quaſi uno hallitu negant in complementum ſuæ arrogantiæ; licèt enim facta illa extraordinaria nemo fide divina teneatur credere, nihilominus ea omnia ſine diſcrimine tanquam aniles fabulas explodere indicat ſpiritum elationis ac præſumptionis paulatim ad Apoſtaſiam diſpoſitum, atque à fide declinantem. Ita quidem eſt; oportet nos eſſe prudentes ſicut ſerpentes, ne credamus omni ſpiritui in rebus, quæ ad fidem & mores ſpectant, hoc enim inculcare vult ſacer ille textus, nec tamen inſpirare ſuperbam incredulitatem: ſed & oportet nos eſſe ſimplices ſicut columbæ, & effici ſicut parvuli, quibus proprium eſt, ait S. Hilarius (a) *eſſe credulos. Dictis credant*

(a) S. Hilarius comm. in Math. c. 18.

& quod audiant, verum habent: humilis hæc ſimplicitas continuò in ſanctis Dei hominibus emicuit, etiam præcipuè in ipſo Divo Auguſtino. Magnus hic Doctor in pleriſque ſuis voluminibus commemorat geſta, quæ præter negationem vix aliquid mereri aſſeverares; præſertim in ſuo diſcurſu de ſancta Felicitate & Perpetua refert nonnullas viſiones aut extaſes, primâ apparentiâ non fide ſed riſu dignas, nec immeritò illas omnino contempiſſes, niſi conſtaret inſigne ingenium Auguſtini fuiſſe æquè humile ac ſublime, æquè æmulatum eſſe prudentiam ſerpentum, quàm columbarum ſimplicitatem. Quid enim primo intuitu adeò ridiculum ac muliercula illa, de qua narrat, quòd per ſcalam in Cælum ſcanderit, ibique repererit paſtorem in horto delicioſo mulgentem oves ſuas, ac caſeos coagulantem, illíque fruſtulum inde porrigentem? nec minùs videtur riſu dignum, quod recenſet de alia fæmina in virum transmutata, cujus totum corpus oleo fricatur & tingitur, quæ deindè cum Ægyptio pugnis & calcibus fortiter dimicat? quis crediderit id, quod ſcribit eodem loco de puero ſeptenni, qui eadem ætate mortuus, ut exprimit ſanctus Doctor, in pænas & damnationem mortis inciderat, eó quòd ſe permiſerit à Patre ſuo Pagano reduci ad ſacrificia ethnica, qui tandem interceſſione S. Perpetuæ ex ſuppliciis illis liberatus eſt.

Si quis naſuto hoc ſæculo tot acuminoſis totque (ut hujus ſæculi linguâ loquar) robuſtis, aut elegantibus ingeniis fertili tales apparitiones inſtar S. Auguſtini divenderet, annon rideretur ut ſomniator aut ſtolidus? interim S. Auguſtinus has viſiones non ſolùm crediderat, ſed & operæ pretium duxerat, earum myſteria populo exponere, eáſque inſinuare tanquam argumentum conſiderandæ Authoritatis. Noverat enim effatum Pauli, *quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes*, noverat, quòd humilis ſimplicitas ſit character verorum fidelium, nec ignorabat fideles in minimis in majoribus quoque fideles fore, gratum Deo ſacrificium eſſe humiliter inclinare cervices vel in minutiſſimis; ad altiorem myſteriorum fidei cognitionem elevari, qui ſe ad credenda modica

deprimunt, non nocere neque ſubeſſe periculum, licèt acquieſcas narrationibus & geſtis non nihil difficilibus, cùm econtra valde ſit periculoſum in fide ſimul & pernicioſum, ſi aſſumas ſuperbam incredulitatem.

Revera ſi quis contraxerit habitum & conſuetudinem non ſe ſubmittendi niſi proprio lumini & judicio, nunquam extraneo & alieno, talis videtur peſſimè diſpoſitus ad amplectenda, quæ ſunt fidei & religionis contra dictamen proprii ſensûs; quod pejùs eſt, talis non mediocres ſentit ſtimulos excutiendi jugum Religionis & contradicendi, non ſerviam, non credam, adeò quidem, ut ſemel aſſuetus reſiſtere humanæ authoritati, frequenter divinam convellere non contremiſcat, cùm tamen hæc & illa ſint ſæpius amiciſſimo nexu concatenata: hoc clariſſimè patet ex motivis inducentibus ad credibilitatem myſteriorum fidei (qualia motiva ſunt V. G. miracula, ſanctitas &c.) quæ potiori ex parte nituntur factis ſummè quidem ſtupendis, cùm tamen eorum veritas non aliunde tibi conſtet niſi ex humana authoritate.

Jam dudum tibi innotuit, neminem repentè fieri peſſimum, neminem ab una extremitate tranſvolare ad alteram: ſicut fides ſic & infidelitas ſuos gradus & greſſus numerat. Sicut converſio S. Auguſtini negotium fuit non unius diei, ſic nullus unico ſaltu fit impius aut Calviniſta Socinianus, vel Atheus, ſed pedetentim. Ex modicis infidelitatibus paulatim acquiris uſum gerendi arma contra Eccleſiam, donec evadas in virum Bellatorem, in hæreticum, in gigantem famoſum, in robuſtiſſimum Atheum aut Epicurum.

Tunc enimverò à minoribus ad majora progreſſus arrogantem incredulitatem exerces in omnibus, quæ ſupra naturam, ſupra ſenſus & captus humanos tibi proponuntur, & antequam mente rumineris ſintne vera? ſintne ſolida, ac teſtimoniis innixa omni exceptione majoribus? ea reſpuis, rides, ſuperciliosè chimæram vocas, hirco-cervum, circulum quadratum, quæ non niſi in cerebro fanaticorum aut ſimplicium domicilium habent.

Hoc Spiritu ſuperbiæ inebriatus, hoc vento diſtentus, te ex-

Digitized by Google

altandi ſuprà communes vulgarium ſenſus, prurientibus auribus auſcultas, avidiſſimis oculis perluſtras, quid quid Criticus deblaterat, quid quid Satyricus chartis & libellis criminatur contra antiquiſſimas traditiones ex receptione fidelium & tractu ſæculorum Venerabiles: ratiunculæ quantumvis minutæ vix atomis æquiparandæ montes tibi apparent excelſi, rationes videntur admirabiles, irrefragabiles, palmâ dignæ, quas ignoraverit antiquitas; Et licèt hujuſmodi traditiones aut hiſtoriæ ſæpe-numero ſint auctoratæ ex ipſo Eccleſiæ uſu, quòd illas in officio diurno ſtatutis anni temporibus recitandas præbeat, attamen eas ſine remorſu deſpicis, vanâ jactantiâ ac puerili gloria exſibilas, non ſecus ac ſi ageretur de fabulis Æſopi, de commentis & figmentis, quibus temporis ſenium aut ignorantiæ vetuſtas fidem ſimplicium conciliârit.

Neque hic cònfringit tumeſcentes fluctus ſuos incredula arrogantia, audaciora meditatur, Rhadamanthum agit, ſeriâ fronte vitas Sanctorum examinat, ex ratiunculis leviſſimis an veræ ſint an fictæ, ponderat, judicat, damnat; dubitat, an unquam & uſpiam in mundum nati ſint, quos Eccleſia veneratur, dubitâſſe ſufficit, ut vixiſſe neget complures, quorum glorioſæ mortis memoriam colìmus, & quia vivos dubitat, delet mortuos primò quidem ex libro viventium, deinde ex calendario mortuorum & ſanctorum Catalogo. Authoritas Eccleſiæ conculcatur, ſpernitur, irridetur, quòd feſta & officia celebrârit de ſanctis imaginariis, quòd ſolemni ritu canonizaverit mortuos nunquam viventes, purè poſſibiles & intelligentiales. Tunc ipſis Eccleſia non eſt infallibilis in canonizatione Sanctorum, tunc ſentiunt cum Wicleffo, Calvino, Luthero, eorùmque commilitonibus, Eccleſiam in adulterio deprehenſam & in canonizatione reipsà deceptam eſſe, tunc non merita, non miracula, ſed favor & gratia, ſed reſpectus & magnipotentia ſupplicantium hos & illos ſanctorum Catalogis inſeruerunt. Sic fide credunt, ſic famâ ſpargunt, ſic juxta communem Theologorum ſententiam mortaliter peccant, ac fiunt infidelibus deteriores. Audi

S 3

Digitized by Google

Seraphicum Bonaventuram; (*a*) *ad infidelitatem ſpectat de ſancti Canonizati gloria diſputare.* Rationem addit Angelicus Thomas; (*b*) *quia honor, quem ſanctis exhibemus, quædam profeſſio eſt fidei* &c. quapropter temeritas eſt intolerabilis, vel ut potius cum Auguſtino loquar; (*c*) *inſolentiſſima inſania eſt diſputare, an ſit faciendum, quod tota facit Eccleſia.* Inſolentia & inſania digna fulminari anathemate, quo fulminabantur Wicleffus, & Joann. Huſs in Concilio Conſtanſienſi.

Sed necdum finis malorum. Nam ſuperbia eorum, qui Deum, ſanctos, & Eccleſiam oderunt, aſcendit ſemper; cùm enim perventum fuerit ad Excelſum hunc ſuperbiæ apicem, jam non verentur omni poteſtati reſiſtere; nolunt agnoſcere in Eccleſia ullam prærogativam aut ſpecialem juriſdictionem damnandi vel interdicendi quoſcunque libros. Leguntur in odium & contemptum prohibitionis non relatrante conſcientia, ſine remorſu aut ſcrupulo.

Plus ultrà: Credunt Sponſam Chriſti, ſæpe fallibilem in rebus facti, poſſe filiis ſuis falſum pro vero dictitare, librum Catholicum pro hæretico, & viciſſim porrigere: dicitur & docetur ex Cathedris peſtilentiæ, Eccleſiam poſſe innoxio Authori doctrinam falſam imponere, quam nunquam docuit, & licèt hi temerarii judices talem doctrinam ex propria confeſſione ut damnatam teneant, defendunt tamen fortiter, & propagant pertinaciter; Quo tandem auſu in formaliſſimam hæreſin incidunt. Adeò verum eſt, nil adeò falſum eſſe, quàm ſenſus proprius & ſuperba incredulitas vel in minutiſſimis. Iterum dico & præmoneo, hos devita,

(*a*) In opuſc. contra Guil.
(*b*) Quodl. 9. a. 19.
(*c*) Epiſt. 118.

Digitized by Google

QUARTA ADMONITIO.

OPORTET PRÆCLUDERE viam omni malignæ præventioni contra illos, qui Novatoribus reſiſtunt.

Attende tibi, ne unquam præoccupari te ſinas maligno præjudicio contra Eccleſiaſticos vel Religioſos, quos oculatior mundus cognovit eſſe Janſenianorum Antagoniſtas. Hæc enim præventio theſaurizabit tibi dolores in eorum proſperis, & tripudia in adverſis, fama eorum tibi triſtitiam, & infamia lætitiam pariet; laborabis alieno bono tanquam proprio malo, & viciſſim alieno malo tanquam proprio bono.

Talis eſt perverſa diſpoſitio moderni ſæculi: etiam qui non mediocri rigore ac reformatione morum inter cæteros eminent, alienis meritis & virtutibus iraſcuntur: ſed quâ opinione ſat probabili, qua intentione ſat validâ juſtificabis has præventiones Chriſtianæ Charitati tantopere repugnantes? quomodo vindicabis hæc ſiniſtra judicia à peccato mortali? demus enim, non concedamus, hos vel illos Religioſos aut Eccleſiaſticos tales eſſe, quales opinaris, defectibus notabilibus famulari, quos invidia ſæculi exprobrat, quid tum? num tibi idcirco mortaliter eos averſari, ac evaginato furore omni data occaſione in illos proſilire liceat? tantæne animis cæleſtibus iræ? nequaquam; ſi enim fratrem tuum ſub quocunque titulo odiſti, homicida es. Quid eris lethaliter averſando non perſonam particularem, ſed integrum cætum Sacerdotum, aut ordinem religioſum, cujus præſtita obſequia & in dies Eccleſiæ præſtanda ne quidem invidi ignorant? ſi quis debito affectu Eccleſiam Chriſti diligeret, prona charitate omnes ejus defenſores amplecteretur, ac vel ipſam eorum lepram quorumcunque defectuum com-

Digitized by Google

paſſiva teneritudine oſcularetur; quantò magis amandi & honorandi ſunt, poſtquam probitate morum condecorantur etiam invito adverſariorum calculo & ſuffragio roboratâ? certè charitas non cogitat malum, abſit ab ea judicium temerarium ex umbris apparentibus & diſparentibus genitum; vix oculis teſtantibus fidem adhibet: ſi verè diligeres, quàm ingenioſus eſſes ad excuſandas excuſationes in peccatis fratrum tuorum? non utique tubâ caneres ignominias eorum, nec verecundiam eorum revelares, ſed pallio tuo ad illam operiendam illico te ſpoliares.

Facilè divinaveris, quid de his ſentiendum; qui aliena laude vulnerantur, nonne deſperata eſt plaga illorum? Quid de his ſentiendum, qui nunquam adeò hilares conſpiciuntur, quàm ſi triſte quid contigit Athletis Eccleſiæ, nunquam adeò facundi, quàm ſi expugnatores Janſeniſmi ex vera vel falſa fama facti ſunt opprobrium & abjectio plebis? Quid ſentis de illis, qui crimen unius tanquam peccatum originale tranſplantant in omnes præſentes & poſteros? qui etiam ex bono malum eruunt, ac ſanctiſſimas quasque intentiones tanquam perverſas machinationes proſcindunt? ſúntne hi ex noſtris? probi Catholici? Veri Chriſtiani? ſúntne amici Sponſæ Chriſti? ſunt inimici, ſunt larvati hæretici, qui ſecretum inière conſilium, ut Chriſtum ejuſque Eccleſiam dolo tenerent, & occiderent, inſpirando fidelium cordibus contemptum & averſionem contra tuentes cauſam Chriſti & Eccleſiæ, ut inde ſuis erroribus illaqueare valeant inſenſibiliter univerſum orbem Chriſtianum.

Audenter dico: nihil tam rapido curſu nos in torrentem hæreſis protrahit, ac maligna præventio de Protectoribus juratis Eccleſiæ; experientia convincens loquitur, multos hâc ſolâ ad Janſenium transfugiſſe; ſicut quaſi funiculis tracti ſequimur eos, quos æſtimamus, ſic fugimus ruptis vinculis, quos averſamur. Cæco modo utrinque ferimur, niſi ſolers attentio dijudicet, quænam caſtra pro vel contra Eccleſiam militent; taliter præoccupati ſine reflexione vexilla ſequimur hoſtium Eccleſiæ, inque ſeditionem, in crimen

crimen læſæ Majeſtatis, in gehennam ignis acceleratâ ruinâ præcipitamur.

Quam ob rem ſumopere caveas perversè opinari de fortibus Iſraël ; potius excandeſce contra Novatores tanquam Perſecutores Eccleſiæ ; in hos gladium ſtringe, ut dignum te reddas encomii, quod Jeſus Chriſtus dederat Angelo Epheſi. (*a*) *Sed hoc habes, quod odiſti facta Nicolaitarum :* dummodo cæteroquin non perſonas, ſed perſonatas eorum hæreſes odio habeas. Tactus dolore cordis intrinſecus ingemiſce contriſtatus ſuper cæcitate & pertinaciâ cordis eorum. Verumtamen iraſcere & noli peccare in deteſtabiles eorum technas, quibus cogitant extendere tabernacula ſua de gente in gentem.

ADMONITIO QUINTA.

OPORTET SPECIALI DEVOTIONE ferri erga ſanctum Auguſtinum.

SUadeo tibi, ut poſthac compares tibi aurum pretioſæ devotionis erga præclarum Eccleſiæ lumen S. Auguſtinum, cujus præpotens interceſſio te præmuniat gratiâ perſeverantiæ in fide Romanæ Eccleſiæ. Sunt quidem ſancti Dei omnes pro obtinendis ad ſalutem neceſſariis ſubſidiis coram Miſeratione divina eloquentiſſimi Oratores, ex quibus tamen nonnulli ſpeciali beatitudinis privilegio efficaciùs perſuadent, ut gratiæ addantur capiti tuo, quæ particulariter juvant ad exercendas eas virtutes, quarum praxi & exercitio Sancti illi præ cæteris eminebant. Sic D. Auguſtinus, cùm adhuc in Eccleſia militante certaret, Magnus erat in Zelo pro domo Dei, pro vera fide & Orthodoxa Eccleſia ; glorioſus in præliis & victoriis contra hæreticos, quos nullo loco conſiſtere paſſus coram, & ſcrip-

(*a*) Apocal. 8. v. 6.

tis perpetuò inſectabatur; Africam à Manichæorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, aliorúmque præterea hæreticorum errore magna ex parte liberando. Ne dubites proinde, eum privilegio ſpeciali gaudere, ut ſuo interventu ad ſe cum fiduciâ recurrentes ab erroribus in fide præſervet. Videtur imò plurimum hac ex parte intereſſe D. Auguſtino, ut in negotio fidei ſua protectione tibi faveat; cùm enim hæretici noſtro ævo ſub umbra alarum D. Auguſtini requieſcere glorientur, cùm prætextata ejus authoritate exauthorare ſtudeant Authoritatem Eccleſiæ, nemo dubitaverit, hunc inſignem Eccleſiæ Doctorem & Protectorem plurimum pro tutela fidei Orthodoxæ & veræ Eccleſiæ intricari.

Revera ſi poſſibile foret alterari inalterabilem pacem S. Auguſtini, quâ defacto fruitur in gremio Beatitudinis circumfuſus lumine gloriæ invariabili, quantus eum pertranſiret doloris gladius, intuendo libros & opera manuum ſuarum, quibus olim hæreſes tam acriter proſternebat, ab hæreticis modernis in armamentarium erigi ad debellandam Chriſti Eccleſiam? quam excandeſceret in ſinu candoris Lucis æternæ contra blaſphemos, qui verbis ejus ſenſum alienum & execrabilem induentes, eum in partem & teſtem vocant blaſphemiæ divinam miſericordiam injuriantis? cùm tamen hujuſmodi blaſphemiam exhorrente calamo coram orbe univerſo deteſtetur his formalibus: (*a*) *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe preceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.*

Si fiducialiter ad eum precaberis, fortaſſis illa tua fiducia (ſi ita fari liceat) non modicum ipſi ſolatium afferet, vel potius ſummè grata & gratioſa erit, ſic enim concordabis cum Vniverſa Eccleſia, quæ ſemper tenuit Magnum hunc Africæ Præſulem nunquam à communi ſententia Orthodoxorum diſcordâſſe: hac ſincera opinione reparabis non nihil injurias præclaræ ejus memoriæ illatas & violenter inferendas, quando nimirum factio Janſeniana Doctorem gratiæ proclamat Authorem diſgratiæ & impietatis.

(*a*) Serm. 1. g. L. de temp.

Quàm obrem ne graveris, opportunam tibi eámque quotidianam devotionem indicendo ac recitando in ejus honorem Antiphonam: *O Doctor optime* &c. cum verſiculo & propria ejus oratione, vel ſi quid ſimile Religio & pietas tibi ſuggeſſerit: nec tamen contentus eſto, ſi illum pro te ſolo deprecatus fueris; inſta, obſecra, ut qui pro Eccleſia fuit Doctor egregius, etiam validus precator accedat. Commenda ejus protectioni Eccleſiam vi & fraude violatam à filiis, quos in ſinu ſuo educavit, & enutrivit, quíque mille vitas ejus defenſioni debent. Vrge eum ſupplicationibus tuis pro converſione & ſalute hæreticorum moderni temporis, pro hac progenie viperarum, quæ necdum egreſſa, ut oporteret, ex utero crudeliter dilaniat Romano-Catholicæ Matris viſcera. Tandem interpella eum præcipuè pro Regno Galliæ, ut avertat ab ejus cervice plagam omnium funeſtiſſimam à Mundi Salvatore Judæis voce tremenda interminatam; *Auſferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Vicina Anglia divinæ hujus minitationis recens ſpectaculum præbet. Quis non pertimeſcat idem flagellum ex eodem delicto? multiplices iniquitates velut ex condicto multiplicant hæreſes.

Scio, quòd non ignores ubique notum. Recens hæreſis ſecundo ſed infauſto flumine quaqua verſum inundat Gallias. Undique Fautores & Protectores ſuos vel inter Potentes numerat. Appropinquavit tabernaculo & altari Altiſſimi, involavit in ſanctuarium Domini, coruſcat inter perſonas, quarum charactere nihil auguſtiùs, nihil ſacratiùs. Jam jam trophæa ſua, & inſignia erexit in munitiſſimis illis Orthodoxæ Religionis penetralibus, quæ à D. Bernardo olim appellabantur Aſylum virtutis, & puriſſimæ fidei propugnaculum. Vix ſtatum aut conditionem toto regno repereris penitus immunem à lue mortifera. Meritò timent cordatiores & ſenſatiores, ne regia authoritas, ac paſtoralis vigilantia incaſsùm laborent remorari rapidiſſimum torrentem iniquitatis: annon audis Janſeniſtam jactare, *me oportet creſcere, te autem minui?* an non in dies magis magíſque intumeſcunt factioſi homines gloriabundè in

Digitized by Google

tonantes, cohortem ſuam & numero & pondere prævalere, nil ſupereſſe præter imminens opportunum tempus & occaſionem favorabilem detrahendi larvam, ſéque declarandi, quòd præ foribus & in proximo ſit Nabucodonoſor ? quàm dolenter & acerbè his affliguntur, qui diligunt Sponſam Chriſti!

ADMONITIO ULTIMA.

OPORTET SE APPLICAre exercitio Meditationis.

REmemorare, quæ nuper ex ſuggeſtu propoſui de neceſſitate meditandi: Utilis eſt, ſed & neceſſaria meditatio, quæ in fide te ſolidabit, laqueos Novatorum deteget, ampliore magiſterio te informabit quàm omnes ſupra aſertæ admonitiones: frequentius deſcende in ſpiritu ad loca illa ſubterranea, ubi divina Nemeſis ignem ſuccendit æternis ſæculis inextinguibilem. Ibi oculis tuis conſiderabis armata ſupplicia in hæreticos juſto Dei judicio condemnatos. Ibi auribus percipies infortunatos millies ululantes triſtia Jeremiæ eloquia (a) *Væ nobis, quia peccavimus, cecidit corona capitis noſtri*! Ibi alta mente perſcrutare vermem famelicum æternùm inſatiabilem, inteſtina conſcientiæ hæreticorum inceſſanter corrodentem, qui potiſſimùm conſiſtit in remorſu inconſolabili æternaliter exprobrante & obloquente, quòd ſe ipſos damnaverint, licèt Deus omnes ſalvare voluerit, omneſque ſufficienti gratia muniêrit, ut ſalvi fiant.

Poſthæc erigas caput ex cinere timoris ad affectum amoris. In hunc finem eleva oculos tuos & vide, ac reſpice in faciem Chriſti tui: Etenim obviabit tibi miſericordia & veritas ejus, juſtitia & pax ſe invicem oſculabuntur, quibus amplexus eſt omnes

(a) Thren. 5. 16.

Digitized by Google

homines, & pro omnibus humanam ſibi naturam deſponſavit. Solus hic amoroſus intuitus abundantius tibi lumen accendet, quàm omnium Theologorum ſcripta cum validiſſimis eorum ratiociniis: ex tali meditabunda conſideratione penetrabis, quantùm abſit à miſerationibus Dei, ut unicus pereat de puſillis iſtis, adeò ut ſi opus foret, altera quoque vice exultaret ut gigas ad currendam viam incarnationis, atque à ſummo cælo fieret egreſſio ejus ad redimendum univerſum hominem.

His conſideratis plange, ſuſpira, deteſtare ingratitudinem Novatorum longè nigerrimam, quòd loco commotionis charitativæ ad tanta divinæ bonitatis veſtigia venundati ſint ad pertinaciam; plange, quòd, nolentes Deum tanta extenſione & intenſione bonum ac miſerentem eſſe, induraverint facies ſuas contra Petram Romanæ Eccleſiæ; ſuſpira, quòd loco gratæ recognitionis per fidelitatem præſtandæ, ſuo Redemptori ſanguinolentam inferant ignominiam, ſurripiendo blaſphemante lingua auguſtiſſimum ejus præconium & titulum SALVATORIS OMNIUM HOMINUM.

Reparare dein conaberis Deo tuo, quantùm in te & ex te eſt, clamoroſam hanc contumeliam per ignitos actus fidei, ſpei, Charitatis, oblationis & laudis centies repetitos. Fluentibus his pretioſis ac meritoriis momentis memento mei. Obteſtare Dominum, ut gratiam ſuam ſuper me ex alto depluat, quâ munitus reſpondeam prægrandi vocationi meæ, quâ vocavit me ad ſtatum Chriſtiani, Religioſi & Sacerdotis: Precare Deum, ne deleat nomen meum de libro vitæ, & ne fortè, cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar. Id ipſum pro te orabo apud Patrem omnium noſtrum, qui ſum totus tuus omni cum veneratione & affectione ſervus in Chriſto &c. &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA SECUNDA.

In quâ per tres Columnas conſtruitur Parallela ſive Collatio Doctrinæ Janſenii cum Doctrinâ Divi Auguſtini & Calvini.

AMICE

NEmo me ſenſibilius delectaverit, nec tu ipſe ſuaviori guſtu me recreaveris, ac gratâ tuâ informatione, quâ me certiorem reddis, quantùm ex prima mea epiſtola profeceris. Laudes ſint ſummo Numini immortales, precéſque ſupplices, ut faciat ſemen verbi ſui pretioſiſſimum in te multiplicari centuplum, & fructificare uſque ad plenam meſſem.

Huic incremento gratiæ ut tantùm adjiciam, quantùm ex me pendet, brevem tibi laborem meum in præſenti epiſtolâ communicare decrevi, ex quâ, ni fallor, nec vanâ ſpe deludor, non minus emolumenti capies, quàm ex priore. Igitur hâc vice tibi porrigo Paralle-

lam ſeu collationem fidelem doctrinæ Janſenii cum doctrinâ ſancti Auguſtini & Calvini.

Hæc eſt Collatio, quâ te convincere ſtatui de tribus ſupremi ponderis Veritatibus, quæ plenum fidei tuæ robur dabunt, cùm digito tanges palmaria hæreticorum noſtri ævi mendacia & figmenta. In præſenti Parallelâ tria quaſi manu palpabis & intuitivè perſpicies. Primò Factum Janſenii realiſſimum, id eſt, quinque propoſitiones ab Eccleſiâ damnatas tam expreſsè & evidenter in libro Janſenii ſive in Auguſtino Iprenſi enuntiatas eſſe, ut nullus id negaverit, niſi ſit mente vel mendacio captus; niſi ſit vel ſummè ſtolidus, vel extremè pertinax. Secundò videbis, doctrinam Janſenii cum doctrinâ Calvini tam parem & conformem eſſe ac ovum ovo, tam affinem, & ut ita loquar, conſanguineam, ut nemo ſe jactet diſcipulum unius, quin non eodem inſtanti ſe fateatur diſcipulum alterius. Tertiò, fateberis, ſententias utriuſque Authoris adeò contraire Divi Auguſtini ſententiis, ut Eccleſiâ vel ipsâ damnatione Janſenii & Calvini Auguſtinum vindicaverit & confirmaverit.

Quapropter, antequam procedamus ulterius, tres mecum ſat magni momenti reflexiones formare non pigeat. Una reſpicit factum Janſenii, vel quinque propoſitiones, prout Eccleſia illas mox nominato Authori appropriat: Altera concernit concordantiam doctrinæ Janſenianæ cum Calvinianâ. Tertia verſatur circa Authoritatem D. Auguſtini, quâ Novatores in præſidium ſuorum dogmatum non mediocriter prævalere nituntur.

1. Quoad primum de facto Janſenii obſervare te velim, in quinque notoriis propoſitionibus poſſe conſiderari vel terminos verbales, quibus continentur, vel ſenſum quem continent. Si ſolos attendas terminos & verba materialiter ſonantia, nullum ſupereſt dubium, concertatio nulla de Facto Janſenii, partim quòd ipſi Janſenii diſcipuli concedant primam ex illis quinque de Verbo ad Verbum reperiri in libro *Auguſtinus.* Partim, quòd omnes Theologi libenter fateantur, poſteriores quatuor propoſitiones non ibi extare iiſdem terminis & formalibus.

Huic

Digitized by Google

Hinc tantùm quæritur, utrum quinque propoſitiones, quas Janſenio tribuimus, re ipſâ in libro *Auguſtinus* inveniantur in ſenſu proprio, naturali, & obvio, quem termini illi ordinariâ ſuâ ſignificatione exprimunt? vel aliter: utrum opiniones hæreticæ in illis quinque propoſitionibus expreſſæ, ſint etiam apertè & dilucidè expreſſæ in libro *Auguſtinus* licèt terminis differentibus? dico notanter, licèt terminis differentibus; nemo enim ignorat, eandem mentis cogitationem diverſis terminis exponi poſſe; item diverſitatem verborum, quâ utimur, non immutare ſenſum, ſi verba diverſa ſignificent rem eandem in ſuo ſenſu proprio & ordinario; adeoque parum intereſt, licèt ſæpè-fatæ propoſitiones non extent in Janſenii *Auguſtino* de termino ad terminum, dummodo ibi ſint reperibiles aliis & aliis verbis ad eundem ſenſum collimantibus.

Rem in exemplo patentius inculcabo. Supponamus me fuiſſe delatum, quòd in Concione ad populum dixerim, Chriſtum non eſſe Deum: nunquid non riſu digna foret extravagantia ſeu potius inſolens impudentia, ſi pro mea tota Apologia tergiverſarer, non me pronuntiâſſe hanc ſententiam Arianam, eò quòd nequaquam his uſus ſim terminis: *Chriſtus non eſt Deus*, ſed quòd dixerim, *Chriſtus eſt pura creatura & ſimplex homo.* Nonne ſenſus conſonat licèt diſſonantibus terminis? talis citra omne dubium eſt extravagantia & impudentia pertinaciter reclamantium, quinque propoſitiones non reperiri in libro Janſenii, eò quòd non ibi extent illis ipſis verbis & terminis; cùm tamen ibi deprehendantur terminis æquivalentibus eundem ſenſum hæreticum exprimentibus, quem ſonant quinque damnatæ propoſitiones.

Hoc eſt, quòd convincentem hanc Parallelam compilaverim, non equidem, ut te obligarem credere Veritati, cui nemo ſine læſione conſcientiæ poſt tot reiteratas Eccleſiæ deciſiones reſtiterit, ſed ut non nihil innocenti quadam animi relaxatione te exhilararem, monſtrando, quouſque impudentia humana ruat, ſi quandoque mendaciis tuendis ſe mancipavit.

2. Quoad conformitatem doctrinæ Janſenianæ cum Calvi-

Digitized by Google

nianâ autumant Janſeniſtæ, ſe infamem hanc exprobrationem ſi non ingenuè ſaltem ingenioſè declinâſſe prætexendo, non omne, quod hæretici docent, eſſe hæreticum, & per conſequens Moliniſtas gratis perſequi Janſenium, quòd in quibuſdam punctis cum Calvino ſentiat: ſi enim, inquiunt, tantum ſit nefas, ſentire in nonnullis cum Heterodoxis, jam non ultra liceret affirmare unum Deum in Trinitate, nec Trinitatem in Unitate, nec Incarnationem Perſonæ divinæ, cùm totum id etiam Calvinus Hæreſiarcha dogmatizet.

Ut ſenſibilius occurram vano & inani huic effugio, utque ejus infirmitatem firmius demonſtrem, notandum eſt, Calvinum circa myſterium de prædeſtinatione & gratiâ quædam docuiſſe menti Eccleſiæ valde conformia, & econtra quædam perquam repugnantia, & ex his poſterioribus Janſenius nonnulla reprobat cum Eccleſiâ tanquam hæreticalia, econtra plura adoptat cum Calvino tanquam ſpirarent Orthodoxam Religionem.

Quòd omnes homines voluntate aliena peccaverint in Protoparente, quòd Baptiſmus ad ſalutem ſit neceſſarius, quòd inepti ſimus ad operandum bonum pro aſſequendâ gloriâ æternâ ſine interiore gratiâ, quòd hæc gratia concedatur gratuitò abſque merito proprio, quòd Providentia Dei particularis vigilet circa electos &c. Omnia hæc ſunt Veritates à Calvino traditæ.

Quòd etiam ſummè juſti ſemper & neceſſariò aliquid in ſuis actionibus motui concupiſcentiæ debeant, quo tranſgrediantur inceſſanter mandata Dei, adeò, ut nunquam poſſint non peccare, etiam non obſtante qualibet bona voluntate hominis, aut conceſsâ gratiâ Dei: quòd hæc gratia ſemel recepta non amplius deperdi valeat, & quòd conſequenter gratia fidei generet certitudinem ſalutis & perſeverantiæ; quòd Chriſtus mortem Crucis ſubiêrit pro ſolis Prædeſtinatis, adeò, ut non niſi electi & prædeſtinati adipiſcantur veras fidei & juſtificationis gratias ex meritis Dominicæ Paſſionis &c. Omnia hæc ſunt errores Calvini, quos Janſenius cum Eccleſia reſpuit.

Digitized by Google

Verùm quòd aliqua Dei præcepta ſint juſtis impoſſibilia, licèt omni conatu ea ſervare contendant, & quòd eis deſit gratia neceſſaria, quâ impleantur illa mandata; item quòd gratiæ internæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtatur; quòd libertas à coactione ſufficiat ad merendum vel demerendum; quòd Chriſtus non pro omnibus hominibus ſit mortuus &c. Hæc & alia ſunt iterum falſæ opiniones Calvini, quas Janſenius ambobus brachiis amplectitur tanquam Veritates Catholicas, licèt damnentur in Calvino ab Eccleſiâ tanquam hæreticæ æquè ac priores, cùm æqualiter adverſentur ſenſui Romanæ Eccleſiæ, quæque non minus ac præcedentes diſtinguunt Calviniſtas à Romano-Catholicis. Exinde liquidè fluit, obſtinatos ſuprafatæ doctrinæ Defenſores non eſſe Catholicos, ſed Sectarios ac genuinos Calviniſmi Sectatores.

Dices. Adeone certum ſit, ſententias Janſenii jam fuiſſe rejectas in condemnatione Calvini utpote contrapugnantes communi ſenſui Romanæ Eccleſiæ? num verum ſit & indubitatum Calviniſtas jugiter à Catholicis disjunctos fuiſſe illis ipſis Janſenii propoſitionibus? Ita ſanè & abſque contradictione: utque convincaris de Veritate rei, attende, quæſo, ad cenſuram primæ propoſitionis Janſenianæ, quâ cenſurâ & damnatione Eccleſia declarat, dictam propoſitionem jam olim Anathematis fulmine tactam eſſe, quam etiam ſub hac qualificatione iteratò damnat. Cùm verò ex communi eruditorum calculo prima illa propoſitio ſit quaſi Achilles, principale & præciſum ſyſtema Janſenii, à quo velut à primo ſuo mobili reliquæ propoſitiones tanquam ſydera inferiora moventur & circulantur; inde neceſſariâ ſequelâ deducitur, etiam quatuor poſteriores jam olim Anathemati ſubjectas & rejectas eſſe.

Hoc totum evidentius clareſcet, ſi ad ſingulas propoſitiones audiamus Concilium Tridentinum. Nonne Sacro-Sancta hæc Synodus condemnat primam propoſitionem Janſenii, dum prohibet, Ne unquam dicamus, mandata Dei eſſe juſtis impoſſibilia? (*a*) nonne condemnat ſecundam & quartam, dum vibrat Anathema

(*a*) Seſſ. 6. cap. 11.

Digitized by Google

contra illum, qui dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum non poſſe diſſentire ſi velit? (*a*) nonne condemnat tertiam, quando decidit, hominem per peccatum Adami liberum arbitrium non perdidiſſe? (*b*) & quòd ſimus liberi ut convertamur ad Deum vel non convertamur? (*c*) nonne tandem condemnat quintam, dum docet, quòd licèt Chriſtus ſit mortuus pro omnibus hominibus, non tamen omnes fructum Redemptionis accipiant (*d*)

Ita continuò cenſuerant Lutherani & Calviniſtæ, ita Doctores Catholici, qui contra hos & illos in materiis memoratis ex adverſo ſtabant; nullus ex ſectariis utriuſque phalangis Calvinianæ & Lutheranæ contradixerit, dogmata illa ſupra poſita & damnata ſemper fuiſſe diſtinctiva Proteſtantium à Papiſtis, ac diametraliter oppoſita menti Romanæ Eccleſiæ, Conciliique Tridentini deciſionibus: prout quoque nullus eſt ex Doctoribus Catholicis, qui dictas opiniones non cenſuraverit ut hæreſin Calvini & Lutheri foventes, & tanquam errores funditus evertentes principia & fundamenta Orthodoxæ Religionis. Hoc ipſum tibi in præſenti epiſtolâ ad oculum demonſtrare ſtatueram, afferendo ipſa formalia utriuſque partis ſuper quemlibet ex præcipuis Janſenii erroribus; cùm ecce manibus meis involat liber impreſſus de Mandato Illmi Epiſcopi Viennenſis, cujus titulus eſt, *Traditio Eccleſia Catholica & falſa Eccleſia hæreticorum ultimi ſæculi.* Author hujus operis egregiâ methodo id ipſum præſtat, quod hac occaſione exequi animo volvebam: ſuſtine patienter, quòd ad illum librum te remittam; ibi enim clarè deprehendes, quòd non ſolùm propoſitiones Janſenii ſint ipſiſſimæ, quas Eccleſia in Janſenio proſcripſerat, ſed etiam, quòd Janſenius nullo loco Sacræ Scripturæ aut SS. Patrum, nulla ratione aut ſubtilitate in patrocinium ſuorum dogmatum utatur,

(*a*) Ibid. Can. 4.
(*b*) Ibid. Can. 5.
(*c*) Ibid. cap. 5.
(*d*) Ibid. cap. 3.

Digitized by Google

quæ non omnia ex Calvino ejuſque diſcipulis commodatò deprompſerit, & quæ Doctores Catholici contra Calviniſtas in arenam deſcendentes non plenitus jam dudum diluerint, & enervaverint.

3. Quoad Authoritatem S. Auguſtini, quâ Janſeniſtæ tantopere contendunt errores ſuos canonizare, obſerves velim, & altâ mente recondes, quòd hæc authoritas qualicunque majeſtate ſpectabilis, attamen circa quæſtiones hujus temporis debeat reſpici à ſimplicibus inter fideles tanquam omninò indifferens & quaſi ad rem ſuperflua poſt tot ſolemnes Eccleſiæ deciſiones; nec enim promulgatis undequaque his deciſionibus ullus fidelium tenetur inquirere, aut diſcendo angariari, quid Auguſtinus doceat, vel non doceat circa materias in quæſtione: talis cognitio fidelibus nequaquam eſt neceſſaria ad determinandum ſuum judicium in credendo Veritates juſſu Eccleſiæ de fide tenendas.

Neminem latet, non S. Auguſtinum, utpote hominem fallibilitati ſubjectum, ſed Eccleſiam, quæ eſt Columna & Firmamentum Veritatis, eſſe regulam infallibilem noſtræ fidei. Cùm aliquando in magno judicii die rationem exiget Juſtus Judex, quid credideris? nunquid inquiret, utrum Auguſtinum audîeris de prædeſtinatione & gratiâ? nullo modo; duntaxat interrogabit, utrum firmiter & ſimpliciter Eccleſiam audîeris circa nodum prædeſtinationis: ex ſolâ ſubmiſſione deciſionibus Matris tuæ præſtitâ, & non ex conformitate ſententiæ tuæ cum ſententia S. Patris Auguſtini juſtificaberis aut condemnaberis. Ex hac cæcâ obedientiâ ſegregabit te Deus à Mahometanis, Lutheranis & Calvinianis, teque ſtatuet inter oves ad dexteram ſuam, ad gregem verè credentium. Quid ergò ad nos D. Auguſtinus? quid juvat ſcientia de documento D. Auguſtini, ſi neſcias, ſi negligas, quod Eccleſia inſtruit? valde parum, ne dicam nihil intereſt, quid quid ſit de S. Auguſtino ſaltem ſimplicibus & illiteratis, cùm minimè teneantur introire in diſcuſſionem fidei & doctrinæ Auguſtinianæ.

Etenim ex duobus unum neceſſario conceſſeris. Vel S. Au-

Digitized by Google

guſtinus docuit opiniones Calvini & Janſenii, quod eſt impium dicere & credere, vel non docuit? ſi primum, nonne in conſcientia obligor confiteri, S. Auguſtinum erràſſe tenendo dogmata ab Eccleſiâ condemnata? quod abſit. Si verò ſecundum, vel ſi nihil ſine Eccleſia, præter aut contra Eccleſiam docuit, tunc ſaltem ejus authoritas ad fidem ſuperfluit, nec firmius exinde adhærebis deciſionibus Eccleſiæ. Quòd ſi enim fides tua talis ſit, qualis eſſe debet, nimirum viva, ſimplex, humilis & ſubmiſſa, tunc Eccleſia firmabit te illâ certitudine, quæ fidem decet, & hoc independenter ab authoritate S. Auguſtini, quem audire non aliter adſtringeris, niſi in quantum Vnus eſt cum Authoritate Eccleſiæ.

Incaſſùm prætendit Janſeniſta, hoc ipſum eſſe, quod me alliget menti S. Doctoris, cùm Eccleſia ejus eloquia & oracula ſanctificaverit & adoptaverit approbationibus primæ ſolemnitatis: hoc totum necquidquam me conturbat aut commovet; licèt enim iſthæc ſolemnitas & approbatio ingentem mihi dictet reſpectum & Venerationem Authoritati S. Auguſtini debitam, nihilominus inconcuſſum manet, non authoritatem hujus S. Doctoris, ſed Eccleſiam eſſe Cynoſuram Naviculæ Petri, ad hanc non ad illam Authoritatem regulari & determinari debere credulitatem fidelium.

Semper dico, nec dicendo periclitor, cùm ſit irrefragabile, Eccleſiam nullibi præcipere notitiam, utrum ipſa approbaverit opera D. Auguſtini, nec quomodo aut in quo ſenſu ea approbaverit; multò minus me jubet ſcire aut ſtudere, quænam ſint placita S. Auguſtini in quæſtione de hodiernis controverſiis: benè verò & quidem ſub minitatione æternæ damnationis mihi præcipit corde credere & ore confiteri Veritates fidei, quas in condemnatione Janſenii circa prædeſtinationem & gratiam firmiter amplectendas propoſuit. Hîc me teneo, hîc firmus & immobilis Petræ adhæreo; hîc non commovebor, donec deſpiciam inimicos tuos Domine.

Sive dixeris, S. Auguſtinus cum Janſenio ſentiebat, ſive

Digitized by Google

non ſentiebat cum Janſenio Auguſtinus ; Eccleſia approbavit omnes opiniones S. Auguſtini de gratiâ , ſive non approbavit ; ſive prætendas, neminem abſque notâ hæreſis poſſe abiicere Authoritatem S. Auguſtini , ſive velis poſſe ſine crimine nulla fieri attentio ad Auguſtinum ; quid quid ſit, hoc nihil ad me : non de S. Auguſtino judicabit me Dominus in die illâ tremendâ ; non me concernit hoc negotium. Ad Papas, Epiſcopos, Theologos pertinet , quid ſenſerit , quid non ſenſerit Auguſtinus ; unicum mihi incumbit , ex quo pendet ſalutis meæ pondus æternum , ut erroneum credam , quidquid erroneum Eccleſia dixerit , & econtra pro vero amplectar , quid quid Eccleſia verum declaraverit : ad hanc veritatis columnam alligatus non timebo mala , quoniam tu mecum es inviolabilis Veritas ; ab hac nulla authoritas , nulla ratio , nulla ſubtilitas me unquam divellere poterit : ita loquitur ſincerus & verus Catholicus ; ſic evadit abſque implicatione Novatorum laqueos, quos abſconderunt.

Cùm verò non omnes Catholici ita ſimpliciter & ſubmiſsè fideles ſint ; cùm plurimi numerentur ex Zeloſiſſimis inter ipſos, qui impatienter ferant ſibi objici authoritatem S. Auguſtini, quaſi Eccleſiæ contrariantem in ſubjecto Tractationis de Prædeſtinatione & gratia , idcirco opere pretium erit , ut ex me noveris, quid circa Auguſtinum ſentias vel diſſentias. Igitur pro certo teneas , genuinum Catholicum poſſe firmiter credere , falſiſſimum eſſe, quòd S. Auguſtinus illam profeſſus ſit doctrinam , quæ tot Eccleſiæ ſententiis & cenſuris eſt propulſata , falſiſſimum eſſe , quod ullibi damnata dogmata docuerit niſi in Synagoga temeraria Calvini & Janſenii.

Si enim verum ſit , prout nemo dubitat , Eccleſiam approbâſſe opera S. Auguſtini , tunc unum ex tribus neceſſariò ſequitur. Vel quòd Eccleſia ab illo tempore approbationis mutaverit ſuam mentem & ſententiam damnando Calvinum & Janſenium, quos antea in Auguſtino approbavit : vel quòd approbando opera S. Auguſtini nunquam voluerit ratificare cunctas ejus opiniones de-

Digitized by Google

prædeſtinatione & gratia, vel tandem, quòd S. Doctor nunquam manutenuerit doctrinam in Calvino & Janſenio condemnatam.

Quoad primum, ſi aſſeras Eccleſiam tractu temporis à ſe ipſâ deviâſſe, ſententiam variâſſe damnando Janſenium & Calvinum, nonne ſic eam deprehendis in contradictione manifeſta? nonne ſic eam negas infallibilem? à Sponſo derelictam, repudiatam, ſine unctione & afflatu Spiritûs Sancti, qui neſcit mutari aut variari? nonne ſic mentiris in caput tuum, teque formaliſſimæ hæreſis reum conſtituis.

Quoad ſecundum, ſi aſſeras Eccleſiam non omnes S. Auguſtini opiniones approbâſſe circa prædeſtinationem & gratiam, hoc audito ipſi Janſeniſtæ te paulò minus à ſtulto & impudente diminuent & increpabunt; nunquam admittent Eccleſiam quaſdam Auguſtini ſententias circa quæſtionem de gratia repuliſſe; & benè dicunt, in hoc aſſentior ob plures rationes non mediocres.

1. Quia hoc dicendo cruentam inferres injuriam Memoriæ Magni Auguſtini, quaſi perſeveraverit uſque ad ultimum ſuſpirium in opinionibus, quas Papæ, Concilia, verique fideles ſemper damnârunt ut execrabiles hæreſes & blaſphemias deteſtabiles. 2. quia indiſcreta iſthæc aſſertio privaret Eccleſiam inæſtimabili emolumento emergente ex teſtimoniis Auguſtini validiſſimis contra modernos hæreticos, quæ perderent omne robur & pondus ſuum, cùm doctrina ejus jam non foret Orthodoxa, ſed ſuſpecta maximè in materiis, de quibus eſt quæſtio 3. quia ſic opinari nimis favorabile foret Novatoribus commodè ex hac conceſſione non neceſſariâ triumphaturis, quaſi ipſimet Moliniſtæ fateantur, ſanctum Eccleſiæ Patrem & Doctorem uſque ad finem vitæ docuiſſe & credidiſſe, quod Janſenius. 4. Quia, ſi quis dixerit S. Auguſtinum circa prædeſtinationem & gratiam incidiſſe in errores, eo ipſo mendacem faceret Eccleſiam, Papas, & Concilia, cùm ſemper reſpexerint S. Auguſtinum tanquam Lucernam ſplendidiſſimam ſuper candelabrum poſitam, præſertim in noſtro propoſito, adeo, ut non dubitaverint propriis ejus termin-

Digitized by Google

terminis uti in deciſionibus fidei, ut etiam Hormiſda Pontifex fideles ad ejus opera remiſerit, exploratum, quid Romana Eccleſia de gratia & libero arbitrio credere conſueverit. Denique ut Patres & Paſtores Eccleſiæ ſemper ſibi honori gloriæ & merito duxerint, non aliam diſcendi vel docendi doctrinam de gratia, niſi illi, quam didicit & docuit Auguſtinus.

Itaque reaſſumo meum argumentum & ſic infero; ſi una ex parte ſit de fide tenendum, Eccleſiam non aberrâſſe à priore ſententia, quâ approbavit Auguſtinum, licèt poſtea reprobaverit Janſenium & Calvinum, ſi ex altera parte certum ſit & ex rationibus evidens, quòd Eccleſia nullas Auguſtini Propoſitiones circa prædeſtinationem & gratiam rejecerit, ſed univerſim & eminenter omnes approbaverit, ergo neceſſariò ſequitur illud tertium, quòd nunquam doctrinæ Janſenii adhæſerit, ſed ſemper conformiter cum Eccleſia de gratia & prædeſtinatione ſcripſerit & prædicaverit.

Sufficiat, ſi non ſuperfluit hoc ratiocinium, ut plenam meridiem hujus negotii palpes. Ne tamen aliquid deſit roborandæ tuæ credulitati, néve imposterum quidquam tranquillitatem conſcientiæ tuæ interturbet, en Parallelam, ſeu Collationem, in qua ſpeciali ſolicitudine te convincere volui de extrema diſtantia inter doctrinam S. Auguſtini, ac doctrinam Calvini & Janſenii, colligendo notabilem cumulum ſententiarum hujus S. Patris, ut veritas tuæ fidei abundet Authoritate extrinſeca non minus, ac intrinſeca ſoliditate.

Sæculum, quo vivimus, videtur hunc laborem à me exegiſſe prece & imperio. Noveris etenim, quàm perículoſâ aſtutiâ Novatores hujus ævi arripiant clypeum doctrinæ Auguſtinianæ contra tela Authentica Eccleſiæ Romanæ, non ignorantes, quàm pretioſus ſit Auguſtinus in oculis Eccleſiæ, & quàm opportunè uſurpato hoc clypeo eludant, vel detorqueant contra ſe fulminata Anathemata. Hæc nôſti, quia vidiſti, quia legiſti, quia auribus percepiſti, nihil adeò domeſticum eſſe in ore & gutture Janſenia-

Digitized by Google

norum ac illuſtre nomen S. Auguſtini. Si ſtet fides penes ipſos, Auguſtinus Hypponenſis & Auguſtinus Iprenſis ſunt duæ perſonæ in in una ſubſtantia & eſſentia fidei ac doctrinæ. Quin imò, ſi illis credas, Hypponenſis & Iprenſis Auguſtinus ſunt propemodum una & eadem perſona, adeò, ut ſi Janſenium vulneres, S. Auguſtinum vulneraveris, perſecutiones, cenſuræ, Anathemata ſunt utrique communia.

Fictitia hæc Identitas doctrinæ cum doctrina D. Auguſtini omni ævo hæreticis arriſit „ Semper hoc artificio utebantur ſectari, „ inquit inſignis ille Author, quem epiſtolà præcedente allega„ veram (*a*) ſemper conabantur hæreſes ſuas diſſeminare ſub alie„ na authoritate & Nomine Peregrino „ In hunc finem Novatotores hodiedum ſeligunt veteres quoſdam, quorum ſcripta nonnihil ſunt difficilia intellectu, & quorum obſcuritas ad apparentiam favet eorum opinionibus, ne videantur primi & ſoli eſſe, qui talia dogmatizare præſumpſerint.

Nullus tamen ex veteribus magis opportunus videbatur pernicioſo huic intento ac S. Auguſtinus; non idcirco (dicit Claudius de Santonis Epiſcopus Ebroicenſis) quaſi aliquid in S. Patre contineatur, quod hæreticis faveat, ſed quia ejus ſcripta ſunt tam fuſa, copioſa & diverſa, prout varietas & differentia temporis aut occaſionis ea dictaverat, ut hæreticis poſt ipſum ſurgentibus haud difficilè acciderit, quibuſdam ejus textibus talem inferre torturam, ut non quod Auguſtinus, ſed quod ipſi intenderant, faſſi ſint textus illi torti & retorti in equuleo falſitatis. Vix oculos cum extrema ſua die clauſerat S. Doctor, jam apparebant Prædeſtinatiani effronter ejus authoritatem allegantes ac docentes, nihil prodeſſe bona opera reprobis, ſicut nihil obeſſe crimina prædeſtinatis, quin hi ſalventur, & illi damnentur.

Poſt aliquot ſæcula Epiſcopi in Galliis, & Belgio Lernæam hanc hæreſin repreſſerant, quæ noviter caput ſuum erigere cæperat inſtigante Monacho Godeſcalquo mordicus defendente, Deum nul-

(*a*) Artificio 16.

los velle ſalvos, niſi quos actu ſalvet, vel quos aliquando in effectu ſalvandos prænoſcat. Fauſtus Reianus, Spiridion & Berengarius, verbo omnes hæretici nonne conſtanter nomine Auguſtini intumeſcebant ? ſed quid moror cum antiquis ? nonne his diebus vidimus Wicleffum, Lutherum & Calvinum ad invidiam veterum imò plus quàm veteres hæreticos æmulatos eſſe, ut S. Auguſtini diſcipuli non fierent, ſed crederentur.

Plus Auguſtini quàm proprio nomine lætabatur Wicleffus, quem hæreſiarcham ejus diſcipuli ſuavi adulatione Joannem de S. Auguſtino vocitabant. Non ignorabat hic Archi-Sectarius grandævam & pervetuſtam authoritatem S. Auguſtini velamen fore opportunum tegendis ſuis Novitatibus, ut ſic nova recederent, & vetera eſſent omnia ; „ fateor, inquiebat, meam opinionem „ eſſe multùm diſcrepantem à modernis opinionibus ; eſt tamen „ totaliter conformis doctrinæ antiquorum, præcipuè S. Augu- „ ſtini.

Non minore fiduciâ Lutherus loquitur. „ Fateor, inquit, „ Chariſſime Eraſme, non ſine cauſa tangeris Authoritatibus il- „ lis, quas affers. Crede mihi, neque cor mihi eſt lapideum, „ aut ære fuſum ; & ſi tale foret moveretur tamen, & contre- „ miſceret, ſi attentarem illis authoritatibus, quas adducis, „ contrariam tradere opinionem ; etenim ſuſpicio has authoritates „ quaſi procellas ſurgentes in me, & caput meum ſubmergen- „ tes. Verumtamen, ait ulterius, de quo nullam facis men- „ tionem, S. Auguſtinus eſt totus meus.

Quid de Calvino recenſeam ? hic omnium effrontiſſimus hæreſiarcha totus Auguſtinus eſt, ut impius ſit, ac libero arbitrio careat ; proteſtatur rotundè, ſine cauſa ſibi objici authoritatem antiquæ Eccleſiæ. Quòd hæc objectio ſit flaccida, nullius roboris, aut momenti, pro qua ſubvertenda Auguſtino nihil opportunius, nihil explicatius. Addit, „ ſanctus Auguſtinus eſt eò „ uſque meus, ut ſi oporteret ſcribere confeſſionem meæ fidei, „ talem formarem, quæ puris conſtaret Auguſtini formalibus.

Digitized by Google

„ Sanctus hic Doctor eſt etiam meæ ſententiæ ; & ſi Pighius in-
„ dignatione crepuiſſet medius , nunquam impediet , ne Augu-
„ ſtinus ſtet formaliter pro mea cauſâ. „ has & ſimiles cantilenas undique Calvinus iterando repetit , ut vix primo vultu ejus paginas revolvas , quin pene omnes ampliſſimo Auguſtini nomine turgeant.

Ne mireris deinceps, ſi hæretici veræ fidei defenſoribus exprobrent , quòd Auguſtinum ejuſque doctrinam contemptui habeant , quòd illum & illam nec capiant , nec penetrent. Si quandoque cum D. Bonaventura dixeris , S. Auguſtinum ſubinde ſacrâ excandeſcentia , & piâ indignatione in impietatem Pelagii raptum plus ore protuliſſe , quàm corde voluerit , tunc confeſtim capita levant hæretici , criſtas erigunt , ſupercilio contracto te inimicum appellant S. Auguſtini , Pelagianum , deteriorem Pelagio, ignorantem , peregrinum in Auguſtino , qui ejus opera nequidem à limine ſalutaveris , nunquam videris , taceam legeris , vel intellexeris. Albertus Pighius, cùm opinioni ſtatim allatæ Divi Bonaventuræ non abſimile quid dixiſſet in præfatione ſui libri , ubi invincibiliter probat , ſanctum Auguſtinum ſemper credidiſſe , liberum arbitrium nunquam neceſſitari per gratiam ; tunc enimvero Calvinus totus in fermento eſſe , diras jactare in Pighium , furibundus irruere in hanc præfationem , quam enormiter criminoſam pejeràſſes , ſi Calvinum loquentem & minitantem auſcultes in ira ſua , & phrænetica extaſi : vocat Pighium ſine fronte , ſine fide virum , Morionem , Simiam S. Auguſtini , canem. Melancton non majore modeſtia loquitur , nec bili mitiore ebullit contra Sorbonæ Doctores , eò quòd attentaverint condemnare errores Lutheri Proto-Magiſtri ſui. „ O Theologos ! exclamat ironiâ cole-
„ ricâ. O Theologos ! O Sorbonam ! quæſo , gratioſè condeſcen-
„ dite , non legendo , non percurrendo , ſed modò aſpiciendo
„ opera D. Auguſtini : nulla in Auguſtino eſt pagina , quæ non
„ jugulet Sorbonam , & condemnet errores veſtros. Revera nil
„ tantopere ſtupendum & admirandum , quàm totam Sorbonam

„ nequidem unicum numerare, qui Auguſtinum noverit circa ob-
„ jectum de gratia neceſſitante.

Ex his vocem Eſau non Jacob intellexeris, vocem, inquam, hæreticorum moderni ſæculi, qui venuſto nomine S. Auguſtini gratis condecorati ſe ſolos depoſitarios doctrinæ Auguſtinianæ proclamant. Sinceri & fideles Jacob non ſunt hujus labii, proteſtantur Illuminati ſapientiâ Rebeccæ, matris ſuæ Eccleſiæ, quæ principaliter uſa eſt Authoritate D. Auguſtini damnando Calvinum & Janſenium, hi, inquam, in operibus Auguſtini aliud non reperiunt, niſi quòd Calvinum & Janſenium feriat; mors Calviniſmi & Janſeniſmi in doctrina S. Auguſtini. Oculatiores filii Matris Eccleſiæ plenitus ſunt convicti, ſanctum Auguſtinum hæreticis non patrocinari niſi tortus, corruptus, inverſus. Quod qui legit intelliget ex præſenti collatione, ſeu Parallelâ.

Procul dubio ſtupore raptus hærebis perluſtrando hanc Parallelam tam copioſis S. Doctoris teſtimoniis gravem, quibus doctrina noſtra clariùs illuſtratur, ac lumine ſolis ipſa meridies; totus attonitus admiraberis, S. Auguſtinum ex aſſe noſtrum eſſe, quem huc uſque tam luculenter pro adverſariis militare credideras; recenter enim memini, te quondam frequentiùs aſſeverâſſe, quòd ſi Janſeniſtæ deficiant rationibus, ſuperabundent Auguſtini Authoritatibus.

Interim vix fidem dabis: credeſne in hac Parallela non niſi modicam partem textuum afferri ex Auguſtino contra Janſenium? non imputes indigentiæ, ſi jejunus & parcus ſim: duplò plures textus & loca collegeram. Ne tamen juſto nimium fatigaretur tua patientia, brevis eſſe volui: Non ſuccincta Epiſtola, ſed volumen ingens vix caperet omnes Auguſtini ſententias, quibus doctrina Catholica contra Janſenium & Calvinum propugnatur. Vix librum hujus S. Doctoris, imò vix paginam inſpicies, quam non aculeatam & armatam offendas in unum ex modernis Janſenii erroribus.

Digitized by Google

Primâ vice, quâ te conveniendi mihi honor contigerit, deliciosſum hujus rei experimentum captabimus. In hunc finem ſeliges volumen quoddam S. Auguſtini, quod magis arriſerit; tunc inſimul attentè perluſtrabimus primum folium, quod fortuita apertione libri ſe præſentaverit, & ſic pergemus de uno ad alterum volumen & folium, ut fatearis quàm non fuerim exaggerans in promiſſis. Interim dum explorationi huic nos accingimus, haud ægre dictis meis fidem præſtabis intuitu præſentis Parallelæ, in qua imprimis ſolicitus eram nonnullos adducere textus ex ſingulis S. Auguſtini opuſculis.

Igitur caſu quo obviaret tibi prætenſus S. Auguſtini diſcipulus, qui ſub tam ſpecioſo ac glorioſo nomine inſignis Eccleſiæ Doctoris Auguſtini ſimplicium corda ſolicitaret, aut populo ſuadere contenderet, Janſenium ab Eccleſia damnari non potuiſſe ſine Auguſtino, ſub prætextu, quòd hic & ille propter ſimilitudinem doctrinæ ſint in eadem damnatione, ex tunc producito tuam Parallelam, hâc enim quaſi clypeo munitus & galeâ hoſtium cuneos penetrabis ſecurus, hâc armatus intrepidè reſpondebis Janſeniano, quod Auguſtinus Felici Manichæo, cujus hæreſes ex pulvere ſuſcitantur (a) *tu quidem homo es, & ſicut res ipſa modò indicatura eſt, mendax.* rectè mentiris in caput tuum; nam ecce plus repugnat Auguſtinus Janſenio quàm lumen tenebris; hoc momento Auguſtinus oppilabit os tuum centum textibus damnatæ tuæ doctrinæ oppoſitis.

Hoc audito Janſeniſta Archiſtrategam aget, ubi fortior eſt impetus, non reſiſtet, ſine reſponſo ad clariſſimos textus aliò declinabit, eaſque proferet Auguſtini ſententias, quæ in rigore litterali ad apparentiam favebunt cauſæ Janſenii. Tu veró ne cede malis, ſed contra audentior ito, ac reſponde priore mentis vigore *tu quidem homo es, & ſicut res ipſa modo indicatura eſt, mendax.* Iteratò mentitus es in caput tuum: Nunquid enim Doctor Veritatis, ut tuus ſit, ſuus non erit? tui & Janſenii gratiâ palinodiam canet? toties repetitis, ac clariſſimè eviſceratis animi ſententiis contradi-

(a) Lib. 1. de act. cont. Fel. Manich. c. 7.

cet ? tam numeroſè & abundanter clarus eſt Auguſtinus, tam patenter & potenter exagitat modernos Janſenii errores in pleriſque locis ſuorum operum, ut nihil penitus ex eo citaveris pro Janſenio, quin Augúſtinum diffames ut bilinguem, mendacem, ſibi contradicentem, quin Auguſtinum Auguſtino exuas, ac genuinum ejus ſenſum ſuo ſenſu prives inſenſatâ Metamorphoſi.

Hoc ipſum eſt, quod explicandum reſtaret, ut completiùs te convincerem de excæcatâ vel malâ fide Novatorum: hoc ipſum in principio commercii noſtri epiſtolaris præſtare decreveram; ſed magis eſſentialia aliorſum me rapiunt, ac his enucleandis ſpatium nimis anguſtum ſuppeditant vale &c.

JANSENIANÆ DOCTRINÆ CUM AUGUSTINIANA, ET CALVINIANA COLLATIO, SIVE PARALLELA.

Digitized by Google

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas ha-

SANCTUS. AUGUSTINUS.

I.

„ EXecramur blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile „ aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non „ non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari. *Serm.* „ 191. *de temp.*

„ Acutè ſibi videntur dicere (Pelagiani) quaſi noſtrum hoc „ ullus ignoret; quòd ſi nolumus, non peccamus, nec præciperet „ Deus homini, quòd eſſet humanæ impoſſibile voluntati. *lib.* 2. *de* „ *pecc. mer. & rem. cap.* 2.

II.

„ Homo gratiâ juvatur; ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur. *lib. de grat. & lib. arb. c.* 4.

„ Hominibus naturâ filiis iræ propterea dantur præcepta vi- „ vendi; quia datur & gratia, ut qui jubet, juvet. *lib.* 4. *oper. perf. c.* 128.

III.

„ Qui habuit tui curam antequam eſſes, quomodo non ha- „ bebit curam, cùm jam hoc es, quod voluit, ut eſſes? Jam enim „ fidelis es, jam ambulas in viis juſtitiæ. Curam tui non habebit, „ qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper DAM-

Digitized by Google

DAMNATA.

bent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.

JANSENIUS.

I.

EX hac indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem ſpectantia inferuntur & clareſcunt: Primum quidem; eſſe quædam homini præcepta ſecundùm ſtatum, & vires, in quibus conſtituitur, impoſſibilia. *Tom. 3. l. 3. c. 13.*

II.

Secundum: non adeſſe ſemper gratiam, quâ poſſimus; hoc eſt, quâ illa eadem præcepta implere ſufficiamus. *Ibid.*

III.

Tertium. Hanc impotentiam reperiri non ſolùm in excæcatis, & obduratis, & infidelibus. (De quibus nunquam Au-

CALVINUS.

I.

HOminum facultates ad divinæ legis præcepta extendere, vulgare id quidem jam diu eſſe cæpit, & nullam ſpeciem (veritatis,) habet, ſed ex rudiſſima legis ignorantia prodiit, *Lib. 2. Inſt. c. 5. §. 6.*

II.

Phrenethicos nihil moror, qui gratiam pariter, & promiſcuè expoſitam eſſe garriunt. *Lib. 2. Inſt. §. 6.*

III.

Quod autem impoſſibilem legis obſervantiam diximus, id id eſt paucis verbis explicandum. Hujuſmodi argutiâ vexa-

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ juſtos & injuſtos? Te jam juſtum ex fide viventem negliget, de-„ ſeret, dimittet? imò verò & hic fovet, & hic adjuvat, & hic „ neceſſaria ſubminiſtrat, & noxia reſecat. Dando conſolatur, „ ut permaneas, auferendo corrigit, ne pereas, Dominus curam „ habet tui; ſecurus eſto. *In Pſal.* 39.

IV.

„ Non deſeret deſiderantes, qui redemit negligentes ſe. *In Pſal.* 98.

„ Ex converſione ad Deum, ut vinceret quiſque ſuppli-„ cium, quod origo ejus ex averſione meruerat; non ſolùm vo-„ lentem non prohiberi, ſed etiam adjuvari oportebat. *Lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 20.

V.

„ Hinc & illi non potuerunt credere; non quia mutari in „ melius homines non poſſunt, ſed quamdiu talia ſapiunt, non „ poſſunt credere .... Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos „ non compulit facere, cui peccatum non placet; ſed facturos eſſe „ prædixit, quem nihil latet. Et ideo ſi non malum, ſed bonum „ facere voluiſſent, non prohiberentur. *Tract.* 53. *in Joan.*

„ Creaturis præſtantiſſimis, hoc eſt rationalibus Spiritibus „ hoc præſtitit Deus; ut ſi nolint corrumpi, non poſſint: id eſt, „ ſi obedientiam conſervaverint ſub Domino Deò ſuo, ac ſi incor-„ ruptibili pulchritudini ejus adhæſerint; ſi autem obedientiam „ conſervare noluerint, quoniam volentes corrumpuntur in pecca-„ tis, nolentes corrumpuntur in pœnis. *Lib. de nat. boni, cap.* 7.

Digitized by Google

JANSENIUS.

guſtinus, vel Eccleſia, ſed ſolùm ſcholaſtici nonnulli ex humanis rationibus dubitàrunt) ſed etiam fidelibus, & juſtis, qui & fidem Chriſti, & charitatem juſtitiæ ſuſceperunt. *Ibid.*

IV.

Quartum. Hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt, ſed etiam quando volunt. *Ibid.*

V.

Quapropter quia quis legem Judæis eo immediato ſcopo datam eſſe putat, ut præceptorum ejus luce eruditi faciliùs caverent peccata, quæ antea legis naturæ tranſgreſſione perpetrabant, non mediocriter hallucinari videtur. Tantúm enim abeſt, ut inſtitutionis illius, allatæque ſcientiæ de rebus agendis, cavendiſque beneficio majorem afferret juſtitiæ facilitatem, ut potius eam difficiliorem

CALVINUS.

bunt Auguſtinum Pelagiani, injuriam fieri Deo, ſi plus jubeat, quàm per ejus gratiam præſtare queant fideles. *Cap. 7. §. 5. ejuſd. lib.*

IV.

Deinde vires noſtras reputando adimplendæ legis non impares modò eſſe, ſed prorſus nullas videbimus. *Lib. 2. inſt. c. 8. §. 3.*

V.

Legem propter tranſgreſſiones poſitam, docet Apoſtolus, Nempe, ut homines damnationis convictos humiliaret. *Lib. 2. Inſt. Cap. 7. §. 2.*

Officium, uſúſque legis tribus iſtis partibus continetur. Prima eſt, ut dum juſtitiam Dei oſtendit, id eſt, quæ ſoli Deo eſt accepta, ſuæ unumquemque injuſtitiæ admoneat, certiorem faciat, convincat, ac denique condemnet. *Ibid. §. 6.*

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„Deus dedit hominibus poteſtatem faciendi, quod bonum „eſt, & non faciendi, quod malum eſt. *In Pſal. 61.*

VI.

„Scio pænitentiam, ac proinde humilitatem, neque illius „eſſe poſſe, qui malè facere, neque illius, qui benè facere non „poteſt. Pænitendi enim affectio illa eſt, quæ prodit malè feciſſe „pænitentem, & bene facere potuiſſe teſtatur. *Lib. de duabus anim. c. 14.*

„Divina providentia non ſolùm ſingulis hominibus quaſi pri„vatim, ſed univerſo generi humano tanquam publicè conſuluit. „Quid cum ſingulis agatur, Deus ſcit, qui agit, atque ipſi, „cum quibus agitur, ſciunt. Quid autem agatur cum genere hu„mano, per hiſtoriam commendari voluit. *Lib. de ver. relig. c. 15.*

VII.

„Vocat te Deus, & jubet, ut facias; ſed ipſe dat vires, „ut quod jubet implere poſſis. *Serm. 20. de diver. Cap. 9.*

„Audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem, „& jubentem, quid facere debeamus, & adjuvantem, ut implere „poſſimus. *Tract. 53. in Joan.*

„Qui rectè autem intelligit, utrumque implet, & ſerviet „univerſiſſimo Domino, qui ſervum pigrum non damnaret, ſi „ea, quæ fieri nullo modo poterant, imperaret. *Serm. 2. de verb. Dom. C. 1.*

Digitized by Google

JANSENIUS. CALVINUS.

fecerit, & quaſi muro quodam interpoſito impoſſibilem: Paradoxum hoc videbitur. *Tom. 3. lib. 1. c. 8.*

VI.

Conſilium Dei in danda lege Judæis fuit, non ut per gratiam ſufficientem, quæ adeſſet ipſis, eam obſervando rectè viverent, quod eos nondum poſſe præſciebat, ſed ut multitudine peccatorum, & magnitudine prævaricationum, quæ per legem, quam implere non poterant, ſecutura ſciebantur, eorum ſuperbia frangeretur. *Tom. 3. l. 1. cap. 11.*

VI.

Quem ad ſequendam juſtitiam deſtituit facultas, hic in luto peccatorum hæreat defixus neceſſe eſt.... Ideo quò majoris tranſgreſſionis deprehenſos, convictóſque lex tenet, eò gravioris ſimul judicii reos agit. Huc pertinet Apoſtoli dictum, legem ſubintrâſſe &c. *Ibid. §. 7.*

VII.

Nec verò aliquis putet effectus iſtos legis in ſolis Judæis habuiſſe locum; Chriſtianis verò, qui jam ſub gratia per Jeſu Chriſti paſſionem revelata vivunt, lege præcipientem efficacius aliquod adjutorium ad bene vivendum poſſe conferre.

Docet enim diverſis in locis

VII.

Reſtat igitur, ut lex iram Dei in peccatoris exitium armet; quia nihil per ſe poteſt, quàm accuſare, damnare, & perdere. *In antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6.*

Valde novitios eſſe oportet venerandos iſtos Patres, ſi ex præceptis exiſtimant, quid valeat homo, cùm ideo potius

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„Fecit autem te Deus, ô homo! ad imaginem ſuam. Darétne „tibi, unde videres ſolem, & non tibi daret, unde videres eum, „qui te fecit, cùm te ad imaginem ſuam fecerit? Dedit & hoc: „utrumque dedit tibi. *Serm.* 18. *de verb. Dom. c.* 6.

„Facite quod poteſtis: Dedit tibi Deus poteſtatem per Spi- „ritum ſuum, ut membra tu teneas: Surgit libido, tene tu mem- „bra. *Serm.* 43. *de verb. Dom. Cap.* 10.

„Ut eum amitteremus, non ejus abſentia, qui ubique ad- „eſt, ſed noſtra fecit averſio. *In Pſal.* 6.

VIII.

„Sed dicet aliquis: nulla ratione poſſum inimicos meos di- „ligere. In omnibus ſcripturis Deus tibi dicit, quia potes: Tu è „contrario reſpondes non poſſe. Conſidera nunc, utrùm tibi, an „Deo debeat credi: & ideo, quia veritas mentiri non poteſt, jam „vanas excuſationes ſuas relinquat humana fragilitas; quia nec im- „poſſibile aliquid potuit imperare, qui juſtus eſt, nec damnaturus „eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius eſt; „Quid tergiverſamur incaſſum? Nemo enim, quantùm poſſumus, „meliùs novit, quàm qui ipſum poſſe nobis donavit. *Serm.* 61. *de temp.*

„Si Sathanas loqueretur, & taceret Deus, haberes, unde „te excuſares: modò aures tuæ poſitæ ſunt inter monentem Deum, „& ſuggerentem ſerpentem, quare huc flectuntur, huc avertun- „tur? non ceſſat Sathanas ſuadere malum, ſed nec Deus ceſſat „admonere bonum.

„Non imperaret Deus, ut hoc faceremus, ſi impoſſibile eſſe „judicaret, ut hoc ab homine fieret. Si conſiderans infirmitatem „tuam deficis ſub præcepto, confortare in exemplo Chriſti, ſed „etiam exemplum multum eſt ad te: Adeſt ille, qui præbuit „exemplum, ut præbeat & auxilium. *In Pſalm.* 55.

Digitized by Google

JANSENIUS.

Auguſtinus, non minus in Chriſtianis, quamdiu multùm in ſua virtute confidunt, & de impetrandis bene vivendi viribus non multùm ſoliciti ſunt, legem ſubintrâſſe, ut abundaret peccatum, prævaricationem, atque iram operari, virtutemque peccati eſſe. *Tom. 3. l. 1. c. 15.*

CALVINUS.

requirat à nobis Deus, quod ſupra vires noſtras eſt, ut imbecillitatis noſtræ convicti ſuperbiam exuamus. *Ibid.*

JANSENIUS.

VIII.

Agnoſcant, atque fateantur, poſſe Deum idipſum homini poſt peccatum æterna ſua lege jubere, quod ante peccatum juſſerat, quamvis ei jam propriâ culpâ factum ſit impoſſibile; nec teneri ipſi conferre magnum illud Redemptionis adjutorium, quod hominem nolentem velle facit, & facere; quamvis propter contractam voluntatis ægritudinem nullum aliud jam ſufficiens ſit; nec peccatorem jam ſine culpa peccaturum, quamvis ſine magno illo adjutorio peccatum jam vitare, propriâ, & culpabili volendi infirmitate non poſſit. *Tom. 3. lib. 3. c. 17.*

CALVINUS.

VIII.

Si quis cum Deo diſceptare velit, & hoc prætextu judicium ſubterfugere, quia aliter non potui; habet paratam reſponſionem: Perditio tua ex te Iſrael &c. Unde enim iſta impotentia, niſi ex naturæ vitioſitate? Unde porro vitioſitas, niſi quòd homo defecit à ſuo Opifice? Hujus defectionis, cùm rei ſimus omnes; in hac neceſſitate, quâ conſtringimur, dico extare luculentam damnationis noſtræ cauſam; jam plurimùm igitur abeſſe, ut ad excuſationem valeat. *Lib. 4. de libero arbit. non procul ab init.*

SANCTUS. AUGUSTINUS.

IX.

„Si qui verò ſint, quibus hæc medicamenta non con-„gruunt ..... habent tertium genus medicinæ, à quo ſe excuſa-„re non poterunt, niſi qui morbos ſanare contempſerint: Hoc „ergo medicamentum, quod nulli ſanæ menti deeſſe poteſt, ſtu-„dioſè, & piè frequentemus, implentes illud Apoſtolicum præcep-„tum: ſine intermiſſione orate. *Serm.* 182. *de temp.*

„Eò ipſo, quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum, & bo-„num impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & „in facilibus, quid agamus, & in difficilioribus, quid petamus. *Lib. de nat. & grat. cap.* 3.

X.

„Talis unicuique homini tentatio datur, qualem aut cum „laude vincere, aut cum opprobrio ſuccumbere poſſit. *In Pſalm.* 149.

„Nulla tentatio eſt, niſi acceperit menſuram à Domino. „Sint ergo tentationes ..... non conſumêris: Vide, utrum ten-„tationes non proſint: attende Apoſtolum: Fidelis Deus qui non „patietur &c. Non ait, non vos ſinet tentari omnino: Si enim „recuſares tentationem, recuſares refectionem; Ergo reficeris; & ſi „reficeris, in manibus Artificis es: Tu de manu artificis noli cade-re. *In Pſal.* 94.

XI.

„Nondum quæro, quid vivas; ſed quæro, quid credas? re-„ſponſurus es; te credere inChriſtum. Non audiſti Apoſtolum: Juſ-„tus ex fide vivit? Fides tua, juſtitia tua: quia ſi credis, caves.

JAN-

JANSENIUS.

IX.

Ita dicimus, non ſolùm Judæis, ſed & Chriſtianis non ſolùm carnalibus, ſed & ſpiritualibus gratiam talem ſufficientem ad id faciendum, quod jubetur, frequenter ſubtrahi, atque ita ſubtrahi, ut nec pro tali gratia adipiſcenda deprecandi ſimilis ſufficiens gratia habeatur. *Tom. 3. lib. 3. c. 5.*

X.

Ex quo fit, ut illum Apoſtoli locum, quo dicit: fidelem eſſe Deum, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſitis ſuſtinere..... Nullo modo tam indiſcretè intelligat, ut hoc in omnibus omnino fidelibus obſervetur. *Tom. 3. lib. 3. cap. 13.*

XI.

Ecce quoties, quàm ſolicitè, quàm ſolidè, quàm inſtanter Sanctiſſimus Antiſtes, & eru-

CALVINUS.

IX.

Gratiam non omnibus indifferenter dari, docet Auguſtinus: ſed iis duntaxat, quibus Deus vult. Alios, quibus non datur, malos permanere, quia ſunt ex perdita Maſſa, ſuæque damnationi relinquantur. *Lib. 3. de lib. arb. ſub finem.*

X.

Hoc ſi recipitur, extra controverſiam erit, non ſuppetere ad bona opera liberum arbitrium hominis, niſi gratiâ adjuvetur, & gratiâ quidem ſpeciali, quâ electi ſoli per regenerationem donantur. *Lib. 2. Inſtit. cap. 2. §. 6.*

XI.

Quâ gratiâ non quoslibet promiſcuè dignatur Dominus; quemadmodum vulgo jactatur illud,

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ ſi autem caves, conaris, & conatum tuum novit Deus, & voluntatem tuam inſpicit, & luctam cum carne conſiderat, & hortatur „ ut pugnes, & adjuvat, ut vincas, & certantem inſpectat, & deficientem ſublevat, & vincentem coronat: Ergo exultate juſti „ in Domino. *In Pſalm. 32. concl.* 1.

XII.

„ Omnem curam Veſtram ſuper Dominum mittite: prorſus „ vos ipſos totos projicite in illum: Non ſe ſubducit, ut cadatis, „ ille, qui nos creavit, & de ipſis capillis noſtris ſecuritatem nobis „ dedit. *Serm.* 2. *de verb. Dom. cap.* 2.

„ Non dimiſit me in via remanere, quia non ceſſat alloqui „ me: Ergo fratres non ceſſat Deus alloqui nos. *In Pſalm.* 130.

XIII.

„ Non Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis. *Lib. de nat. & grat. cap.* 45.

„ Nulli enim homini ablatum eſt, ſcire utiliter quærere, „ quod inutiliter ignorat: & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem; ut quærenti, & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat, „ dum ſubvenit, nec laborat: *Lib.* 3. *de lib. arbit. c.* 19.

„ Non enim mediocria bona ſunt, non ſolùm quòd anima „ eſt, quâ naturâ jam omne corpus præcedit; ſed etiam, quòd „ facultatem habet, ut adjuvante creatore ſe ipſam excolat, & pio „ ſtudio poſſit acquirere omnes virtutes. Quod ſi agere noluerit, „ peccati utique jure tenebitur, tanquam quæ non benè uſa ſit ea „ facultate, quam accepit. *Ibid. cap.* 20.

Digitized by Google

JANSENIUS.

ditiſſimus Doctor Doctores docet, etiam eos, qui credunt Deo & jam juſtificati ſunt, etiam volentes, conantéſque multa Chriſtianæ diſciplinæ præcepta implere non poſſe. *Ibid.*

XII.

Itaque Dominus ſubinde ſubtrahit auxilium ſuum, ut eis propriæ infirmitatis agnitio profundiùs imprimatur, ſinens eos interea identidem cadere, & ſurgere. *Ibid.*

XIII.

Ex quo efficitur, ut & iſtam gratiam orandi, ſeu poſtulandi vires voluntatis, Deus, cui voluerit, & quantùm voluerit, largiatur. Non enim exigua quorundam hallucinatio eſt, quâ putant, ſemper adeſſe homini gratiam, ut petat, ac tam ardenter petat, ut infallibiliter impetret, quod petit .... Cùm ergo plurimi vel non petant gratiam illam, quâ poſſint, ac ſufficiant præcepta facere; vel

CALVINUS.

niſi fallor, Occamicum: eam nemini denegari, facienti quod in ſe eſt. *Lib. 2. inſtit. cap. 3. §. 10.*

XII.

Hæc eſt ſanè electorum prærogativa, ut per ſpiritum Dei regenerati, ipſiusmet Spiritûs Dei ductu, inſtinctúque agantur, & gubernentur. *Ibid.*

XIII.

Quare meritò Auguſtinus tam eos deridet, qui aliquas volendi partes ſibi arrogant, quàm reprehendit alios, qui putant promiſcuè dari omnibus, quod ſpeciale eſt, gratuitæ electionis teſtimonium. Communis, inquit, omnibus eſt natura, non gratia: Vitreum acumen appellans, quod mera vanitate ſplendet, ubi ad omnes generaliter extenditur, quod Deus, quibus vult, confert. Alibi autem:

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ Etiam in ipſa ignorantia, & difficultate liberam volunta-„tem petendi, quærendi, conandi non abſtulit, daturus petenti-„bus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperturus. *Ibid.*

„ Quòd ergo ignorat, quid ſibi agendum ſit; ex eo eſt, „ quod nondum accepit; ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc, quod „ accepit, benè uſa fuerit: accepit autem, ut piè, & diligenter „ quærat, ſi volet. *Ejuſd. lib. cap. 22.*

SECUNDA PROPOSITIO

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ

SANCTUS AUGUSTINUS.

I.

„ SI vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam „ vocatus ſequatur, quomodò verum erit? multi vocati, pauci „ verò electi. *Lib. I. ad Simp. q. 2.*

„ Infideles Eccleſiæ Dei adverſantes, antequam Chriſtianis „ Sacramentis abluerentur, etiam Spiritui ſancto, quantâ potuerunt, „ infeſtatione reſtiterunt.... Impii Chriſtiani, poſt Sacramentorum „ ſuſceptionem & veritatis ſcientiam lapſi, Spiritui ſancto reſtite-„ runt. *In expoſ. inchoat. Epiſt. ad Rom. ſub fin.*

„ Non erant ſurdi; ſed ſe fecerunt ſurdos, quia nempe aures „ patentes in corde non habebant. Violentia tamen verbi per aures

Digitized by Google

JANSENIUS.

non ita petant, ut ad impetrandum neceſſarium eſt, nec omnibus gratiam vel frequenter petendi, vel omnino petendi Deus largiatur; apertiſſimum eſt, fidelibus multis deeſſe illam ſufficientem gratiam, & conſequenter illam perpetuam, quam quidam prædicant, faciendi præcepti poteſtatem. *Ibid.*

CALVINUS.

quomodo veniſti? credendo. Time ne dum tibi arrogas, quòd inventa ſit à te via juſta, pereas de via juſta. Veni, inquis, libero arbitrio, voluntate propria veni *Ibid.*

DAMNATA.

lapſa nuquam reſiſtitur.

JANSENIUS.

I.

QUòd clariùs fortaſſis ita dici poſſet, quòd gratia ſanæ mentis in ejus libero arbitrio relinqueretur; ut eam, ſi vellet, deſereret, aut ſi vellet uteretur. Gratia verò lapſæ, ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio, ut eam deſerat, aut arripiat, ſi voluerit, ſed ipſa ſit potius illa

CALVINUS.

I.

SEquitur uno contextu apud Auguſtinum altera diſtinctio, quæ prorſus ad eandem rem explicandam facit. Aliud eſt, inquit, adjutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit.

Primò itaque datum eſt homini adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, aut perſeveraret, ſed

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ carnis irruens, etiam ipſis auribus cordis vim faciebat. Clauſe-„ runt & aures corporis, & iërunt ad lapides. *In Pſal.* 57.

„ Noluit ergo Eſau, & non cucurrit, ſed & ſi voluiſſet, „ Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle & currere vocando „ præſtaret, niſi vocatione contemptâ reprobus fieret. *Lib.* 1. *ad Simp. q.* 2.

II.

„ Si curari deſtiteris, & eſſe idoneus ad perfruendum hac lu-„ ce neglexeris; valetudine oculorum tuorum tenebras amabis; & „ amando tenebras in tenebris remanebis. *Tract.* 18. *in Joan.*

„ Per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. Prius „ hæreamus per fidem, ut ſit quod vivificetur per intellectum. Nam „ qui non hæret, reſiſtit; qui reſiſtit, non credit. Nam qui re-„ ſiſtit, quomodo vivificatur? Adverſarius eſt radio lucis, quo „ penetrandus eſt: non avertit aciem, ſed claudit mentem. *Tract.* 27. *in Joan.*

„ Omnipotenti medico nullus languor inſanabilis occurrit. „ Tantum tu curari te ſine: Manus ejus ne repellas; odit enim re-„ pellentem manus ſuas. Sanabit te: Opus eſt, ut ſanari velis. „ Sanat omninò ille quemlibet languidum; ſed non ſanat invitum. „ Quid autem te beatius, quam ut tamquam in manu tua vitam, „ ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam? *In Pſal.* 102.

III.

„ Ad illam cœnam nec omnes, qui vocati ſunt, venire vo-

Digitized by Google

JANSENIUS.

poſtrema gratia, quæ invictiſſimè facit, ut velit, & à voluntate non deſeratur. Hujus ergo differentiæ radicem detegens Auguſtinus ita loquitur.

Itémque ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt: Aliud eſt adjutorium, ſine quo: Aliud adjutorium quo. *Tom. 3. lib. 2. c. 2.*

II.

Nullum adjutorium gratiæ, cujus uſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, aut non utatur, ut illud amplectatur, aut deſerat, ut illi conſentiat, aut non conſentiat, ſi voluerit, Quantumvis ſine illo non velit, aut velle non poſſit; eſt adjutorium, quo ſit, ut velit, ſed tantùm ſine quo non: & proinde ad medicinale adjutorium Chriſti nullo modo pertinet; ſed ad adjutorium primi hominis, & ſanæ voluntatis eſt referendum. *Ibid. cap. 5.*

III.

Non Eccleſiaſticæ doctrinæ

CALVINUS.

ſine quo per liberum arbitrium voluntatis perſeverare non poſſet. *Lib. 5. de lib. arb. ſub ſin.*

II.

In eo falluntur, quòd nullum obſervant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubvenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, diſcrimen. Quod diligenter Auguſtinus exponit: Iſtam, inquit, gratiam non habuit primus homo, quâ nunquam vellet eſſe malus; tale quippe erat adjutorium, quod devereret, cùm vellet. *In antid. Conc. Trident. Ş. 6. Cap. 6.*

III.

Nego gratiam ſic nobis of-

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ luerunt; neque illi, qui venerunt, venire poſſent niſi vocati; „ itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt, nec illi, qui „ noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi; quo„ niam ut venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate. *Lib.* 83. *qq. q.* 68.

„ Deus in ſuâ miſericordiâ vocavit impios; & in veritate ju„ dicat eos, qui vocati venire noluerunt. *In Pſal.* 113. *conc.* 1.

„ Ut Deus velit dare, debes & tu ad accipiendum accomodare „ voluntatem. Quomodò vis accipere gratiam divinæ bonitatis, qui „ ſinum non aperis voluntatis? *Serm.* 7. *de verbis Apoſtoli cap.* 2.

IV.

„ Omnis, qui habet ſpem hanc, caſtificat ſe ipſum, ſicut & „ ipſe caſtus eſt. Videte, quemadmodum non abſtulit liberum arbi„ trium; ut diceret: caſtificat ſe ipſum. Quis nos caſtificat, niſi „ Deus? ſed Deus te nolentem non caſtificat. Ergo quòd adjungis „ voluntatem tuam Deo, caſtificas te ipſum, caſtificas te, non de te; „ ſed de illo, qui venit, ut habitet in te. Tamen quia agis ibi ali„ quid voluntate, ideò & tibi aliquid tributum eſt. *Tract.* 4. *in Epiſt. Joan. cap.* 3.

V.

„ Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. „ Non quia nullus eſt hominis, atque voluntatis curſus; ſed quia „ nihil poteſt, niſi ille miſereatur . . . . . Non ego, ſed gratia Dei „ mecum

JANSENIUS.

ſatisfeceris, ſi dicas Deum ad illa per gratiam internam, quantumcunque magnam, facienda concurrere, tanquam ſine qua non poſſint humani arbitrii fieri. Talis enim gratia nullo modo donat, ut fiant, ſed tantummodo vires præbet, quibus adjutum voluntatis arbitrium ea ſibi donet, ſi placuerit; ſin verò diſplicuerit, gratia ſine merito, ſine effectu inutilis maneat. *Ibid. Cap.* 14.

IV.

Auguſtinus quando de bonis actionibus, & voluntatibus lapſi hominis tractat juxta ſcripturas, nihil omnino boni quantumvis exiguum, quod cum Deo partiri velle poſſemus, à divinâ gratiâ donante ſubtrahi ſinit. *Tom.* 3. *lib.* 2. *Cap.* 23.

V.

Laudem boni operis, bonæque voluntatis partiri cum Deo, impium eſſe ex eo patet, quòd

CALVINUS.

ferri; ut noſtræ poſtea ſit optionis, vel obtemperare, vel refragari. Nego tantùm in hoc dari, ut imbecillitatem noſtram ſubſidio ſuo adjuvet. Neque enim efficere Deum in nobis teſtatur Paulus, ut poſſimus benè velle; ſed hoc quoque ipſum, ut velimus. *Lib.* 5. *Cont. Pigh. pag.* 183.

IV.

Sed in quo hominem Deo ſocium adjungunt? quia gratiam Dei, quam repudiare poſſet, liberè recipit? Quantùm ex virtute Dei detrahunt, quæ à propheta deſcribitur. *In antid. Conc. Trid. ſeſſ.* 6.

V.

Quòd ſi apertè impium eſt, inter Dei gratiam, & voluntatem hominis bonum opus par-

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ mecum: Non quia ipſe nihil agebat, ſed quia nihil ageret, ſi illa „ non adjuvaret. *Epiſt.* 106.

„ Oſtendit Deus, quia ipſe vincit, ſi ſe homo ſubjungit Deo. *In Pſalm.* 35.

VI.

„ Si Deus operatur in nobis, quare dictum eſt: Veſtram ſa- „ lutem operamini? quia ſic Deus in nobis operatur, ut nos opere- „ mur. Adjutor meus eſto: Deſignat eſſe cooperatorem, qui in- „ vocat adjutorem. *Serm. 94. de Temp.*

VII.

„ Nec ideo tamen hac de re ſolis votis agendum eſt, ut non „ ſubinferatur admittendo noſtræ efficacia voluntatis. Adjutor „ enim noſter dicitur Deus. Nec adjuvari poteſt, niſi qui etiam „ ſponte aliquid conatur. *Lib. de peccat. merit. cap. 5.*

VIII.

„ Non ad interitum, ſed ad medicinam punitiones valere „ credendum eſt, quam qui reſpuerint, extremo ſupplicio præparentur. *Lib. Conc. Epiſt. fundam. cap.* 1.

„ Temporalia aliquando tribuit, aliquando utiliter ſubtra- „ hit, ut eis non inhærere diſcamus, ne contempta luce interio- „ re, quæ ad novam pertinet vitam, in externis tenebris liben- „ ter habitemus. *Epiſt. 120. cap. 36.*

„ Sicut oculus corporis non adjuvatur à luce; ut ab eadem

Digitized by Google

JANSENIUS.	CALVINUS.
poſt lapſum hominis tota laus bonæ voluntatis, atque operis in ſolam gratiam refundenda ſit. *Ibid.*	tiri; non dubitemus noſtris voluntatibus nihil relinquere. *Lib. 3. inſt. cap. 24. §. 7.*
VI.	**VI.**
Quid eſt Deus operatur velle? .... Niſi Deus operatur ipſam noſtræ voluntatis determinationem. *Ibid.*	Si ſolum poſſe noſtrum juvaretur, ita diceret Dominus: qui audivit, venire poteſt. *Lib. 3. de lib. arbit.*
VII.	**VII.**
Non ergo ex homine homini eſt iſta ſuæ voluntatis determinatio; ſed ex Deo gratiâ ſuâ hominem determinante, quam alteri negat, ut ſe ipſum ſua voluntate determinet. *Ibid.*	Proinde efficaciter formari voluntatem conſtituto, ut Spiritûs ſancti ductum ſequatur neceſſariò, non autem incitari duntaxat, ſi velit. *Lib. 5. cont. Pigh. cap. 185.*
VIII.	**VIII.**
Quapropter gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit ſuprà voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat, hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere ...... Ex quibus non eſt difficile perſpicere, quàm procul ab Auguſtini doctrina,	Excudunt in nova officina, quod Auguſtino fuit ignotum, non eſſe ex Deo gratiæ receptionem, quia libero propriæ voluntatis motu Deo vocanti aſſentimus. At repugnat Scriptura, quæ Deum authorem facit bonæ voluntatis. Aliud eſt

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ luce clauſus, averſúſque diſcedat : ut autem videat, adjuvatur „ ab ea, neque omnino, niſi illa adjuverit, poteſt. Ita Deus, qui „ lux eſt hominis interioris, adjuvat noſtræ mentis obtutum ; ut „ non ſecundùm noſtram ſed ſecundùm ejus juſtitiam boni aliquid „ operemur. Si autem ab illo avertimur, noſtrum eſt, & tunc ſecun„ dùm carnem ſapimus. *Lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap.* 5.

IX.

„ Benignitas ante te, iniquitas ante te, compara, & elige. „ Sed fortè habes oculum, quo videas malignitatem, & non ha„ bes oculum, quo videas benignitatem? Væ iniquo cordi. Quod „ pejus eſt, avertit ſe, ne videat, quod videre poteſt. Quid „ enim de talibus dictum eſt? Noluit intelligere ut benè ageret. „ Non dictum eſt, non potuit; ſed noluit intelligere; Clauſit „ oculos à luce præſenti. *In Pſalm.* 51.

X.

„ Paratus eſt dare indulgentiam, claudis contra te. Ille pa„ ratus eſt dare, noli ponere obicem offenſionis. *In Pſal.* 50.

„ Vocata prima Jeruſalem noluit audire : Jeruſalem, Jeru„ ſalem : luget, clamat, & non reſpondetur : Quoties volui con„ gregare, & noluiſti? Non reſpondetur : Pluitur deſuper, & pro „ fructu ſpinæ proferuntur. *In Pſal.* 101.

Digitized by Google

JANSENIUS.

& ſenſibus aberraverint, qui nobis talem gratiam providerunt, quæ ſemper explorat, exſpectátque voluntatem hominis, ne ſi fortè prævaricator fuerit, caſſa, & inanis gratia, & effectus divinæ miſericordiæ irritus humana poteſtate reddatur. *Ibid. cap.* 24.

IX.

Apud Auguſtinum gratia, & opus bonum ita reciprocantur; ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferre ſolet; ita vice verſa ex defectu operis gratiam non eſſe datam. *T.* 3. *lib. cap.* 25.

X.

Quod ſi jam volumus, quando miſeretur Deus; profectò gratia, quæ eſt effectus miſericordiæ, & voluntatis effectrix, non poteſt ab hominis, cujus miſeretur Deus, voluntate ſeu volitione ſuperari. *ibid.*

CALVINUS.

moveri à Deo voluntatem, ut obſequatur, ſi libeat: aliud autem formari, ut bona ſit. *In antidot. Conc. Trid. ſeſſ.* 6.

IX.

Medium, quod Sophiſtæ imaginantur, cui obſequi vel repellere liberum ſit, apertè excludi videmus: ubi aſſeritur efficax ad perſeverandum conſtantia. *Lib.* 2. *Inſtit. cap.* 1. *§.* 10.

X.

Aſſerunt gratiâ nos præparari ad juſtificationem; ſed huic gratiæ partes aſſignant excitandi & adjuvandi, ut ipſi liberè cooperemur: Putidas hîc nœnias &c. *In antid. ſeſſ.* 6.

SANCTUS AUGUSTINUS.

XI.

„ A quo interitu, hoc eſt pænis æternis, Deus miſericors „ volens homines liberare (ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non re- „ ſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui) miſit unigenitum filium ſuum. *Lib. de Cathech. Rud. cap.* 26.

„ Quicunque hanc regulam Chriſtianam ſecuti fuerint, pax „ ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Jſrael Dei : Id eſt, qui „ verè ad viſionem Dei præparantur, non tantùm qui vocantur „ hoc nomine Chriſtiano, & carnali cæcitate videre Dominum „ volunt; quando gratiam ejus reſpuentes, ſervi eſſe tempo- „ rum cupiunt. *In Expoſ. Epiſt. ad Galat.*

„ Gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non cre- „ debant. *Lib. de grat. & lib. arbit, cap.* 12.

TERTIA PROPOSITIO

Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in

SANCTUS AUGUSTINUS.

I.

„ MOtus autem, quò huc, atque illuc voluntas convertitur; „ niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, ne- „ que laudandus, cùm ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, „ cùm ad inferiora detorqueret quaſi quendam cardinem voluntatis;

JANSENIUS.

XI.

Quis quis jam alia divinæ gratiæ adjutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deferant, ſi velint, & in quibus permaneant, ſi velint, cum quibus tanquam ſufficientibus operentur ſi velint; nihil aliud imprudens agit, niſi ut originalis peccati vires evacuet, illæſas liberi arbitrii vires eſſe: Chriſtum veniſſe, & gratis mortuum eſſe perſuadeat. *Ibid. cap.* 27.

CALVINUS.

XI.

Poterat Adam ſtare ſi vellet: Qui vero Chriſti ſe diſcipulos eſſe profeſſi, in homine perdito liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philoſophorum placita, & cæleſtem doctrinam partiendo planè decipiunt, ut nec Cælum, nec terram attingant. *Lib.* 1. *inſtit. cap.* 15. *§.* 8.

DAMNATA.

homine liberias à neceſſitate, ſed ſufficit à coactione.

JANSENIUS.

I.

Recentiores imaginantur; illum tantummodo actum ſic in noſtra poteſtate; hoc eſt. In libero noſtræ voluntatis ar-

CALVINUS.

I.

Longiore intervallo à recentioribus Sophiſtis differo, quantò ſcilicet à vetuſtate longiùs abſceſſerunt; Pronuntiat

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ neque omnino monendus eſſet, ut iſtis neglectis æterna vellet adi„ piſci, atque ut malè nollet vivere, vellet autem benè. Hoc au„ tem, monendum non eſſe hominem, quis quis exiſtimat, de „ hominum numero exterminandus eſt. *Lib. 3. de lib. arbit cap. 1.*

Tales ſervos ſuos meliores judicavit Deus, ſi ei ſervirent „ liberaliter, quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, „ ſed neceſſitate ſervirent. *Lib. de vera relig. cap. 14.*

II.

„Dicere autem peccare ſine voluntate magnum delira„ mentum eſt, & peccati reum teneri quenquam, quia non fecit, „ quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. „ Quam ob rem, ſi illæ animæ, quid quid faciunt, ſi naturâ, „ non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum & ad „ non faciendum motu animi carent, ſi denique his abſtinendi „ ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri „ non poſſumus. *Lib. de duab. anim. cap. 12.*

„ Fides ſana & Catholica neque liberum arbitrium negat, „ ſive in vitam malam, ſive in vitam bonam, neque tantùm ei tri„ buit, ut ſine gratia Dei valeat aliquid. *Epiſt. 2. ad Valent.*

„ Ante te eſt æquitas, ante te eſt iniquitas: Unam linguam „ habes, quo vis eam vertis: quare ergo potius ad iniquitatem & „ non ad æquitatem? Sicut eligis, quo veſcaris, ſic elige, quod „ loquaris. *In Pſalm. 51.*

III.

„ Nunquid non liberum arbitrium Timothei eſt exhortatus „ Apoſtolus dicens: contine te ipſum? & in hac re poteſtatem

JAN-

JANSENIUS.

bitrio, & illius tantum nos eſſe Dominos, quem pro libitu noſtro poſitis omnibus ad agendum neceſſariis poſſumus facere, & non facere, qua in re juxta Auguſtini ſententiam creberrimè nobis explicatam ſine dubitatione falluntur. *Tom. 3. lib. 6. cap. 4.*

CALVINUS.

Lombardus, non liberi arbitrii ideo nos eſſe, quòd ad bonum & malum, ad agendum vel cogitandum per æque polleamus; ſed duntaxat, quòd à coactione ſoluti ſumus. *Lib. 2. inſtit. cap. 2. §. 6*

II.

JANSENIUS.

Duplex autem in doctrinâ ejus neceſſitas reperitur; una quæ operatur effectum ſuum & ſi nolis, ſeu quantumcunque renitaris: Altera, quâ ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri ſine reniſu voluntatis. Prima capitaliter repugnat libertati, atque funditus perimit, non autem illa neceſſitas, quæ eſt ſimul voluntaria, quâ ſcilicet ſimpliciter neceſſe eſt aliquid fieri, non repugnante, ſed immutabiliter volente voluntate. *Cap. 6. e. juſd. Tom. ac lib.*

CALVINUS.

Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium eſſe & fateor, & conſtanter aſſevero, & pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur; quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſuâ, nihil moror. *Lib. 2. de lib. arbit. cont. Pigh.*

III.

JANSENIUS.

Hæc eſt prima neceſſitas violentiæ, ſeu coactionis, quæ

CALVINUS.

Quid ergo ſibi vult Auguſtinus, cùm de libertate volun-

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ voluntatis oſtendit, ubi ait, non habens neceſſitatem, poteſta-
„ tem habens ſuæ voluntatis, ut ſervet virginem ſuam. *Lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 4.

„ Quis te diſcernit, quid habes, quod non accepiſti? Non
„ quia credere, vel non credere non eſt in libero arbitrio volunta-
„ tis humanæ; ſed in electis præparatur voluntas à Domino. *Lib. de præd. SS. cap.* 5.

„ Homini Deus dedit liberum arbitrium, ut ſi vult homo,
„ heri fuit palea, hodie ſit frumentum. *Serm.* 3. *de diverſ. cap.* 6.

IV.

„ Si potuerunt, & non fecerunt, utique noluerunt.... Si
„ ergo noluerunt.... voluntatis crimen eſt, non neceſſitatis. *Lib.* 22. *cont. Fauſt. cap.* 22.

„ Poſſunt homines benefacere voluntate, nulla mercede con-
„ ducti, nullâ neceſſitate compulſi. *Lib. de fid. cap.* 28.

„ Erat in poteſtate Iſraëlitarum ſubdere ſe memorato viro,
„ ſive non ſubdere, quod utique in eorum erat poſitum voluntate. *Lib. de corr. & grat. cap.* 14.

„ Miraris quomodo non ſint repugnantia; ut & Deus præſ-
„ cius ſit omnium futurorum, & nos non neceſſirate, ſed volun-
„ tate pecemus. Si neceſſe eſt, ut homo peccet, non ergo eſt in
„ peccando voluntatis arbitrium, ſed potius inevitabilis, & fixa ne-
„ ceſſitas. *Lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 3.

V.

„ Qui propterea peccavit, quia voluit, potuit & nolle pec-
„ care. *Lib.* 5. *oper. perſ. cap.* 40.

„ Invenimus aliquid, quod libera voluntate faciamus? in-

Digitized by Google

JANSENIUS.

omnem omnino adimit libertatem. Nunc de ſecunda illa ſimplici neceſſitate, quâ ſine coactione ſimpliciter aliquid neceſſarium eſſe dicitur, quæ libertatem non lædit, ſed potius hoc ipſo, quo voluntatem affert, ſtatuit. *Ibid.*

CALVINUS.

tatis loquitur? Nempe quod toties repetit, non cogi homines invitos Dei gratiâ, ſed voluntarios agi, ut ſponte pareant, ac ſequantur. *In antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.*

IV. (Jansenius)

Neſcio quid manifeſtiùs, urgentiúſque proferri poſſit ad demonſtrandam volitionis cujusque libertatem, etiam illius, quam nos habere neceſſe eſt. Non enim negari poteſt, illam eſſe, & quidem præcipuam, potentiſſimamque volitionem, & ideo maximè eſſe in poteſtate, quia maximè fit, cùm volumus, & idcirco maximè libera eſt. *Ibid.*

IV. (Calvinus)

Quod voluntarium, etiam liberum. Ita neſcio, quo pravo, & miro modo ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata neceſſitatem facit; ut nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem, nec voluntas, cùm ſit illecta, excludere poſſit neceſſitatem. *Lib. 2. inſtit. cap. 3. §. 5.*

V. (Jansenius)

Itaque libera eſt voluntas, hoc eſt volitio ratione ſui, quia eſt eſſentialiter libera. Im-

V. (Calvinus)

Eſt enim neceſſitas hæc quódammodo voluntaria ... Premimur jugo, non alio tamen,

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ venimus planè; cùm ipſum Deum laudando amamus; hoc enim „ libera voluntate facis; quando amas, quod laudas; non enim „ ex neceſſitate, quia placet. *In Pſalm.* 134.

„ Scio, in quo ſit mala voluntas, in eo fieri, quod ſi nollet, „ non fieret; & ideo non neceſſarios, ſed voluntarios defectus juſta „ pæna conſequitur. *Lib.* 12. *de civit. cap.* 8.

VI.

„ Cùm ergò dicit, aut hoc facite, aut illud facite, poteſta- „ tem indicat, non naturam. Nemo enim niſi Deus facere arborem „ poteſt, ſed habet unus quiſque in voluntate, aut eligere, quæ „ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere, quæ mala ſunt, & eſſe „ arbor mala. *Lib.* 2. *de act. cum Felice. cap.* 4.

„ Hoc ergo Dominus dicens; aut facite illud, aut facite illud; „ oſtendit eſſe in poteſtate, quid facerent. *Ibid.*

„ Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, „ ſi non vult, non facit. *Lib. de ſpir. & litt. cap.* 31.

VII.

„ Dic mihi, reddidiſti, quando à ſolo ſolus accepiſti, ubi „ Deus inter vos fuerat? ſi tunc reddidiſti, ſi mortuo, qui commen- „ davit naſcenti Filio, reddidiſti, tunc te laudabo; quia poſt au- „ rum non iviſti, quia potuiſti tranſgredi, & non es tranſgreſſus. *Serm.* 19. *de verb. Apoſt. cap.* 6.

„ Nunc Deus cùm peccantem punit, quid videtur tibi aliud „ dicere, niſi cur non ad eam rem uſus es libera voluntate, ad „ quam tibi dedi eam, hoc eſt, ad rectè faciendum. *Lib.* 2. *de lib. arb. cap.* 20.

Digitized by Google

JANSENIUS.	CALVINUS.
plicat enim contradictionem, ut voluntas non ſit libera; ſicut implicat, ut volendo non velimus, aut non faciamus, quod volumus. *Tom. 2. lib. 6. cap. 5.*	quàm voluntariæ cujuſdam ſervitutis. Ideo pro ſervitute ſumus miſerabiles, pro voluntate inexcuſabiles. *Ibid.*
VI.	**VI.**
Hoc ipſo quippe, quo voluntas eſt, utique voluntas eſt: hoc eſt, eo ipſo, quo volumus, utique volumus. Hoc ipſo verò, quo voluntas eſt, jam eſt in poteſtate; quia hoc ipſo fit, cùm volumus, hoc ipſo igitur etiam libera eſt. Hoc enim, & nihil præterea liberum eſt, quod eſt in noſtra poteſtate. *Ibid.*	Ita anima ſub hac voluntaria & malè libera neceſſitate & ancilla tenetur & libera. Ancilla propter neceſſitatem: libera, propter voluntatem, & quod magis mirum, magiſque miſerum eſt; ideo rea, quia libera eſt. *Ibid.*
VII.	**VII.**
Conſtabunt verò hæc ómnia de duplici iſta neceſſitate, una violentiæ, altera ſimplici, cum qua voluntatis libertas maneat integerrima longè evidentiùs, ſi ſenſum Auguſtini de libertate ipſius Dei, & beatorum hominum, Angelorúmque protulerimus. Nam quod ad liber-	Quoniam ejus diſtinctionis jam meminimus, quam inter coactionem, & neceſſitatem ſtatuimus. Paulò diligentiùs excutienda nobis eſt. Negant, qui liberum arbitrium contra gratiam tuentur, peccatum aut virtutem eſſe, ubi eſt neceſſitas. Reſpondemus Deum

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ Non ergo nobis aufert liberum arbitrium : ſed vos diligen-„ ter attendite, quid potius eligatis, utrum correcti vivere in pa-„ ce, an in malitia perſeverantes falſi martyrii nomine vera ſup-„ plicia ſuſtinere. *Lib. 2. cont. Lit. Petil. cap.* 84.

VIII.

„ Si nôn eſſet liberum arbitrium, non diceretur, rectos „ curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige ; ne declines in dex-„ teram, neque ſiniſtram. *Epiſt. 2. ad Valent.*

„ Poſteaquam venerit in ætatem, quâ in eo rationis uſus evi-„ gilet, poterit adjuta divinitus voluntate eligere alteram vitam .... „ Ita bene agit anima rationalis, ſi ordinem ſervet : Et diſtinguen-„ do, eligendo, pendendo ſubdat minora majoribus : corporalia ſpiri-tualibus. *Epiſt.* 102.

Modò elige bonam, vel malam mortem. *Tract. de diſcip. Chriſti.*

IX.

„ Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis ; ſi non ei poteſt reſi-„ ſti, ſine peccato ei ceditur ; ſi autem poteſt, non ei cedatur, „ & non peccabitur, an fortè fallit incautum ? ergo caveat, ne fal-„ latur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit ? ſi ita „ eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo „ modo caveri poteſt ? peccatur autem, caveri igitur poteſt. *Lib. 3. de lib. arbit. cap.* 18.

„ Ineſt quippe homini anima rationalis ; ſed intereſt hujus „ rationis uſum, quonam potius voluntatem convertat, utrùm ad „ bona exterioris, inferioriſque, an ad bona interioris, ſuperioriſ-„ que naturæ. *Epiſt.* 120. *cap.* 2.

Digitized by Google

JANSENIUS.

tatem Dei attinet, ſæpiſſimè docet, id quod ſine teſtimoniis ejus per ſe ipſum eſt manifeſtum, Deum eſſe liberum, & ſi peccare non poſſit. *Ibid. cap. 7.*

VIII.

His ergo tanquam certiſſimis præjactis fundamentis docet Auguſtinus, arbitrium Beatorum eſſe liberrimum, in hoc ipſo, quòd peccare non poſſunt: hoc eſt, in illa ipſa immobili voluntate non peccandi ſeu non deficiendi ab amore Dei. *Ibid. cap.* 8.

IX.

Sed nullibi res ita illuſtrius patet, quàm in dæmonibus, qui amiſſa irreparabiliter benè volendi, & benefaciendi poteſtate, ſolius mali poteſtatem, & libertatem habent ...... amiſerunt penitus libertatem ad bonum, retenta tamen perfectiſſimè libertate ad malum. *Tom. 3. lib. 7. cap. 11.*

CALVINUS.

neceſſariò bonum eſſe, nihilò tamen minorem ex bonitate laudem conſequi. *Lib. 4. de lib. arbit.*

VIII.

Quod voluntatem dico neceſſitate in malum trahi, offendit eos, qui inter neceſſitatem, & coactionem diſtinguere neſciunt. At ſi quis eos interroget, an non Deus neceſſariò bonus ſit? an non diabolus eſt neceſſariò malus, quid reſpondeant?

IX.

Si liberam Dei voluntatem non impedit, quod neceſſe eſt illam agere: ſi Diabolus non niſi malè agere poteſt, voluntate tamen peccat; quis hominum ideo minus voluntariè peccare dicet, quòd ſit peccandi neceſſitati obnoxius. *Lib. 2. inſtit. cap. 2. §. 7.*

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

X.

„ An ut diſcerem, hinc oſtendi animarum duo genera, „ quòd in deliberando nunc in malam partem, nunc in bonam nutat aſſenſio? cur non magis hoc ſignum unius animæ, quæ libera „ illa voluntate huc & illuc ferri, hinc atque hinc referri poteſt? „ nam mihi cum accidit, unum me eſſe ſentio, utrumque conſiderantem, alterutrum eligentem; ſed plerumque illud libet, hoc decet, quorum nos in medio poſiti fluctuamur. *Lib. de duab. animab. cap.* 13.

QUARTA PROPOSITIO

Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd

SANCTUS AUGUSTINUS.

I.

„ SEd nunc eis (Semi-Pelagianis) reſpondendum eſſe video, qui di- „ vina teſtimonia, quæ de hac re adhibemus, ad hoc dicunt „ valere; ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipſam fidem, „ ſed incrementum ejus ex Deo. *Lib. de præd. Sanctorum. cap.* 2.

„ Hæc ergo Dei dona ſunt, ut de aliis taceam, ſapientia, „ & continentia. Acquieſcunt & iſti (Semi-Pelagiani) neque enim

JAN-

JANSENIUS.

X.

Veteres non obſtante immutabili neceſſitate omnem omnino rationalem voluntatem; hoc eſt, voluntatis motum, & liberam, & electivam ſui objecti poſuerunt, ſola excluſa violentiæ, coactioniſque neceſſitate. *Tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 38.

CALVINUS.

X.

Hinc agnoſcant lectores, nihil me novum aferre, quàm quod olim ex piorum omnium conſenſu prodidit Auguſtinus, & mille ferè annis poſtea in clauſtris Monachorum retentum fuit. *Ibid. cap.* 3. *§.* 5.

DAMNATA.

vellent eam talem eſſe gratiam, cui poſſet voluntas humana reſiſtere, vel obtemperare.

JANSENIUS.

I.

IN hòc propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quòd aliquid primævæ libertatis reliquum putent, quo, ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari; ita lapſus homo ſal-

CALVINUS.

I.

AUdiamus nunc Auguſtinum ſuis verbis loquentem; ne ætatis noſtræ Pelagiani (hoc eſt, Sorbonici Sophiſtæ) totam vetuſtatem nobis adverſam criminentur pro ſuo more,

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ Pelagiani ſunt, ut adverſus iſtam perſpicuam veritatem dura „ & hæretica perverſitate contendant; ſed hæc, inquiunt, ut à „ Deo dentur, nobis fides impetrat, quæ incipit à nobis, quam „ fidem & incipere, habere, & in ea uſque in finem permanere, „ tanquam id non à Domino accipiamus, noſtrum eſſe conten- „ dunt. *Lib. de dono perſev. cap. 17.*

II.

„ Quo præcipuè teſtimonio etiam convictus ſum (quid habes „ quod non accepiſti?) cùm ſimiliter errarem, putans fidem, quâ „ in Deum credimus, non ita eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in „ nobis, & per illam nos impetrare dona Dei, quibus temperan- „ ter, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo; Neque enim fidem „ putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur, „ quod poſceremus utiliter, niſi quia credere non poſſemus; ſi non „ præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato Evangelio „ conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe „ arbitrabar .... Ad hoc perduxi ratiocinationem; ut dicerem, „ non ergo elegit Deus opera cujuſquam in præſcientia, quæ ipſe „ daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia, ut quem ſibi cre- „ diturum eſſe præſcivit, ipſum elegerit, cui ſpiritum ſanctum „ daret, ut bona operando etiam vitam æternam conſequeretur. *Lib. de præd. SS. cap. 3.*

III.

„ Sed ii (Semi-Pelagiani) qui ſolum initium fidei, & uſ- „ que in finem perſeverantiam ſic in noſtra conſtituunt poteſtaţe; „ ut Dei dona eſſe non putent, neque ad hæc habenda, aut con- „ tinenda Deum operari noſtras cogitationes, & voluntates: cæ-

Digitized by Google

JANSENIUS.

tem credere poſſet, ſi vellet, neuter tamen ſine interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuscujuſque arbitrio & voluntate. *Tom. 1. lib. 8. cap. 6.*

II.

Ecce nec internam vocationem à fide Auguſtinus in illo errore conſtitutus excludit, ut ita Deus per internam gratiam in ipſo corde, ubi nullus hominum videt, ipſum velle operetur in nobis, non quidem ita, ut nolentibus ipſum velle tribuat, hoc enim Chriſtianæ gratiæ proprium eſt; ſed ita, ut ſi homo cor ſuum ad volendum & ſequendum inclinaverit, non ſine Deo vires voluntatis adjuvante velit, & credendo ſequatur. *Tom. 1. lib. 8. cap. 8.*

III.

Ecce totum Semi-Pelagianorum myſterium evidenter expreſſum, acquieſcere ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ eſſe po-

CALVINUS.

in quo Patrem ſuum Pelagium imitantur, à quo in eandem olim arenam ipſemet Auguſtinus protractus eſt. *Lib. 2. inſtit. cap. 3. §. 13.*

II.

Poſtquam ſingulari beneficio factum eſt, ut communi veteris Eccleſiæ conſenſu Pelagii repudiaretur impietas; non tam protervè amplius de hominum meritis garrire auſi ſunt. Mediam tamen viam excogitârunt; ut in homine juſtificando neque totum Deo, neque nihil darent.

Sic aliquantò ſe magis verecundos oſtendunt, quam fuerit Pelagius. *In Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.*

III.

Poſſibilitatem adjuvari Dei gratiâ fatebatur Pelagius, voluntatem verò, & effectum penes hominem eſſe dicebat.

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ tera verò ipſum dare concedunt. *Lib. de dono perſ. cap.* 17.

„ Hæc dicentes nolunt prædicari dona Dei eſſe, ut veniatur „ ad fidem, & permaneatur in fide. *Ibid.*

IV.

„ Nova quæſtio ad hoc nos compulit; quia cùm ex priori- „ bus opuſculis noſtris ſatis idoneis teſtimoniis egiſſemus, donum „ Dei eſſe etiam fidem, inventum eſt, quod contradiceretur; ad „ hoc valere iſta teſtimonia, ut oſtendant Dei donum eſſe incre- „ mentum fidei, initium verò fidei, quo in Chriſtum primitus „ creditur, ab homine ipſo eſſe; nec eſſe donum Dei, ſed hoc exi- „ gere Deum, ut cùm id præceſſerit, cætera tanquam hoc me- „ ritò conſequantur, quæ Dei dona ſunt, nec ullum dari gratis. *Cap. 21. ejuſd. libri.*

QUINTA PROPOSITIO

Semi-Peliagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus

SANCTUS AUGUSTINUS.

I.

„ UNus pro omnibus mortuus eſt, Juliane! non hoc Auguſtinus, „ ſed Apoſtolus dicit, imò ipſe per ſuum Apoſtolum Chriſtus. *Lib. 2. oper. imperf. cap.* 134.

JANSENIUS.	CALVINUS.
teſtatis ; nempe quia nôn gratia tribuit voluntatem ; ſed noſtra voluntas nos ipſi inſpirationi acquieſcere facit, quamvis hoc non ſine gratia fiat. *Cap. 7. ejuſd. Tom. ac lib.*	Quamvis in poſſibilitatis voce fallendi latebram quærere, arguit Auguſtinus. *Lib. 3. de lib. arbit. p. 166.*
IV.	**IV.**
Prior Maſſilienſium error erat, quòd initium fidei, orationem, gemitus, ac deſideria, & hujuſmodi ex nobis, hoc eſt, ex libero arbitrio proſilire cenſerent ; & tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuiſſe ad iſtos actus neceſſariam, cujus influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio. *Ibid.*	Dico apertè pugnare, quod hîc pronunciant Tridentini Patres, cum illâ Chriſti ſententiâ : Quis quis audivit à Patre meo, venit ad me : Nam inde ſequitur, motum Spiritûs ſancti ſic eſſe efficacem, ut fidem ſemper gignat. *In Conc. Trid. Ʃ. 6.*

DAMNATA.

omnino hominibus mortuũ eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

JANSENIUS.	CALVINUS.
I.	**I.**
PRima expoſitio eſt, ut Deus dicatur omnes homines velle ſalvos fieri, accomodata ſcili-	HOc etiam modo, quod ex alio loco obtendunt, diluitur : Deum clauſiſſe omnia

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

„Nec dicas pro multis : Ipſi ſunt multi, qui & omnes ....., „non aliquibus exceptis, ſed eoſdem multos omnes oportet in-„telligi. *Lib. 6. contra Jul. cap. 23.*

„Ille expandit manum ad pomorum dulcedinem, iſte ad „crucis amaritudinem : Ille arborem necis, iſte ſalutis oſtendit ; „Ille ſe contra Deum erexit, & cecidit ; Chriſtus ſe humiliavit, „ut omnes erigeret : Adam univerſis mortem intulit, & Chriſtus „vitam omnibus reparavit. *Serm.* 101. *de temp.*

II.

„Unus, inquit Apoſtolus, pro omnibus mortuus eſt : Ergo „omnes mortui ſunt, oſtendens fieri non potuiſſe, ut moreretur, „niſi pro omnibus.

„Ex hoc enim probavit omnes mortuos eſſe, quia pro om-„nibus mortuus eſt unus. Impingo, inculco, infarcio recuſanti: „Accipe, ſalubre eſt. Nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus „eſt ; ergo omnes mortui ſunt. Vide quàm conſequens eſſe vo-„luit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus „eſt. *Lib. 6. cont. Jul. cap. 4.*

III.

„Tenebantur homines captivi ſub Diabolo, & Dæmonibus „ſerviebant, ſed Redempti ſunt à captivitate. Vendere enim ſe „potuerunt, ſed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & „dedit pretium, fudit ſanguinem ſuum, emit orbem terrarum. „Quæritur quid emerit ? Videte quid dederit, & invenite quid „emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt. Tanti quid valet ? Quid „niſi totus orbis, quid niſi omnes gentes ? valde ingrati ſunt pre-

Digitized by Google

JANSENIUS.

cet diſtributione, omnes, qui videlicet ſalvantur, ſeu quod idem eſt, quòd nemo ſit ſalvus, niſi quem Deus voluerit ſalvum fieri. *Tom. 5. lib. 3. cap. 20.*

II.

Secunda expoſitio eſt, intelligendam eſſe diſtributionem non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum: hoc eſt pro omni genere hominum. Tertia expoſitio erit illa ..... ut Deus dicatur omnes homines velle ſalvos fieri, quia facit, ut ſancti homines ſalutem omnium velint, & optent. *Ibid.*

III.

Maſſilienſes .... tanquam firmiſſimam baſim errori ſuo collocaverunt iſta Scripturæ loca; quibus Deus dicitur omnes velle ſalvos fieri, atque eſſe Redemptorem omnium; Quæ ſanè cùm in Auguſtini doctrina

CALVINUS.

ſub peccato, ut omnium miſereatur: nempe quia omnium, qui ſalvi fiunt, ſalutem miſericordiæ ſuæ vult adſcribi, quamvis non omnibus ſit commune hoc beneficium. *Lib. 3. inſtit. cap. 24. §. 17.*

II.

Quis non videt, ordinum hîc geri mentionem potius, quàm ſingulorum hominum? Neque verò ratione caret trita illa diſtinctio, non ſingulos generum, ſed genera ſingulorum notari. *Lib. de æter. Præd. p. 706.*

III.

Nunc jactet Pighius, Deum omnes velle ſalvos fieri .... Agitatus olim à Pelagianis fuit locus iſte: Clarè patet, quàm ſecurè Auguſtinus hanc objectionem contempſerit. *Lib. de æter. præd. p. 707.*

Digitized by Google

JANSENIUS.

perſpicua, certáque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemet-ipſum redemptionem dediſſe, Patrem oráſſe ſentiatur. Scivit enim, quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat, ſcivit hoc decretum: Ex quo factum eſt juxta ſanctiſſimum Doctorem, quòd non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit. *Cap. ſequenti.*

CALVINUS.

Cæterùm non dicit Chriſtus ſe toti mundo præfectum eſſe, ut vitam omnibus promiſcuè conferat; ſed gratiam hanc reſtringit ad eos, qui ſibi dati ſunt. Quomodo autem dati? Num reprobos Pater illi ſubjecit? Reſpondeo ſolos electos ex peculiari eſſe ejus grege, cujus cuſtodiam tanquam Paſtor ſuſcepit. *In Evang. Joan. cap.* 17.

Se pro mundo orare negat, quia ſolicitus non ſit, niſi de proprio grege. *Ibid. n.* 9.

IV.

Ex principiis S. Auguſtini quiſquis jam facilè videt; Primò non poſſe ſtatui, quod recentiores plerumque ſolent, voluntatem quandam generalem, quâ Deus velit omnes homines in damnatione primi peccati poſitos ſalvos fieri: Ex qua voluntate

IV.

Adducitur Pauli locus, ubi tradit Deum velle omnes ſalvos fieri. Reſpondeo: Primum ex contextu palam fieri, quomodo velit? Utrumque enim copulat Paulus, quòd velit ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Si hoc æterno

SANCTUS AUGUSTINUS.

„ nem abiicis, neminem perhorreſcis, niſi fortè, qui amens te ex-„ horruerit. *Lib. Medit. cap. 2.*

„ O Munde immunde! venit qui te redimat, & turbaris, & „ hunc tu vis perdere, quando ille te diſpoſuit liberare. O Judæo-„ rum terra impia, non congruis Cælo. Cælum demonſtrat, ut „ adoretur, tu quæris infantem, ut necetur; ille tibi annuntiat „ Deum hominem ſuſcepiſſe pro te, & tu vis perdere eum, qui „ venit redimere te. *De ſymb. ad Catech. lib. 2. cap. 5.*

„ Annuntiantibus Magis Regem natum, turbatur Herodes, „ & ne regnum perdat, vult eum occidere, in quem ſi crederet „ & hìc ſecurus, & in illâ vita ſine fine regnaret. *Ibid cap. 4.*

V.

„ Time pænas in æternum, non venient, ſi nolueris. Mul-„ tò magis eſt, quod timere debes, & in poteſtate habes, ne ve-„ niat tibi, quod times. Et majus eſt, incomparabiliter majus, & „ longè majus, quod timere debes, & in poteſtate habes, ne veniat „ tibi. Si elegeris hìc benè vivere, in æternas pænas non mittèris. „ Elige cùm vivis, ne in æternum moriaris. *Serm. 36. de diverſ. cap. 8.*

„ In hac vita corporis, quoniam juſtè, & iniquè vivi po-„ teſt, quod elegerit, hoc habebit, vel præmium de juſtitia, vel „ de iniquitate ſupplicium. *Lib. 7. de gen. ad lit. cap. 25.*

„ Eligere tibi temporalem vis laborem, an ſempiternam „ pænam? *In Pſalm. 93.*

„ Poteſtatem tibi dedit Deus, ut ſi velis, donante Deo ad „ dexteram ſis. *In Pſalm. 120.*

„ Deus non vult invenire, quem damnet. *Tract. de excid. urb. cap. 2.*

Digitized by Google

JANSENIUS.

non ſolùm generalia redemptionis remedia, ſed etiam ſufficientia adjutoria omnibus etiam reprobis præparaverit. Sicut enim talia ſufficientia adjutoria non dantur omnibus, imò nulla omnino poſt lapſum ſunt, ita nec voluntas illa generalis, ex qua promanare dicuntur. *Tom. 3. lib. 10. cap. 2.*

CALVINUS.

Dei conſilio fixum eſſe volunt, ut ſalutis doctrinam percipiant, quî factum eſt, ut privaverit Deus Evangelii luce multos populos, & nunquam pura doctrinæ pietatis cognitio ad eos pervenerit? *Lib. 3. Inſtit. cap. 24. §. 16.*

V.

Videt quartò, hoc ipſo quoque reliquos, qui ſic ab illo numero liberandorum beatiſſimè ſecluſi ſunt, & negativè reprobati, etiam poſitivè reprobatos dici poſſe. Non enim ſic præteriti ſunt à Deo, ut quodammodo manſerit voluntas ejus de ipſorum ſalute, vel perditioone ſuſpenſa: ſed ſicut fuerit voluntas fixa eos relinquendi in iſto ſtatu, ex quo cæteros liberare ſtatuebat: ille autem citra dubium perditionis ac damnationis eſt ſtatus. *Ibid.*

V.

Multi electionem ita fatentur, ut negent quemquam reprobari, ſed inſcitè nimis ac pueriliter; Quando-quidem ipſa electio, niſi reprobationi oppoſita, non ſtaret. Dicitur ſegregare Deus, quos adoptat in ſalutem: Quos ergo Deus præterit, hos reprobat: neque alia de cauſa, niſi quòd ab hæreditate, quam filiis ſuis prædeſtinat, illos vult excludere. *Lib. 3. inſtit. cap. 23. §. 1.*

Digitized by Google

JANSENIUS.	CALVINUS.
VI.	VI.
Manifeſtiſſimum eſt, nullam aliam agnoſcere Auguſtinum reprobationis cauſam, niſi maſſæ perditæ meritum, ſeu peccatum originale, quo tota maſſa periit: Et hoc eſſe cauſam non tantùm negativæ reprobationis, ſeu non prædeſtinationis, ſed etiam poſitivæ. *Cap. 3. ejuſd. tom. ac lib.*	Si quis nos hujuſmodi verbis aggrediatur: Cur ab initio Deus ad mortem aliquos prædeſtinavit? Reſpondemus ..... ex corrupta maſſa ſi deſumpti ſunt omnes, non mirum eſt, ſi damnationi ſubjaceant. *Ibid. §. 3.*
VII.	VII.
Quod ſi verò comparativè de reprobationis cauſa diſquirendum eſt; cur ex duobus, quorum uterque originali culpa maculatus eſt, hic non, iſte reprobetur à Deo; rei illius nulla omnino cauſa ex parte hominis à nobis dari poteſt, ſed pendet à puro beneplacito Dei. *Cap. ejuſd. Tom. ac lib.*	Si non poſſumus rationem aſſignare, cur ſuos miſericordiâ dignetur, niſi quia ita placet; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm ejus voluntatem; Nam Deus, cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. *Cap. 22. §. 11. ejuſd. lib.*

Digitized by Google

SANCTUS AUGUSTINUS.

VIII.

„ Non te ejicio, ſed exi tu : à nobis enim exierunt, qui „ ſegregant ſemet- ipſos, animales, ſpiritum non habentes. Non „ enim dictum eſt : ejecti ſunt, ſed exierunt. Hoc & in primis „ parentibus juſtitia divina ſervavit ; tanquam enim jam pronos „ proprio pondere dimiſit eos de paradiſo „ non excluſit. Niſi „ ergo cognoveris te ipſam, ò pulchra inter mulieres; Exi tu, „ non ego te ejicio, exi tu. Ego te in corpore meo volo ſanari, „ tu pulchritudinem tuam appetis amputari. *Hom.* 4. *de div. ſub finem in ſupplem.*

„ Quis quis beatus vult eſſe, ad regnum Cælorum feſti- „ net : nulli clauſum eſt, niſi ei, qui ſe excluſerit. *Serm.* 32. *Syrm.*

JANSENIUS.

VIII.

In hoc poſtremo loco palam vides , ipſam quoque derelictionem ſeu deſertionem , quâ Deus non miſeretur , nec gratiam tribuit , quâ peccata caveantur , eſſe effectum reprobationis Dei. Nam ideo talibus miſericordiam , & gratiam in tempore negat , quia æquitate occultiſſima abjecit eos , ne perveniant ad regnum ſuum. *Cap. 5. ejuſd. Tomi, ac lib.*

CALVINUS.

VIII.

Unde ſequitur Dei Conſilium obdurationis eſſe cauſam. Hoc obtineo , quod tradit Auguſtinus : Ubi ex lupis Deus oves facit , gratiâ eos reformare , ut dometur eorum durities. Proinde obſtinatos ideo non convertit , quia illam gratiam non exerit Deus , quâ non deſtituitur , ſi eam proferre vellet. *Ibid.*

Digitized by Google

EPISTOLA TERTIA.

In qua exponuntur loca & textus S. Auguſtini ad apparentiam oppoſiti hodiernis Eccleſiæ deciſionibus.

AMICE,

SI tardior ſum in reſpondendo ad ultimas tuas, non id tribuas negligentiæ, multò minùs ignavæ aut tepeſcenti relaxationi à primo fervore, quem pro tui inſtructione teſtatus ſum. Ipſemet Zelus ille hucuſque continuus tamdiu diſtulit, quod impatienter expectas: in promptu fuiſſet expeditiore reſponſo textibus obviare, quos conſultus à te Theologus ex S. Auguſtino ſuggeſſit; non ſunt ſolæ & unicæ, nec etiam principales illæ

Digitized by Google

ſententiæ ; Validiores aſſolet hæreſis contra veritates fidei ex S. Auguſtino producere ; quam obrem fuſior eſſe decreveram , non exponendo duntaxat loca S. Auguſtini , quæ obiicis , ſed & ea, quæ poſſent objici , ut ſic non modò dubiis tuis præſentibus, verùm etiam futuris conſulerem. Et quidem , cùm hunc laborem velim firmum & ſolidum , vota tua tam celeriter explere haud potui diviſus tot inter ſe pugnantibus curis.

Spero hac ratione & methodo completè verificandum Scripturæ eloquium (*a*) *Qui ambulat ſimpliciter , ambulat confidenter , qui autem depravat vias ſuas , manifeſtus erit.* Catholici , cùm ſimpliciter ambulent , confidenter ambulant ; ſimplicitas fiduciam parit ; ſecuri de bonitate & juſtitia ſuæ cauſæ non pertimeſcunt S. Auguſtini teſtimonia : procul ab eis , ut vafrè deſſimulent , aut prætereant jota vel apicem ex S. Auguſtino contra ſe producendum , ipſimet Auguſtinum tanquam adverſarium apparentem provocant , & contra ſe armant , proferendo textus ejus à nemine alioquin propalatos aut proferendos : Nôrunt etenim veri fideles , doctrinam S. Auguſtini cum doctrina Eccleſiæ univerſalis alma pace & concordiâ frui , hinc non verentur bellum inter fidem Auguſtini & Eccleſiæ exoriturum.

Non eadem eſt ſituatio cauſæ modernorum hæreticorum ; hi enim, cùm depravent vias ſuas doloſa duplicitate , manifeſti ſunt , utpote nil tanta ſolicitudine præcaventes , ac meminiſſe textuum , quos Catholici ex Auguſtino contra eorum figmenta citant : hos devitant vigili ſolertia ; contenti enim generalibus quibuſdam , vagis & inconſtantibus reſponſis ad graviſſima Auguſtini loca chartas ſuas illis ſolummodo textibus ambiguis implent , quos ominantur cauſæ ſuæ benignos & gratioſos fore , nunquam tamen deveniendo ad genuinam textuum oppoſitorum explanationem , quæ planè diſſimulatio tam inerter affectata palam prodit peſſimam eorum fidem , & quàm non adhæreant menti S. Docto-

(*a*) Prov. cap. 10.

Digitized by Google

ris, de cujus diſcipulatu gratis gloriantur in orbe. *Qui autem depravat vias ſuas, manifeſtus erit.*

Non ambigo, te vehementer avidum eſſe ex me ſcire, quid reſpondeant Novatores ad loca adeò clara, adeò expreſſa & formalia contra ipſorum errores ex Auguſtino jam producta, ac deinceps producenda? horum reſponſiones opportunè experiri potuiſſes ex ore Theologi, ad cujus oraculum tanquam ad tripodem Delphicum recurriſti: ille tibi deſuper pleniorem dediſſet relationem; procul dubio tibi ſuaviter inſufflâſſet, S. Auguſtinum in quibuſdam locis, quæ citantur à Moliniſtis, loqui de homine in ſtatu naturæ integræ & innocentis, non verò de homine in ſtatu naturæ corruptæ; S. Doctorem in aliis occurrentiis ſubinde non propriis ſed adverſariorum Verbis & ſententiis uti, ſibimet objectiones & inſtantias formando; tandem in ultimis ſuis tractatibus ad everſionem Pelagianiſmi elaboratis implicitè ſaltem & æquivalenter retractare ea, quæ in anterioribus necdum ſatis inſtructus elucubraverat.

Nugæ ſunt, & næniæ iſthæc: Vix non ad ſtomachum & indignationem eandem provocant, quâ olim tenebatur Magnus Auguſtinus contra Manichæos, qui cùm neſcirent reſpondere S. Doctori, ejuſque allatis ex Scriptura textibus, conqueſti ſunt, ſacrum codicem fuiſſe falſificatum. *O Vocem*, exclamabat indignabundus S. Auguſtinus (*a*) nunquam ſolitus leniter tractare inimicos Eccleſiæ; *O vocem à veritate fugacem, in amentia pertinacem! uſque adeò invicta ſunt, quæ adverſus vos de divinis Scripturis proferuntur, ut non ſit aliquid, quod dicatis, niſi eos eſſe falſatos*: hoc ipſo tono quis non occinere poſſit frivolis Janſeniſtarum exceptionibus ac reſponſis? O vocem, o diſcurſus & reſponſiones à veritate fugaces, in amentia pertinaces! uſque adeò invicta ſunt, quæ adverſus vos ex teſtimoniis S. Auguſtini proferuntur, ut non ſit aliquid, quod dicatis, niſi textus illos fuiſſe retractatos &c. Quod eſt evidens mendacium facillimè demonſtrandum.

(*a*) Lib. 11. cont. Fauſt. c. 2.

Digitized by Google

Pro qua demonſtratione neceſſaria non eſt cerebri defatigatio, nec requiritur niſi tenuis cognitio latini idiomatis; & ne ſis cæcus corpore & intellectu, ut promptiſſimè deprehendas, S. Auguſtinum nullibi locorum meminiſſe hominis in ſtatu naturæ integræ; item S. Doctorem non per modum objectionis adverſariorum loquelas uſurpare; propriis non alienis ſententiis loqui. Inſpice, ſi placeat; oculos corporis teſtes adhibe ſaltem quoad textus Auguſtini lucidiſſimos & valentiſſimos.

Quod verò dicant cum conſulto tuo Theologo, S. Auguſtinum retractâſſe ad minimùm æquivalenter & implicitè in ultimis ſuis ſcriptis, ſi quid in prioribus ſubitò exciderit, hoc non minùs à vero quàm vero ſimili deviat; Nam ſententiæ hujus S. Doctoris, quæ ſolent opponi adverſariis, extractæ ſunt ex univerſis ejus operibus, diverſa ætate ac temporis variatione in differentibus ejus vitæ circumſtantiis in lucem datis: ſunt, inquam, extractæ non ſolùm ex tractatibus, quos compoſuit contra Manichæos, ſed etiam contra Pelagianos & Semi-Pelagianos, non ſolùm ex illis, quibus deſtruit hæreſes, ſed & quibus inſtruit fideles, quos utique nemo dixerit à S. Auguſtino fuiſſe mendaciis & erroribus dementatos.

Præterquam, quòd vix aliquem lateat, S. Auguſtinum ultimis diebus vitæ ſuæ omnia ſua opera & Scripta revidiſſe, obſcura explicâſſe, errata correxiſſe.

Prætendere poſtmodum, quaſi S. Doctor in ultimis ſuis litteratis laboribus ſaltem implicitè retractaverit, quod tractavit in prioribus, quid eſt aliud, niſi ſe ipſum vento paſcere, ſibi ipſi imponere, viſiones & ſomnia ſomniari, caſtella in concavo lunæ excitare? vel potiùs, quid aliud ſonat futilis hæc prætenſio, niſi fideliter fateri, & palam monſtrare, quòd factioſi homines iſti dati ſint in reprobum ſenſum, quòd ſe ſpontè mancipaverint pertinaciæ, quòd non obſtante ſpecioſo prætextu, ſe inviolabiliter conglutinatos S. Auguſtino, determinati ſint totum Auguſtinum

deſerere, nec aliter ei adhærere, niſi in quantum ſit eorum erroribus propitius.

Hæc ipſa fuit olim exprobratio, quâ uſus eſt S. Auguſtinus contra Manichæos, cùm loca quædam ſacræ Scripturæ ſibi apparenter favorabilia recepiſſent quidem, alia verò ſuis ſectis evidenter contraria reſpuiſſent: *Qui in Evangelio*, dicebat eis, (*a*) *quod vultis creditis, quod vultis non creditis. Vobis potius, quàm Evangelio creditis.* Pariformiter mihi liceat hæteticos modernos interloqui: qui in Auguſtino quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Auguſtino creditis; cùm vos doloſo Sacramento juretis in verba Magiſtri S. Auguſtini, cùm fallaciter ejus fideles diſcipulos vos profiteamini, idcirco meritò vos manu ducimus ad ſcholam S. Auguſtini, ejuſque documenta tanquam ex Auguſtini cathedra pronuntiamus; laborantes laboramus citare diverſiſſima S. Doctoris eloquia ex ejus tractatibus, quos diverſa ætate & tempeſtate diverſis temporum & hæreſum intervallis per decurſum vitæ ſuæ elaboravit; Vos verò præſumitis reſpondere, illud non eſſe Catholicum, quod hinc inde conſcripſit, tractu temporis S. Auguſtinum retractâſſe omnia vobis adverſantia; quid eſt hoc? quantùm ſapio, videtur vos nolle Auguſtinum ſequi niſi à longè, & quantùm vobis placet, aut ipſe favet: nónne quod Chriſtus contra Judæos hoc etiam Auguſtinus contra hæreticos modernos dixerit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*, dum authoritatem meam, quam ore circumferunt, corde contemnunt, & opere blaſphemant.

Cui enim fundamento nixi dicere audent Novatores, S. Doctorem in aliquibus hallucinatum, in aliis Orthodoxum fuiſſe? nónne forſitan fundantur illâ ipsâ ſed ridiculâ ratione, quam teſte Auguſtino (*b*) quondam allegabant Manichæi, ut impunè admitterent & rejicerent ad placitum quædam loca in Epiſtolis Paulinis? *Inde probo*, ait: ſic ipſis exprobrat S. Doctor, *hoc illius eſſe*,

(*a*) Lib. 17. cont. Fauſt. cap. 3.
(*b*) Lib. 11. cont. Fauſt. cap. 2. 3. 4.

Digitized by Google

illud non eſſe, quia hoc pro me ſonat, illud contra me; jam audiamus Janſenianum, Manichæos in hoc paſſu & ſermone imitantem. Probo, S. Auguſtinum hoc loco Semi-Pelagianum, alio Catholicum eſſe: ſed ex quo textu & fundamento hoc probas? quia, inquit Janſeniſta, illo loco eſt contra me, & alio loco pro me.

Tu es ergo regula veritatis? proſequitur Auguſtinus; *itane quidquid contra te fuerit, non eſt verum?* ſiccine nihil in Auguſtino eſt vero vel falſo conſonum, niſi quod vel conſonat vel diſſonat Sectariorum mendaciis?

Quid eſt, continuat S. Doctor ad Fauſtum Manichæum; *quid eſt, quod etiam in hoc conatur fallere imperitos? ut interrogatus, utrum accipiat Apoſtolum Paulum, reſpondeat maximè, & inveniatur minimè.* Quid eſt, vel unde provenit, dico pariter ad Janſeniſtas, quòd etiam in hoc laboretis fallere imperitos, eoſque qui minus ſunt verſati in operibus S. Auguſtini? interrogati enim utrùm accipiatis teſtimonia Magni hujus Africæ Præſulis, reſpondetis, *maximè*, & ſuper omnes alios; plus gloriæ de hujus diſcipulatu quàm de ipſa doctoratûs laurea captatis; pro ejus doctrina quaſi loricati contra Moliniſtas in palæſtram deſcenditis; interim invenitur *minimè* ac nihilo minùs, quàm vos Auguſtinum reſpicere, defendere, profiteri, nam potiſſimam ejus doctrinam negatis, ac maximam partem textuum vobis oppoſitorum exterminatis.

Sed certa ratio eſt, reponit Fauſtus apud eundem S. Auguſtinum; *quâ oſtendam, Paulum Apoſtolum proficiendo mutâſſe ſententiam, & ſcribentem ad Corinthios emendâſſe, quod ſcripſerat ad Romanos* Sic etiam Janſeniſtæ alternatim inferent, *ſed certa eſt ratio*, quâ oſtendemus S. Auguſtinum proficiendo magis ac magis in ſcientia Sanctorum mutâſſe ſententiam, & ſcribentem contra Pelagianos & Semi-Pelagianos emendâſſe, quod ſcripſerat contra Manichæos, vel etiam contra Pelagium in principio ſui Epiſcopatûs. *Sed quâ tandem ratione id oſtendis*, replicat Auguſtinus ad Manichæum; *quia, inquis, non poteſt utrumque verum eſſe, & quod ſcribit in Epiſtola ad Romanos, & quod ait ad Corinthios*: ſic etiam

Digitized by Google

Janſeniſtæ : quia, inquiunt, non poſſunt contradictoria oppoſita verificari, quæ Auguſtinus ſcribit contra Manichæos, & quæ docet contra Pelagianos. *Reſtat ergo*, reaſſumit Auguſtinus contra Fauſtum, *ut nos demonſtremus, quàm poſſit utrumque verum eſſe, & quàm ſibi hæc non ſint contraria.*

Hoc quoque ultimum id ipſum eſt, quod agere meditor; explicando nimirum principaliores textus S Auguſtini, quos hæretici contra veritates noſtræ Religionis obtrudere ſolemne habent. Antequam ad opus progrediar, operæ pretium æſtimo, nonnullas tibi regulas obſervatu neceſſarias præbere ad genuinam intelligentiam SS. Patrum, ſine quibus difficile eſt non errare, & decipi : tres ſunt regulæ magis præcipuæ.

1. Oportet attendere ad ætatem & tempus, quo Sanctus ille Pater, de quo eſt quæſtio, librum à te conſultum conſcripſerit, cùm enim Patres Eccleſiæ homines fuerint, & conſequenter ſucceſſivè, non inſtantaneè perfecti, hinc rationabiliter credendum eſt, ipſos in ætate provectiore magis fuiſſe illuminatos, quàm annis inferioribus, adeò ut eorum ſententiæ poſtremæ & & ultimò prolatæ ſemper ſint firmiores, ac ſecuriores. Hæc regula vix locum habet reſpectu S. Auguſtini, eò quòd reviderit & correxerit volumina ſua in noviſſimis diebus ſuæ Peregrinationis.

2. Si in quibuſdam locis Patrum occurrant expreſſiones duræ, obſcuræ, difficiles intellectu, apparenter exoticæ & exceſſivæ, vel ſi primo intuitu videantur omnino fidei & Eccleſiæ deciſionibus contrariæ, oportet ea loca confrontare, & explorare cum aliis locis, ubi ſanctus Pater clariùs mentem ſuam aperuit : revera nihil abſurdius & à ſana ratione remotius, ac velle de doctrina alicujus S. Patris judicare ex quibuſdam ejus dictis ambiguis & difficilibus, non attendendo mille alias occurrentias, ubi mentem ſuam clariſſimis & nitidiſſimis expreſſionibus inculcavit. Hæc regula plurimùm valet reſpectu S. Auguſtini, prout videbitur in contextu hujus opuſculi.

3. Solicitè conſideranda eſt cauſa & anſa, quæ S. Patrem

induxit ad ſcribendum, idque opus divulgandum, de quo quæritur. Etiam ſæpenumero accidit Eccleſiæ Doctoribus, ut ſacro Zelo rapti contra errores, quos impugnabant, inſtar extaticorum vehementes minúsque regulatas protulerint invectivas, ita ut vix non exceſſerint, & ad alteram hæreſi impugnatæ extremè oppoſitam hæreſim inadvertenter declinaverint, quod ſapiens quidam Epiſcopus ſpeciatim S. Auguſtino tribuit. „ Hoc eſt enim Auguſtino peculiare, *ait*, „ (*a*) ut cùm aliquem errorem expugnat, tantâ vehementiâ exaggerat, ut oppoſito cauſam præbere videatur. Ita cùm Arium „ inſectatur, videtur favere Sabellio, cùm Sabellium, Ario, cùm „ Pelagium, Manichæis, cùm Manichæos, Pelagio. „ S. Auguſtinus, teſte S. Bonaventura (*b*) „ extrema vehementiâ, & hoc „ valde abundanter ſe exprimit, plus dicens, & minùs volens in„ telligi; nec ſine cauſa loquitur ſic, hoc enim facit ad extir„ pandam hæreſim. „

Quapropter nemo miretur, ſi in tractatibus Afrcani Doctoris, quos contra Pelagianos compoſuit, reperiantur tot loca ad apparentiam Janſeniſmo amica, cùm Janſeniſtarum errores ſint totaliter oppoſiti erroribus Pelagianorum. Innocens averſio S. Auguſtini contra hos gratiæ hoſtes, & Zelus ignitus, quo erat ſuccenſus pro defenſione gratiæ ex Jeſu Chriſto, eoúſque rapiebant & tranſportabant Spiritum ejus, ut ſubinde in pleno calore diſputationis quibuſdam terminis ſit uſus minus exactis, ſi rigoroſè examines, licet reipſa ſint inſigniter Catholica, & eminenter Orthodoxa, quæ dicit & ſcribit: præterquàm, quòd difficultas materiarum, ac ardua earum tractatio non modicùm contribuerit, ſi ſubinde nonnihil æquivocus & ambiguus in ſuis expreſſionibus appareat, ac exinde non difficulter in ſenſum malignum detorqueri valeat. Cùm igitur non ſit objectum adeò delicatum magisque ſpinoſum, quàm illud de prædeſtinatione & gratia, mirum non eſt, ſi in tot diverſis tractatibus, quos S. Auguſtinus hac de

(*a*) Corn. Muſſ. in cap. 5. Epiſt. ad Rom.
(*b*) S. Bonav. 2. d. 33. a. 3. ad 1.

non

materia contexuit, intricantia quædam occurrant, præoccupatis non mediocriter ad ſpeciem ſuffragantia.

Hoc ipſum eſt, quod S. Doctor non obſcurè prævideraτ; (*a*) „ arbitror ſanè, *inquit*, nonnullos tardiores in quibuſdam lo„cis librorum meorum opinaturos, me ſenſiſſe, quod non ſenſi, „ aut non ſenſiſſe, quod ſenſi; quorum errorem mihi tribui non debere „ quis neſciat? ſi velut me ſequentes, meque non apprehendentes „ deviaverint in aliquam falſitatem, dum cogor per quædam denſa „ & opaca viam carpere, quandoquidem nec ipſis Sanctis divinorum „ librorum authoritatibus ullo modo quiſquam rectè tribuerit tam „ multos & varios errores hæreticorum, cùm omnes ex eiſdem Scrip„turis ad illos tuendos authoritatem ſibi vendicare conentur. „

Jam ergo demonſtrandum ſupereſt, Novatores Auguſtinum legere, nec intelligere, Auguſtinum ſecutos eſſe, nec aſſecutos; nullo modo aut jure eorum errores poſſe Auguſtino tribui, ejus authoritatem nullatenus horum cauſæ propitiam eſſe. Hoc eſt quod ſuccurrente Cælo deinceps me præſtiturum polliceor, explicando difficillimos textus hujus S. Patris, quos Janſeniſtæ vel adducunt, vel poſſent adducere.

En ordinem, quem in hâc expoſitione ſervare aggredior. Statim primo ingreſſu pono in duabus diverſis columnis quaſdam ſententias S. Auguſtini, quæ evidenter ſtabiliunt veritates noſtræ fidei, ac opponuntur illis ſententiis ex adverſo, quæ videntur his veritatibus exprobrare, & apparenti contradictione in faciem reſiſtere: quod quidem ita perficio ex quatuor cauſis, ad quas diligenter attendas velim.

I. Ut te convincam de eo, quod dixeram in Epiſtola præcedente quoad loca ibidem citata, nimirum non ibi inſeri niſi partem textuum, qui modernis erroribus opponi poſſent.

II. Ut mundanæ quædam perſonæ, & etiam nonnulli aliqualiter Theologia tincti comprehendant ex tactili oppoſitone textuum in diverſis columnis conſtitutorum, non penes ipſos eſſe, nec tenui eorum capacitati congruere, ut penetrent profundam Mag-

(*a*) Lib. de Trinit. cap. 3.

ni Auguſtini doctrinam, ſed quòd deceat, hanc curam relinquere Epiſcopis & ſummo Pontifici, cum quorum deciſionibus Theologi Catholici ſemper ſuas explicationes hucuſque menſurare conſueverunt.

III. Ut hac oppoſitione impediam, ne lectio textuum ſpecie-tenus hæreticis faventium, & revera valde difficilium nonnullam creet malignam ideam in eorum intellectu, qui ſolidum illud non attingunt, quod reſponſiones deſuper datæ continent.

IV. Ut hac quoque oppoſitione demonſtrem, explicationem dari ſolitam ad loca Auguſtini ab hæreticis objecta non carere ſua ſoliditate, atque ex urgente neceſſitate ſic explicanda eſſe, niſi velimus S. Auguſtinum effronter mendacem, ſibique inextricabiliter repugnantem & contradictorium.

Feci poſtea quaſdam annotationes ac reflexiones, in quibus nonnulla principia ex S. Auguſtino eruta pro baſi & fundamento dandæ explicationis conſtituo. Poſthæc procedo ad explanationem unius textûs poſt alterum, & quidem ſit hæc explanatio Auguſtini per ipſum Auguſtinum, cujus etiam authoritatem applico pro robore & confirmatione meæ explicationis, non enim alium teſtem adhibeo, cùm ipſemet ſibi ſufficiat, ſitque teſtis omni exceptione major, ac irrefragabilis Verborum ſuorum interpres.

Ex his omnibus conjicias Amice! nil te perdidiſſe tamdiu expectando, nec me tamdiu differendo reſponſum aliud intentâſſe, niſi ut nihil perderes eorum, quæ plenè tibi ſatisfacerent, & quæ tibi ultra tuam expectationem communicatem. Ne igitur affectum & reſpectum meum erga te ſuſpectum habeas, dum interim perſevero tuus in Chriſto &c. Vale.

P. S. Liceat mihi hac occaſione ſalutem dicere in Domino ſempiternam Theologo illi, à cujus pendes conſiliis, precando, ne graveris illi intimare ex me ſuccinctam S. Auguſtini admonitionem. (*a*) „ Quoniam video te interrogatis meis reſpondere non poſſe, & „ me aliquid interrogare voluiſſe: ecce ſatisfacio tibi, dummodo „ memineris, te ad id, quod interrogavi, non reſpondiſſe.

(*a*) Lib. cont. Fortun. diſp. 3.

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

DE POSSIBILITATE MANDATORUM DEI.

LOCA EVIDENTER CONFORMIA ECCLESIÆ DECISIONIBUS.

I.

NOs quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus; ita ut liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vivitur, propter juſtum Dei judicium ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus. *Lib. 2 cont. Fauſt. cap. 5.*

LOCA APPARENTER CONTRARIA ECCLESIÆ DECISIONIBUS.

I.

ILle ſic factus eſt, ut nihil omnino voluntati ejus reſiſtere poſſet, ſi vellet præcepta ſervare: Poſtquam autem libera ille voluntate peccavit, nos in neceſſitatem peccandi præcipitati ſumus. *Diſp. 2. cont. Fortunat. Man.*

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

II.

Ubi dicitur; noli hoc, noli illud; & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum domonſtratur arbitrium: Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque, cùm peccat; neque cum aliquid ſecundùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. *Lib. de grat. & liber. arbit. cap.* 2.

III.

Eſſe autem liberum arbitrium atque inde peccare quenquam, ſi velit, non peccare, ſi nolit, non ſolùm in divinis Scripturis, ſed etiam in verbis ipſius Manichæi tibi probo. *Lib.* 2. *act. cum Fel. cap.* 3.

IV.

Quis enim dubitaverit, quòd Judas Chriſtum, ſi voluiſſet, non utique tradidiſſet, & Petrus, ſi voluiſſet, ter Dominum

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

II.

Per arbitrii libertatem factum eſt, ut eſſet homo cum peccato, ſed jam pænalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſſitatem: Unde ad Deum fides clamat: *de neceſſitatibus educ me* ..... ſub quibus poſiti vel non poſſumus, quod volumus intelligere, vel quòd intellexerimus, volumus, non valemus implere. *Lib. de perf. juſt. cap.* 4.

III.

Non habet homo in poteſtate, ut bonus ſit, ſive non videndo, qualis eſſe debeat, ſive videndo, & non valendo eſſe, qualem debere eſſe ſe videt. *Lib.* 3. *de liber. arbit. cap.* 18.

IV.

Secutus eſt Dominum Petrus paſſurum, ſed tunc non potuit ſequi paſſurus: Promiſit ſe moriturum cum illo, & non po-

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

non negâſſet; ſed ideo fuit de iſtis certa prædictio, quia Deus futuras prævidet voluntates. *Lib. de unitate Eccleſiæ cap. 9.*

LOCA APPARENTER CONTRARIA &c.

tuit nec cum iſto: Plus enim auſus erat, quàm ejus capacitas ſuſtinebat: plus promiſerat, quàm poterat. *Serm. 106. de div. cap. 1.*

V.

Hanc enim ignorantiam, & difficultatem ſtudioſis & benevolis evincendam ad coronam gloriæ valere præſtaret; negligentibus autem & peccata ſua de infirmitate defendere volentibus, non ipſam ignorantiam, difficultatémque pro crimine objiceret; ſed quia in eis potiùs permanere, quàm ſtudio quærendi, & orandi ad veritatem, & facilitatem pervenire voluerunt, juſto ſupplicio vindicaret. *Lib. 3. de lib. arb. cap. 20.*

V.

Per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat; Quia & ipſa ignorantia, in his, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in his autem, qui non potuerunt, pæna peccati eſt: Ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio. *Epiſt. 105.*

VI.

Quid eſt; ſi non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent? Nunquid ſine peccato erant Judæi, antequam Chriſtus ad eos in carne veniſſet? Quis hoc vel ſtultiſſimus

VI.

Illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credi-

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.	LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.
dixerit? reſpondeo; habere illos excuſationem, non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, at illi, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus. *Tract.* 84. *in Joan.*	dit, quia non audivit omnino quod crederet; ſed fortaſſis, ut mitiùs ardeat: Non enim ſine cauſa dictum eſt: effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt. *Lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 3.
VII.	**VII.**
In illis, qui non audièrunt, neque potuerunt, pæna peccati eſt non credere non autem peccatum. *Epiſt.* 10.	Neceſſe eſt, ut peccet, qui neſciendo, quid facere debeat, quod non debet facere, facit. *Lib.* 2. *oper. perf. cap.* 106.
VIII.	**VIII.**
Non enim quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur in reatu; ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignam facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit.	Si quis bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit hoc putando, utique peccat: & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſquis benè fieri putat, quod malè fit. *Epiſt.* 154.

Digitized by Google

EXPLICATIO.

OBſerves I. *Peccatum* eſſe nomen, ſeu terminum æquivocum, cùm dupliciter ſumi poſſit, aut materialiter, aut formaliter: *peccatum* materialiter ſumptum eſt dictum, factum, vel concupitum, licèt in ſe legi divinæ contrarium, *nobis tamen non deputatum ad culpam*, ut cum (*a*) Auguſtino loquar, & hoc præciſe, quòd tale peccatum non ſit veſtitum requiſitis ſuis circumſtantiis, ut re-ipſa coram Deo culpabiles ſimus, quæ circumſtantiæ procul dubio ſunt cognitio intellectûs & conſenſus voluntatis: Econtra *peccatum* formaliter ſumptum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem divinam nobis imputatum ad culpam, cùm ſit veſtitum neceſſariis ſuis circumſtantiis, nos coram Deo reos conſtituentibus. Peccatum materiale eſt malum in ſe ipſo nec tamen committentem reddit malum, formale verò eſt malum & in ſe ipſo & in committente. Illud verius dicitur defectus, quàm peccatum, hoc verò propriè peccatum dicitur.

Nil adeò clarè expreſſum habetur in Auguſtino, ac allata diſtinctio in peccatum cum culpa, & ſine culpa, quod poſterius potius defectus, ſeu vitium appellari debet. „ Si hæc tria diſ„cernas, *ait Auguſtinus*, (*b*) & ſcias aliud eſſe peccatum, aliud „ pæna, aliud utrumque ...... intelliges, quòd horum trium per„tineat ad illam definitionem: nempe peccatum eſt id, unde li„berum eſt abſtinere: Peccatum namque iſto modo definitum eſt, „ non pæna peccati, non utrumque horum ſanè trium, ſi requi„runtur exempla, primi generis in Adam ſine ullo modo quæſtio„nis occurrit: Secundi autem generis, ubi tantummodo eſt pæna „ peccati, exemplum in eo malo eſt, quod quiſque ex nulla par„te agit, ſed tantummodo patitur; velut cum pro ſuo ſcelere, qui

(*a*) Lib. 3. de lib. arbit. cap. 19.
(*b*) Oper. perf. cap. 47.

Digitized by Google

„ peccavit, occiditur, ſive cruciatur: Tertii verò generis, ubi „ peccatum ipſum eſt & pœna peccati, poteſt intelligi in eo, quod „ nolo malum, hoc ago „: hoc ultimum ipſemet Auguſtinus explicat. (*a*) *Quod nolo hoc facio* ...... *hoc de concupiſcentia carnis dicitur.* Item alio loco (*b*) „ & peccatis de ignorantia, vel affectionum „ neceſſitate venientibus, quæ jam non ſolùm peccata, verùm „ etiam pænæ ſunt peccatorum.

Jam verò, licèt S. Auguſtinus dicat, malignas actiones ex ignorantia, ſive motibus concupiſcentiæ indeliberatis factas eſſe peccata & ſimul pænas peccati, non tamen exinde ſupponendum, quaſi diceret, eſſe peccata formalia, quæ nos veraciter reos coram Deo efficiant, nimis enim expreſſe deſuper ſe explicat, ut vix momento de ipſius mente hæſitaveris, ſi ita loquentem audias (*c*) „ Cùm verò non finit regnare peccatum in ſuo mortali „ corpore, ad obediendum deſideriis ejus, ineſt quidem peccatum „ in membris ejus, ſed non regnat, quia non obeditur deſideriis „ ejus; & ideo dum non quod vult, agit, id eſt, non vult con„ cupiſcere, & concupiſcit, conſentit legi, quia bona eſt; hoc „ enim vult, quod & ipſa lex, quia vult ipſe non concupiſcere, „ & lex dicit, non concupiſces. Concupiſcit tamen, quia non „ eſt ſine peccato; ſed jam ipſe non operatur illud, ſed id, „ quod in illo habitat peccatum. Ideo non ipſum reprehendit cor „ ejus in omni vita ſua ...... non ergo reprehendit eum cor ejus, „ quando reprehendit peccatum, quod habitat in membris ejus. „

Itaque juxta S. Auguſtinum datur genus peccati, quod optaremus in nobis non habitare, & quo neceſſitamur. Verùm hoc eſt peccatum impropriè dictum, quod non facimus, ſed patimur, quod nobis conſcientia non exprobat, nec nos deſuper reprehendere debet, & conſequenter per illud nequaquam, coram Deo ſontes efficimur. Sed quid & quale eſt hoc peccatum paſ-

(*a*) Lib. 1. retract. cap. 15.
(*b*) Lib. 1. oper. perf. cap. 105.
(*c*) Lib. de perf. juſt. cap. 11.

ſivum

ſivum & improprium ? eſt concupiſcentia ; reſpondet adhuc clarius noſter S. Doctor (*a*) „ quamvis jam non eo modo appel-„ letur peccatum , quo facit reum , ſed quòd ſit reatu primi „ hominis factum , & quod rebellando nos trahere nititur ad „ peccatum. (*b*) Si enim , *ait alio loco* , illa concupiſcentialis in-„ obedientia abſque culpa eſt in corpore dormientis ..... quan-„ tò magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis ? „

Verùm , inquies , ex qua ratione S. Auguſtinus ignorantiam & concupiſcentiam vocat peccatum , ſi tamen revera peccatum non ſint ? Reſpondeo , hoc fieri ex triplici cauſa benè notanda. I. Propter hæreſes Pelagianorum , quos acriter inſectabatur , & qui nolebant agnoſcere naturam humanam ullatenus corruptam , aut per peccatum Adami contra legem & regulas depravatam : quam fidei veritatem nunquam S. Auguſtinus ſat efficaciter propugnâſſet ſimpliciter dicendo , ignorantiam , & concupiſcentiam eſſe ſolummodo pænas peccati , non verò peccata , hoc eſt , reales & actuales defectus , ſeu vitia , cùm ſola pæna peccati ut ſic hominem , qui illam ſuſtinet , non reddat defectuoſum , aut irregulatum. II. Quia omne , quod eſt difforme legi divinæ , in ſe ipſo vitioſum eſt & vituperabile , & omne quod tenemur vincere , ſupprimere , refrænare ſuo modo & ſenſu poteſt ac debet appellari peccatum , talia ſunt ignorantia & concupiſcentia hominis hæreditaria ; conſequenter merentur in certa ſua ſignificatione nominari peccata. III. Quia tum ignorantia tum concupiſcentia ſunt effectus & cauſa peccati ſub differenti reſpectu; ex peccato enim naſcuntur , & peccatum generant : ſic enim Auguſtinus ; (*c*) *quòd ſit reatu primi hominis factum , & quod rebellando nos trahere nititur ad peccatum.*

Nam prout rurſum & admirabiliter loquitur S. Auguſtinus: (*d*) „ ſi linguam dicimus non ſolùm linguam , quæ movetur in

(*a*) Lib. 2. cont. Jul. cap. 9.
(*b*) Lib. 1. de civit. Dei cap. 25.
(*c*) S. Aug. l. c.
(*d*) Lib. 3. de lib. arbit. cap. 19.

Digitized by Google

„ore, dum loquimur, ſed etiam illud, quod hujus membri „motum conſequitur, id eſt, formam, tenoremque verborum; „ſecundùm quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina: „ſic non ſolùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur „peccatum, ſed etiam quod jam de hujus ſupplicio conſequatur, „neceſſe eſt.

Obſerves II. quòd neceſſitas peccandi, vel impoſſibilitas non peccandi dupliciter intelligi valeat, vel in occaſionibus aut tentationibus ſingularibus alternatim, ſucceſſivè & quaſi diſtributivè homini occurrentibus, vel in occaſionibus aut tentationibus collectivè ſumptis longo temporis tractu ac totius vitæ decurſu quaſi in unam maſſam confluentibus. S. Auguſtinus dilucidè mentem ſuam deſuper explanat. (*a*) „Aliud eſt, *inquit*, „recedere ab omni peccato, quod nunc in opere eſt; aliud re„ceſſiſſe ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit, „hoc eſt in paradiſo.

Et quidem re ipſa ingens intercedit diſcrimen utrobique licèt enim V. G. ineptus jaculator aut ſclopetarius, vel viſu luſcus, vel manu tremulus quolibet ictu particulari metam ingrediatur, attamen impoſſibile eſt, quin non aliquoties à meta aberret, ſi frequentiùs aut diuturniùs ſuos ictus & jaculationes repetat, niſi fortè à ſuperiore manu dirigatur; Ita pariter, licèt homo poſſit evitare peccata univerſa diſtributivè ſumpta, nihilominus moraliter eſt impoſſibile tum reſpectu debilis & depravatæ naturæ, tum intuitu ubique ſe præſentantium & quaſi ad offenſam Dei invitantium & urgentium occaſionum ut penitus omnia devitet abſque ſpecialiſſimo & extraordinario Dei auxilio.

In hoc maximè & principaliter conſiſtit differentia ſtatûs naturæ corruptæ, & integræ; in natura integra homo faciliter abſtinere poterat ab omni peccato, cùm ejus intellectus fuerit abſque tenebris, ejus voluntas abſque debilitate, ejus membra abſ-

(*a*) Lib. de perf. juſt. cap. 13.

que vehementi motu concupiſcentiæ: Econtra in ſtatu naturæ corruptæ protracto temporis ſpatio non erit homo ſine peccato propter ingentes miſerias, quibus ſubjacet, niſi opitulante ſpecialiſſimo ſuccurſu ex alto.

„ Nemo igitur dicat, *concludit S. Auguſtinus* (*a*) ſe poſt „ acceptam remiſſionis gratiam ita juſtè vivere poſſe, ut nullum „ habeat omninò pecccatum, nec egeat oratione illa, *dimitte no-* „ *bis debita noſtra*; quaſi verò nunquam vel in lapſu linguæ, „ vel in oblectanda cogitatione concupiſcentiæ deſideriis conſen- „ tiremus ..... neque enim in bono ſumus, dum in hoc ſæculo „ vivimus. „

Obſerves III. duas dari ſpecies neceſſitatis, vel impoſſibilitatis; una vocatur neceſſitas, ſeu impoſſibilitas abſoluta & Phyſica, quæ nullo modo poteſt ſuperari: altera dicitur moralis, quæ ſtrictè loquendo vinci poteſt, ſed non abſque difficultate, de hac teſtatur S. Anſelmus (*b*) *Sæpiſsimè aſſerere ſolemus nobis impoſſibile eſſe, quod ſine difficultate perficere non valemus.* talis eſt neceſſitas, in qua plerùmque verſamur, quæ nihil aliud indicat niſi prægrandem difficultatem non ſuccumbendi tentationibus; per quod tamen nolo defendere, gratiam ex Chriſto ſolum deſervire, ut faciliùs agas, hoc enim dicere foret Pelagianum; ſed quia Deus ex inveſtigabilibus Sapientiæ ſuæ viis & judiciis gratias diſtribuens in numero, pondere & menſura ſæpe non adeo potentes largitur, quæ penitus tollant difficultatem, cùm etiam iis præſentibus adhuc notabilem ſentias repugnantiam.

Inde venit, quòd S. Auguſtinus tractans de impedimentis obſervantiæ divinæ legis à concupiſcentia interjectis ferè ſemper utatur hoc termino *difficultas*, & rariſſimè iſto *impoſſibilitas*, etiam frequentiſſimè excludit terminum illum *neceſſitas*, prout paſſim videre eſt in ejus libro tertio de libero arbitrio, ubi plus quàm nullibi de *neceſſitate* ſermocinatur: „ Omni peccanti animæ, in-

(*a*) Lib. de perf. juſt. cap. 1.
(*b*) Lib. de conc. cap. 20.

Digitized by Google

„ quit (*a*), iſta pænalia ſunt, ignorantia, & difficultas .... ut „ autem de illo primo conjugio, & cum ignorantia, & cum „ difficultate, & cum mortalitate naſcamur: *item eodem loco*, „ Quamquam in ignorantia, & difficultate nata ſit, non tamen „ ad permanendum in eo, quod nata eſt, aliqua neceſſitate com„primitur. ...... omnis anima intelligit enitendum ad evincen„ dum rectè faciendi difficultatem „.

Obſerves IV. Neceſſitatem peccandi, ſive impoſſibilitatem mandatorum poſſe conſiderari in homine vel tanquam roborato per gratiam, vel tanquam derelicto naturalibus liberi arbitrii viribus: quando S. Auguſtinus loquitur de impoſſibilitate, nunquam eam intelligit niſi de homine conſiderato in ſuis puris naturalibus; nam de hoc ſolo diſputabat cum Pelagianis prætendentibus, hominem ſolis naturæ viribus poſſe operari bonum, & evitare malum, ſi velit.

Idcirco S. Doctor paratus eſt Pelagio amicus fieri, dummodo fateatur qualemcunque illam poſſibilitatem à Deo eſſe.

Sic loquitur: „ Hanc poſſibilitatem non peccandi, quan„ tumcunque eſt vel erit in homine, non niſi Deo debere impu„ tari: hoc nos dicimus. Jungamus dexteras „: (*b*) imo eodem loco concedit S. Pater, Pelagium juſtè aſſerere, quod homo poſſit eſſe ſine peccato, ſi velit „ ſed hoc unde ſit poſſibile fateatur, „ & pax erit. Ipſa eſt enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum, quâ „ omnino iſte (Pelagius) nos orantes adjuvari, ut non pecce„ mus, nunquam dicere voluit „.

Adhuc apertiùs ſe explicat S. Auguſtinus, quando reſpondet ad illud Iſaiæ, (*c*) *ſi volueritis, & audieritis, bona terra comedetis.* quo textu Pelagiani nitebantur evincere, ſolis arbitrii viribus nos poſſe bonum facere. „ Quid eis prodeſt? *quærit* „ *S. Pater*; ſic enim volunt intelligi, quod dictum eſt, ſi volue„ ritis, & audieritis, tanquam in ipſa præcedente voluntate ſit

(*a*) Lib. 3. de lib. arbit. cap. 8.

(*b*) Lib. de natura & grat. cap. 48.

(*c*) Lib. 4. ad Bonif. cap. 6.

Digitized by Google

„ conſequentis meritum gratiæ, ac ſic gratia jam non ſit gratia. „ Si autem ſic intelligerent, quod dictum eſt, ſi volueritis &c. „ ut etiam ipſam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, „ de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Domino, tanquam „ Catholici uterentur hoc teſtimonio, & non ſolùm hæreſim ve- „ terem Manichæorum, ſed novam Pelagianorum contererent.

Obſerves V. quoad loca, quæ Janſeniſtæ afferunt ad probandum, ignorantiam non excuſare à peccato, licèt in hac ignorantia præcepta divina nobis ſint impoſſibilia, obſerves, inquam, duas eſſe ſpecies ignorantiæ: Una invincibilis & involuntaria, altera vincibilis & voluntaria. Invincibilis eſt, quando nunquam ne minimam Ideam aut anſam habuiſti te informandi de re aliqua, vel ſi eam habuiſti, omni rationabili conatu quod verum eſt quæſiviſti, nec tamen inveniſti: Ignorantia vincibilis eſt, quando non niſi ex te dependebat, ut ſcires, ac non niſi propriâ tuâ negligentiâ deceptus es.

Datur adhuc alia duplex ſpecies ignorantiæ ſive vincibilis: ſive invincibilis nimirum ignorantia juris, & ignorantia facti: labroas ignorantiâ juris, ſi neſcias mandata V. G. eſſe prohibitum veſci carnibusdie Veneris. Ignorantiâ facti teneris, quando noſcis quidem præceptum, ſed ignoras te illud violare: V. G. manducando carnes putans eſſe piſces.

Inſuper diſtinguitur ignorantia juris in ignorantiam juris naturalis, & poſitivi: per jus naturale intelligitur illud lumen rationis, quo diſcernis inter bonum & malum: per poſitivum intelligitur lex vel à Deo lata, vel ab hominibus, vicariâ Dei authoritate præditis.

Concedunt Janſeniſtæ ignorantiam invincibilem ſive facti ſive juris divini aut humani excuſare à peccato, non tamen ignorantiam juris naturalis: quia ajunt, hæc ignorantia eſt quid conſequens neceſſarium ad peccatum originale, quæ, cùm in Adamo nobis facta ſit voluntaria, ideo eſt pæna peccati, nec ceſſat in nobis eſſe verum & formale peccatum. Hoc principium

Digitized by Google

eſt doloſum & mendax, quod, cùm nimium probet, nihil probat. Nam exinde non ſolùm ſequeretur, actiones in amentia & phreneſi commiſſas eſſe vera peccata, ſed etiam illas, quæ fiunt in ignorantia invincibili Facti vel juris poſitivi, quod tamen nolunt Novatores; ratio eſt, quia amentia, phreneſis & ignorantia cujuscunque naturæ etiam ſunt effectus peccati originalis, nobiſque, dici poſſunt voluntariæ æquè ac ignorantia juris naturalis: omnibus his alta mente obſervatis.

Reſp. Ad quatuor priores S. Auguſtini textus, ubi dicit I. ,, Poſtquam primus homo libera voluntate peccavit, nos in ne-,, ceſſitatem peccandi præcipitati ſumus. II. Pænalis vitioſitas ſub-,, ſecuta ex libertate fecit neceſſitatem. III. Non habet ho-,, mo in poteſtate, ut bonus ſit. IV. S. Petrus non potuit ſequi ,, Chriſtum paſſurus, plus promiſerat, quàm poterat.

Reſpondetur, inquam, ad omnes has illationes. I. S. Auguſtinum per impoſſibilitatem legis divinæ aut neceſſitatem peccandi frequentiùs intelligere tranſgreſſiones materiales legis, non formales; item peccata impropriè dicta, quæ nos reddant defectuoſos & immoderatos, non criminoſos. II. per neceſſitatem peccandi formaliter & propriè vult neceſſitatem peccandi reſpectu collectionis omnium occaſionum ac tentationum longo temporis ac vitæ intervallo ſe præſentantium, non verò reſpectu occaſionum actualium & particularium diſtributivè occurentium. III. etiam in his ſtatim dictis occaſionibus & tentationibus diſtributivè ſumptis non aliam aſtruit impoſſibilitatem niſi moralem, hoc eſt, ingentem difficultatem, non verò impoſſibilitatem abſolutam. IV. tandem, ſi de abſoluta loquatur impoſſibilitate, non aliter eam vult aſſerere, niſi reſpectu actionum & obligationum ſupernaturalium *ſine ſuccurſu gratiæ*.

Hæc ultima reſponſio videtur omnium optima & maximè naturalis, quâ ſæpius uti poſſis ſecundùm diverſas ſpecies *neceſſitatis*, quarum S. Auguſtinus meminit: Hoc unico, *ſine gratia*, diſparebunt omnes Janſeniſtarum objectiones tanquam fumus aut fo-

Digitized by Google

lium , quod vento rapitur. Præcipitati ſumus in neceſſitatem peccandi *ſine gratia* : Vitioſitas ex libertate peccandi fecit neceſſitatem *ſine gratia.* S. Petrus plus promiſerat, quàm poterat *ſine gratia* : ita de pleriſque hujus generis & naturæ expreſſionibus.

Ad quintum : „ Inexcuſabilis eſt omnis peccator, ſive qui no„ vit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat „. Reſpondetur, Non aliud hoc loco eſſe intentum S. Doctoris, niſi impetere errorem Pelagianorum , qui negantes peccatum originale prætendebant , non ſolùm parvulos ſine baptiſmo mortuos ad gloriam æternam perventuros , ſed etiam ipſos Paganos excuſabiles fore in divino judicio , dicendo *non audivimus* , *ideo non credidimus*. Hoc aſſertum Pelagianum exagitans Auguſtinus proteſtatur , etiam hanc ignorantiam licèt invincibilem Paganos non poſſe coram Deo juſtificare , cùm pæna peccati , qualis eſt etiam hæc ignorantia , non excuſet ab ipſo peccato : quod ita intelligendum eſt , non quaſi S. Auguſtinus diceret , ignorantiam myſteriorum noſtræ fidei imputandam fore illis in peccatum , quibus impoſſibile fuit ea addiſcere ; ſed quia , licèt non ſint culpabiles peccato infidelitatis , ſunt ſaltem maculati peccato originali , ac omnibus aliis contra legem naturæ perpetratis , propter quæ juſtè excludentur à gloria æterna , ac immergentur flammis infernalibus.

Ut nullum tibi dubium remaneat , hanc fuiſſe mentem S. Auguſtini , attentiùs ruminare illud , quod eodem loco fuſiùs proſequitur his verbis (*a*) „ Non audivimus , ideo non credi„ dimus , Dei tamen judicium nec illis parcit , qui non „ audierunt ; quicunque enim ſine lege peccaverunt , ſine lege peri„ bunt. Et quamvis ſe ipſos excuſare videantur , non admittit „ hanc excuſationem : „ & quare non admittit ? fortè prout volunt hæretici (non advertentes , quod ſibi ipſis contradicant) quia ignorantia invincibilis Evangelicæ legis eſt formale peccatum ? minimè ; ſed „ quia Deus ſcit ſe feciſſe hominem rectum , eique „ obedientiæ dediſſe præceptum ; nec niſi ejus , quo malè uſus eſt ,

(*a*) Epiſt. 105.

„ libero arbitrio, etiam, quod tranſiret in poſteros, manſiſſe pec„catum : neque enim damnantur, qui non peccaverunt, Quan„doquidem illud ex uno in omnes pertranſiit, in quo antè pro„pria in ſingulis quibuſque peccata omnes communiter peccave„runt, ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator vel propter „peccatum originale, vel reatu originis, vel additamento etiam „propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui „judicat, ſive qui non judicat: quia & ipſa ignorantia in his, „qui intelligere noluerunt, peccatum eſt; in his autem, qui non „potuerunt, pæna peccati eſt „ non verò juſtificatio aut remiſſio peccati: ergo concludit S. Auguſtinus: *In utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio*; vel propter ignorantiam vincibilem myſteriorum fidei noſtræ, vel propter peccatum originale & alia actualia contra legem naturalem commiſſa.

Ad ſextum. „ Illa ignorantia ..... neminem ſic excuſat, „ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia „non audivit omnino quod crederet„. Reſpondetur S. Doctorem hic loci intelligere ignorantiam vincibilem myſteriorum noſtræ Religionis.

Hoc patet I. ex illis verbis, *qui tanquam ſimpliciter neſciunt*: Certum eſt enim invincibiliter ignorantes dici illos, qui *ſimpliciter* neſciunt; cùm verò adjiciat adverbium *tanquam*, indubitatum eſt, eum loqui de alia ignorantia, qualis eſt eorum, qui non quidem poſitivâ & affectatâ malitiâ reſpuerunt inſtructionem, attamen eam neglexerunt, tales enim reputantur *tanquam* ſimpliciter neſcientes.

Hoc patet II. quòd illi, qui laborant hâc ignorantiâ, *fortaſſis mitiùs ardeant* juxta Auguſtinum. Si enim loqueretur de ignorantia invincibili, nunquid adjunxiſſet hoc *fortaſſis*? nequaquam. Eſt etenim evidens, quòd ille, qui ignoranter invincibiliter peccaret, minùs rigoroſè puniendus foret, ac ille, qui malitioſè peccat : ideò manifeſtum eſt ex hoc *fortaſſis*, S. Auguſtinum verſari circa ignorantiam vincibilem, non quidem affectatam, ſed

craſſam,

Digitized by Google

craſſam, quæ poteſt eſſe talis conditionis & naturæ, ut peccatorem excuſet aliquo modo, non à *toto*, ſed à *tanto*, juxta linguam Theologorum, & ſic conſecutivè temperet rigorem ſuppliciorum.

Ad ſeptimum & octavum. „ Neceſſe eſt, ut peccet, qui „ neſciendo, quid facere debeat, quod non debeat facere, facit. „ *Item*: ſi quis bonum putaverit eſſe, quod malum eſt, & fe- „ cerit hoc, putando utique peccat. „ Reſpondetur: Quòd, cùm S. Pater expreſſè non intimet, de qua velit loqui ignorantia, meritò ſupponendum ſit, eum intelligere ignorantiam invincibilem, ideò, quia in centum aliis locis ſuorum operum repetens repetit, omne peccatum neceſſariò debere liberum & voluntarium eſſe: „ Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo „ ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium; & hoc quidem mani- „ feſtum eſt &c. (*a*) *Item*: „ Quis enim peccat in eo, quod nullo „ modo caveri poteſt? peccatur autem? caveri igitur poteſt. „ Sed quidquid ſit, loquatur de quali velis ignorantiâ, ſemper tamen verùm eſt in ſuo ſenſu, ſi dicas, eum, qui peccat per ignorantiam ſive vincibilem ſive invincibilem, peccare neceſſariò.

Nam in ignorantia vincibili peccat neceſſariò, quia cùm homo agere non poſſit, niſi conſequenter ad ſuas cognitiones; hinc ſi judicat malum, neceſſariò agit malum; ejus actio malitioſa non obſtante hac neceſſitate pergit eſſe peccatum proprium & formale; quamvis enim hæc actio non ſit libera in ſe ipſa, eſt tamen libera in ſua cauſa, quæ fuit voluntaria; non enim ignoravit, niſi quia voluit, eſtque in hoc ſimilis Clerico voluntariè ſuum breviarium in mare mittenti, qui quamvis officium ſuum jam non amplius recitare valeat, peccat tamen.

In ignorantia verò invincibili adhuc neceſſariò peccat certo ſuo modo: hoc tamen peccatum non eſt illius naturæ, cujus ſunt ea peccata, quæ Auguſtinus appellat peccata ſola, ſed eſt peccatum, & ſimul pæna peccati; id eſt peccatum materiale, ſive

(*a*) Lib. 3. de lib. arb. cap. 18.

Digitized by Google

actio mala & vituperabilis in ſe ipſa, cùm ſit legi Dei contraria; non tamen hominem coram Deo reum aut criminoſum conſtituit, eò quòd ſit peccatum involuntarium.

„ Nam, *ait S. Auguſtinus* (*a*) & qui neſciens peccavit, „ non incongruenter nolens peccare dici poteſt; quamvis & ipſe, „ quod neſciens fecit, volens tamen fecit: ita nec ipſius eſſe po- „ tuit ſine voluntate peccatum .... ſed voluntate facti, non „ voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim „ factum eſt, quod fieri non debuit: jam hoc ita peccatum eſt, „ ut ſit etiam pæna peccati. „ hoc eſt, peccatum materiale: cauſam addit, cur id, quod ignoranter peccavimus, vocet peccatum his verbis. (*b*) „ Illud quod ignorans quiſque non rectè facit, & „ quod rectè volens facere non potuit, ideo dicuntur peccata, „ quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: illud „ enim præcedens meruit iſta ſequentia, &c. „

Reſpondetur etiam ad hæc & alia ejuſmodi loca, ubi videtur, S. Auguſtinum velle hominem *peccare neceſſariò*, *quando neſcit*, *quid agere debeat*, reſpondetur, inquam, S. Doctorem ita loqui in ſenſu extremè oppoſito errori Pelagianorum, qui docebant, ignorantiam excuſare à peccato, ſi ſit talis, ut vinci nequeat induſtriâ purè humanâ, licèt gratiâ Dei petitâ & impetratâ ſuperari poſſet. Unde concludebant, neminem obligari, ut ſuccurſum ex alto petat pro vincenda hac ignorantia & evitando peccato, quia juxta ipſos poteſt homo ſine gratiâ Dei ſolis naturæ viribus abſtinere à peccatis.

Videtur hæc explicatio evidens ex iis, quæ S. Auguſtinus dicit in citato capite operis perfecti, quod oportet integrum legere, ut plenè ejus ſenſum capias: poſtquam enim probâſſet per Julianum contra ipſum Julianum, omnes actiones ex ignorantia factas non excuſare à peccato, licèt neceſſariò fiant, tandem ſic concludit. „ Sed quod non vultis audite: à peccatis omni-

(*a*) Lib. 1. retract. cap. 15.
(*b*) Lib. 3. de lib. arbit. cap. 19.

Digitized by Google

„ bus ſive originalibus , ſive moralibus , vel quæ facta ſunt, vel „ ne fiant , non liberat niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Do„ minum noſtrum. In quo regenerati ſumus , & à quo didicimus „ orando dicere , non ſolùm dimitte nobis debita noſtra , id eſt „ quia peccavimus , verùm etiam, ne nos inferas in tentationem, „ id eſt , ne peccemus : non eſt igitur , *ait cap. ſequenti* , impuni„ tatis ſecuritas in neceſſitate peccandi ; ſed ut non obſit iſta ne„ ceſſitas , donat ille , cui dicitur , *de neceſſitatibus meis erue me :* „ donat autem duobus modis , & præteritam dimittendo iniqui„ tatem , & opitulando , ne intretis in tentationem : „ Ex his manifeſté perſpicitur , in diſputatione Auguſtini cum Juliano non diſputari de aliqua neceſſitate omnino inevitabili , vel de ignorantia abſolutè invincibili ſive divinis ſive humanis viribus , ſed de ignorantia , quæ licèt ſit invincibilis fortitudine naturali , ſit tamen ſuperabilis fortitudine gratiæ divinæ , quam implorare debeamus , ut eruamur à noſtris neceſſitatibus , ne peccemus.

Illud quod S. Auguſtinus (*a*) de Pelagio circa hoc ipſum propoſitum dicit , evidentius nos convincit , eum non negare , quod ignorantia excuſet à peccato , niſi in ſenſu erroneo Pelagianorum , non verò in ſenſu Catholicorum : „ Etiam Pelagius , „ *inquit*, tractat de peccatis ignorantiæ , & dicit hominem præ„ vigilare debere , ne ignoret , ideóque eſſe culpandam ignoran„ tiam , quia id homo neſcit ex negligentiâ , quod adhibitâ di„ ligentiâ ſcire debuiſſet : dum tamen omnia potius diſputet , „ quàm ut oret , & dicat : da mihi intellectum , & diſcam man„ data tua. „ Ex quo conjicitur, S. Auguſtinum ideò tantùm reprehendere Pelagium , quòd iſte non velit orationem eſſe neceſſariam ad vincendam ignorantiam & vitanda peccata. Idcircò S. Doctor ſic proſequitur : „ Aliud eſt enim non curâſſe ſcire , „ quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis vi„ debantur expiari : aliud intelligere velle , nec poſſe , & facere

(*a*) Lib. de natura & gratia c. 17.

„contra legem, non intelligendo, quid fieri velit. Unde ad„monemur à Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus affluen„ter ..... Interea Pelagius divinitus eſſe expianda peccata com„miſſa, & pro eis Dominum exorandum eſſe fatetur, propter „ſcilicet veniam promerendam ..... Ut autem adjuvetur volun„tas humana per gratiam, ne peccet, nuſquam dicit. „ Conſtat igitur inter Pelagium & Auguſtinum hoc loco aliam non eſſe diſſenſionem, quàm de neceſſitate petendi à Deo gratiam, ut evitetur peccatum ignorantiæ, non verò de aliqua ignorantia abſolutè invincibili, aut de totali impotentia ſciendi, prout præſumunt Janſeniani.

Cæterùm etiam ad rem pertinet, ſi obſerves allata S. Auguſtini teſtimonia non minùs adverſari Janſeniſtis, quàm Catholicis, cùm doceant ignorantiam invincibilem facti & juris poſitivi excuſare à peccato: Eſt enim evidens in loco quinto & ſexto; S. Auguſtinum non loqui niſi de ignorantia legis Evangelicæ, quæ certè eſt juris poſitivi: in paſſu verò octavo particulariter agit de ſimplici ignorantia facti, prout ex Verbis immediatè antecedentibus patet, quæ ſic ſonant: „ Si quis dubitet de ali„qua carne, utrùm immolatitia ſit: ſi eam cognitionem tenuerit, „quòd immolatitia non ſit, & eâ veſcatur, non utique peccat, „quia non eſt, nec jam putatur immolatitia, etſi antea puta„verat: ſi quis bonum. „ &c.

Quantùm ad ſeptimum locum: ex quo fonte, aut ex quo Auguſtini eloquio probabunt Janſeniſtæ, cum ibi plus tractare de ignorantia invincibili juris naturalis, quàm de quodam alio Jure? nullo ſanè; adeóque difficultates illæ, quas ex Auguſtino movent, ſunt ipſis nobiſcum communes, æquè ipſis ac nobis enodandæ. Quid ergo de illis glorientur? Quid erigunt trophæa? certè canunt victoriam ante prælium.

Digitized by Google

ARTICULUS SECUNDUS.
DE GRATIA SUFFICIENTE.

LOCA EVIDENTER CONFORMIA ECCLESIÆ DECISIONIBUS.

I.

DEus ſemper paratus eſt dare ſuam lucem nobis, non viſibilem, ſed intelligibilem, & ſpiritualem. *Lib. de ſerm. Dom. in monte. cap.* 3.

II.

Quantùm in medico eſt, ſanare venit ægrotum. *Tract.* 12. *in Joan.*

LOCA APPARENTER CONTRARIA ECCLESIÆ DECISIONIBUS.

I.

SCimus gratiam non omnibus dari; & quibus datur, non ſecundùm merita dari. *Epiſt.* 107.

II.

Comunis eſt omnibus natura, non gratia. *Serm.* 11. *de verb. Apoſt. cap.* 4.

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

III.

Quòd omnes homines poſſint, ſi velint (Deo credere, & ad ejus præcepta ſervanda ſe convertere) quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *L. 1. de gen. adver. Manich. cap. 3.*

IV.

Solus autem ille non vocatur à Domino, qui non laborat in hoc ſæculo; ſed quis in hac vita non laborat in peccatis ſuis? ſi autem omnes laborant, omnibus dictum eſt: Venite ad me omnes, qui laboratis: Si autem omnibus dictum eſt, quare culpam tuam tribuis invitatori tuo.

V.

Nulla eſt anima tam perverſa, quæ tamen nullo modo ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus. *Lib. 2. de ſerm. Domin. in mont. cap. 9.*

LOCA APPARENTER CONTRARIA &c.

III.

Et hic quis ſol niſi ſol juſtitiæ, quem ſibi non ortum plangent impii in die judicii, dicentes: ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol non ortus eſt nobis *In Pſal. 103. conc. 3.*

IV.

Nihil huic ſenſui, ſcilicet Apoſtoli dicentis: Quis te diſcernit &c. tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei; ſed gratia, quæ diſcernit bonos à malis, non quæ communis eſt bonis & malis. *Lib. de prædeſt. ſanct. cap. 5.*

V.

Cur illum Deus adjuvet, illum non adjuvet: illum tantùm, illum non tantùm: iſtum illo, illum iſto modo? penes ipſum eſt, & æquitatis tam

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

Deus non ceſſat intus prædicare pacem. *Conc. de Emer.*

VI.

Non permiſit ullum mortalium ſe excuſare de umbra mortis, & ipſam enim penetravit Verbi calor. *In pſal.* 18.

VII.

Cùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis. ..... averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputantur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras. Neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis, iſta tua peccata ſunt: nulli enim homini ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendum eſſe imbecilliratem, ut quærenti, & confitenti ille

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis. *Lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 5.

VI.

Quoniam ut crederent, non eis erat datum, etiam unde crederent, eſt negatum. *Lib. de dono perſev. cap.* 14.

VII.

Quid eſt omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me? niſi nullus eſt, qui audiat, & diſcat à Patre, & non veniat ad me: ſi enim omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me; profectò omnis, qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit, nam ſi audiſſet, & didiciſſet veniret. *Et infrà*: cùm igitur Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt; ſed qui credunt prædicante forinſecus, intonante intus à Patre audiunt, & diſcunt: Qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt: hoc

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.	LOCA APPPARENTER CONTRARIA, &c.
ſubveniat, qui nec errat, dum ſubvenit, nec laborat. *Lib. 3. de liber. arbit. cap.* 19.	eſt, illis datur, ne credant, illis non datur. *Lib. de prædeſt. SS. cap.* 8.

VIII.

Firmiter credat dilectio veſtra, quia Deus nunquam prius deſerit hominem, niſi prius ab eo deſeratur. *Serm.* 88. *de temp.*

VIII.

Obduratio eſt, nolle miſereri . . . ob hoc dicitur obdurare peccantes quoſdam, quia non eorum miſeretur. *Lib.* 1. *ad ſimp. q.* 2.

IX.

Juſtior videtur excuſatio dicentium : non accepimus audientiam, quàm dicentium : non accepimus perſeverantiam. Quoniam dici poteſt : homo in eo, quod audieras, & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles, nullo modo autem dici poteſt : id quod non audieras, crederes, ſi velles. *Lib. de correp. & grat. cap.* 7.

IX.

Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet (quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino auxilio poſſet remanere, ſi vellet) non utique ſuâ culpâ cecidiſſent : adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent : nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium, pæna peccati eſt. *Lib. de correp. & grat. cap.* 11.

X

Nam ſi poſt baptiſmum vixerit, atque ad ætatem capacem

X.

Quid homo ſine gratia Dei poſſit, timor B. Apoſtoli oſtendit :

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.	LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.
præcepti pervenire potuerit; ibi habet, cum qua pugnet (concupiſcentiam) eámque adjuvante Deo ſuperet, ſi non in vanum gratiam ejus ſuſceperit, ſi reprobus eſſe noluerit. *Lib. 1. de pecc. merit. & rem. cap. 39.*	dit: per ſolum enim liberum arbitrium non addito Dei adjutorio, promiſerat ſe pro Domino moriturum. Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus, cùm negaret Chriſtum. *Serm. 124. de temp.*
XI.	**XI.**
Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile præcepiſſe; nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quò fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe: ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato adjutus à Deo. *Lib. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 6.*	Non aliam ob cauſam Scriptura commemorat, non eſſe gravia præcepta, niſi ut anima, quæ illa gravia ſentit, intelligat nondum accepiſſe vires; & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis. *Lib. de perf. juſt. cap. 10.*

EXPLICATIO.

OBſerves I. Quod in doctrina S. Auguſtini diſtinguenda ſit duplex gratia. Prima, quam appellat propriè gratiam, eſt ea, quâ homo fit verè in effectu juſtus & fidelis, filius & amicus Dei. Secunda, quam vocat initium gratiæ, quamvis etiam ſit vera gratia, eſt ea, quâ homo incipit ad Deum dirigere greſſus ſuos, deſiderare ejus gratiam & amicitiam. „ Qui autem con-

„ fugit ad gratiam, *ait S. Doctor*, (*a*) niſi à Domino greſſus ho„ minis dirigantur, & viam ejus volet, ac per hoc & deſiderare „ auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt. „ Ad primam gratiæ ſpeciem pertinent ſingulariter gratiæ efficaces fidei, converſionis, perſeverantiæ. Reliquæ quibus Dominus incipit quaſi funiculis nos attrahere, & quæ dant potentiam ſive proximam, ſive remotam ad Deum veniendi, poſſunt reduci ad ſecundam gratiæ ſpeciem.

Jam verò cùm nemo negare audeat, niſi velit & fidei & rationi nuntium dare, primam illam gratiæ ſpeciem non omnibus hominibus concedi, cùm reipſa non omnes credant, non omnes convertantur, non omnes legem adimpleant, non omnes perſeverent finaliter; hinc nemo quoque negaverit, nullum eſſe hominem, cui Dominus non præparaverit, aut actu præſentet gratias ſufficientes & neceſſarias, quibus homo procurare valeat negotium ſuæ ſalutis; nemo negaverit, quòd, cùm Deus recuſat aliquibus gratias illas efficaces, quas Auguſtinus vocat gratias propriè dictas, præſertim gratiam fidei, converſionis, & perſeverantiæ finalis, id fiat ex juſto Dei judicio; quæ denegatio non fundatur niſi in demeritis illius, cui denegantur gratiæ, ſecùs enim non foret juſtum judicium (*b*) *Scimus eis, quibus non datur, juſto judicio non dari.*

In parvulis ſine baptiſmo mortuis hæc recuſatio gratiæ efficacis fit propter peccatum originis, cujus facti ſunt rei in perſonis primorum parentum: in adultis verò hæc recuſatio fit, quia ſe indignos fecerunt gratiæ efficacis per peccata actualia & per abuſum vel repulſam initii gratiæ, ſeu gratiarum ſufficientium ſaltem remotarum, quibus prævenit eos Dominus. S. Auguſtinus in tot occurrentiis totque clariſſimis & expreſſiſſimis terminis ſe deſuper declarat, ut nemo contradixerit, aut hanc fuiſſe mentem S. Auguſtini negaverit, niſi ſit percuſſus cæcâ & deſperatâ pertinaciâ.

(*a*) Lib. de corrept. & grat. c. 1.
(*b*) Epiſt. 107.

Digitized by Google

„Iſta ſalus Religionis hujus, *ait*, (*a*) per quam ſolam „veram ſalus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit; „& cui defuit, dignus non fuit. *Item.* (*b*) Multi dicunt, & ſcire „volunt, quare illum vocat ad ſe Dominus, & illum non vocat? „uni ſubvenit, & uni non? hunc dignum habet, & illum in„dignum? iſtum honorat, & illum cruciat, & affligit? audi „o homo: hunc dignum habet pro bonis operibus ſuis, & il„lum habet indignum pro operibus ſuis malis; quia debitor eſt „Dominus, reddet bonis bona & malis mala. Dicturus es for„ſitan; quare ille ſic? reſpondet tibi Dominus Deus tuus, quià „bonum non negavi; ſed dixi prius, lavamini, & mundi eſto„te. Quid volebas, quid quærebas, quid cupiebas? gratiam „Dei: ergo ſi gratiam Dei quæris, aufer primùm nequitiam ab „anima tua, & à conſpectu oculorum meorum; jam ceſſa à ma„lo, & fac bonum, inquire pacem, & ſequere eam totis viribus „tuis. Et cùm hæc feceris, gratiam meam percipies, & oculi „mei ſuper te erunt, & aures meæ ad preces tuas, & prius„quàm me inquiſieris dicam, adſum.

Nihil magis validum, ut reor, nec magis deciſivum dici queat contra hæreticos: nihilominus id quod ſequitur, videtur adhuc multò efficacius.

„Hic fortaſſe (*c*) conturbatus ad illam quæſtionem, redis: „cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. Sed hæc volun„tas Dei injuſta eſſe non poteſt, venit enim de occultiſſimis „meritis (*& non ſolùm ex peccato originali, ut volunt Janſeniſtæ*) quia „& ipſi peccatores, cùm propter generale peccatum unam maſ„ſam fecerint, non tamen nulla eſt inter illos diverſitas. Præ„cedit ergo aliquid in peccatoribus, quò, quamvis nondum ſint „juſtificati, digni efficiantur juſtificatione, & item præcedit in „aliis peccatoribus, quò digni ſunt obtuſione. *Et paulo poſt addit:* „ad illam cænam nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt;

(*a*) Epiſt. 49. ad Deo grat. q. 2.
(*b*) Serm. 233. de temp.
(*c*) Lib. 83. qq. q. 68.

„ neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocati „ &c.

Itaque nec illi debent ſibi attribuere quòd venerint, nec illi, qui non venerunt, alium accuſare debent quàm ſe ipſos, eò quòd vocati potuiſſent venire, ſi voluiſſent. Dominus enim ſufficientibus gratiis eos providit, quibus tamen reſtiterunt.

Obſerves II. duas dari ſpecies ſive genera gratiæ ſufficientis: nimirum ſufficiens proxima, & remota. Proxima eſt ea, quâ poſſumus exercere bonum, ſi velimus ſecluſo ſuccurſu alterius gratiæ: remota eſt ea, quæ non dat immediate & ſeipsâ potentiam faciendi bonum, ſed mediante ſuccurſu alterius gratiæ, quam Deus infallibiliter donaret, ſi fideliter uteremur primâ. Hoc totum inſinuat S. Auguſtinus his formalibus. „ (a) Quod ergo ignorat, quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt, quod nondum accepit; ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc, quod accepit, bene uſa fuerit; accepit autem, ut piè & diligenter quærat, ſi volet. „ Ulterius mentem ſuam declarat circa idem propoſitum: (b) *Non Deus impoſsibilia jubet; ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſsis*, . quæ tamen petitio fieri nequit ſine gratia precandi, quæ eſt ſufficiens remota ad ſervanda mandata.

Obſerves III. inter gratias tam ſufficientes, quàm efficaces dari alias aliis majores, ſufficientiores, efficaciores, vel ab intrinſecâ ſua virtute & ex ſe ipſis, vel propter tempus & circumſtantias magis vel minus favorabiles, in quibus conceſſæ ſunt. Hæc veritas rurſum illuſtratur S. Auguſtini ſuffragio: „ Cur „ Deus illum adjuvet, illum non adjuvet? illum tantum, illum „ non tantum? iſtum illo, illum iſto modo? penes ipſum eſt: „ effectus eſt ſecretæ rationis ſuæ juſtitiæ, & excellentia ſuæ potentiæ. His iterum maturè conſideratis reſpondetur.

Ad primum & ſecundum locum: *Scimus, gratiam non omnibus dari* &c. *Communis omnibus natura non gratia.* Reſpondetur, inquam, S. Doctorem in his locis loqui de gratia fidei, adop-

(a) Lib. 3. de lib. arbit. c. 22.
(b) Lib. 3. de lib. arb. c. 22.

Digitized by Google

tionis & filiationis, quæ gratiæ juxta conceſſionem Catholicorum non ſunt comunes omnibus hominibus: ut convictus ſis de mente Auguſtini, legas integrum contextùm loci citati, qui ſic habetur. „Scimus gratiam non omnibus dari, & quibus datur, non ſecun-„dùm merita dari. Quod maximè apparet in parvulis, qui ſine „dubio gratiam, quam in baptiſmo recipiunt, non meruerunt. „Communis eſt omnibus natura non gratia .... quæ natura ſi pu-„tetur gratia, inde putetur, quia & ipſa gratis conceſſa eſt: ſed „gratia juſtificationis & adoptionis, quâ ſumus populus ejus & „oves paſcuæ ejus; dico non eſſe omnibus communem, quia ſci-„licet non omnes juſtificantur & adoptantur reipſa, & hanc eſſe „propriè gratiam.

Ad locum III. ***Sol juſtitia, quem ſibi non ortum plangent impii in die judicii &c.*** Reſpondetur fermè id ipſum, quod ad duo præcecedentia loca, nimirum; S. Doctorem hic non agere de gratia actuali ſed habituali, quâ poſſidemus Deum, quâ Deus ſe exaltat ſuper nos, ut habitet in animabus noſtris, juxta illud, quod promiſit per dilectum ſuum diſcipulum; ***ſi quis diligit me, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.***

Hoc apparet ex ipſo textu, quem nobis objiciunt, ubi S. Auguſtinus dicens, ſolem juſtitiæ non oriri ſuper impios, ſtatim cauſam allegat, cur ſuper eos non oriatur, nimirum ***quia ſunt impii***: hoc eſt, quia nolunt renuntiare ſuæ impietati, ut amplectantur ſanctitatem, ſine qua ſol juſtitiæ nunquam aſcendet eorum horizontem.

Revera certum eſt, adorabilem hunc ſolem non oriri ſuper nos, niſi ut habitet in nobis per gratiam ſuam ſanctificantem. Certum eſt inſuper hanc gratiam non donari peccatoribus eam contemnentibus, ſed ſolùm illis, qui incipientes ſe ad Deum convertere per actus fidei, ſpei & pænitentiæ ſe diſponunt ad gratiam illam recipiendam. Unde manifeſtè deducitur, Auguſtinum non niſi de hac gratia loqui, minimè verò de actuali ſufficiente, quæ generaliter offertur omnibus hominibus.

Digitized by Google

Ad locum IV. „ Nihil huic ſenſui (*S. Pauli*) tam contra„ rium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam „ ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei, quæ diſcernit bonos à ma„ lis, non quæ communis eſt bonis & malis. „ ℟. S. Doctorem his verbis nolle rejicere gratiam ſufficientem omnibus communem, ſed naturam omnibus communem non facere ea merita, de quibus poſſis gloriari, quam ipſemet fatetur, ut jam notavi, poſſe dici gratiam Dei juxta illud: *qua natura ſi putetur gratia, inde putetur, quia & ipſa gratis conceſſa eſt*: & quam hæretici, quos impugnabat, veram eſſe gratiam Chriſtianam prætendebant. Veritas hujus explicationis clarè monſtratur ex ſubſequentibus ad hanc objectionem, ſic enim ſubjungit noſter S. Doctor: „ Non quæ communis eſt „ bonis, & malis. Sit ergo gratia naturæ attributa, quâ ſumus „ animantia rationabilia, diſcernimurque à pecoribus: ſit etiam „ gratia naturæ attributa, quâ in ipſis hominibus à deformibus „ pulchri, vel ingenioſi diſcernuntur à tardis, ac ſi quid hujuſ„ modi eſt, ſed non ſe ille, quem coercebat Apoſtolus, adversùs „ pecus inflabat, nec adversùs hominem alterum de aliquo mune„ re naturali, quod ineſſe poſſet & peſſimo, ſed aliquod bonum, „ quod pertinet ad vitam bonam, ſibi non Deo tribuens infla„ batur; quando audire meruit: *Quis te diſcernit, quid autem habes, „ quod non accepiſti* „? igitur conſtat Apoſtolum hîc non loqui de gratia actuali, & ſupernaturali, ſed de naturali, omnibus communi, quam vult incapacem, ut diſtinguat bonos à malis, prout clariùs adhuc in ſequentibus patet; „ Ut enim, *inquit*, ſit „ naturæ, fidem poſſe habere, non tamen habere; non enim om„ nium eſt fides, cùm fidem poſſe habere ſit omnium: non au„ tem dicit Apoſtolus: quid autem potes habere, quod non ac„ cepiſti; ſed ait, quid habes, quod non accepiſti? proinde poſ„ ſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt ho„ minum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, „ gratia eſt fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data eſt poſ„ ſibilitas habendi fidem, non diſcernit hominem ab homine,

Digitized by Google

„ ipſa verò fides ab infideli fidelem. „ Hucuſque Auguſtinus, qui hac ſua expoſitione naturam, ſeu liberum arbitrium, quo poſſumus habere fidem, negat eſſe quid diſtinctivum hominis ab homine, non verò gratiam ſufficientem ex toto ſupernaturalem, & quæ quatenus ſufficiens eſt, communiter omnibus tribuitur, eſt tamen etiam gratia particularis & ſpecialis conſentientibus & cooperantibus, per quam diſtinguuntur à non conſentientibus, & non cooperantibus.

Ad quintum & ſextum locum, *cur illum Deus adjuvet; illum non adjuvet?* &c. Item *quoniam ut crederent, non erat eis datum &c.* Rſ. S. Auguſtinum his non aliò tendere, niſi gratiam efficacem non omnibus dari, nec datam eſſe. Cùm enim in ipſius doctrina ſola gratia efficax ſit gratia propriè dicta juxta illud: *dico hanc eſſe propriè gratiam.* Hinc ſæpius repetit, illos, qui non credunt, non convertuntur, non perſeverant, conſequenter non eſſe vocatos, non eſſe illuminatos, non adjutos, non habuiſſe gratiam, ex quo tamen minimè eruitur, Auguſtinum docere, tales infelices gratiâ efficaci deſtitutos omni omnino gratia caruiſſe, ſed eâ duntaxat, quæ nos actu pænitentes, juſtos, fideles, Dei amicos efficiat.

Haud ægrè fidem dabis huic explicationi, ſi abſque præventione examines alium locum S. Doctoris; ubi poſtquam expoſuerat duas ſpecies vocationis, quarum unam appellat efficacem, alteram inefficacem, tunc ad ſpeciem & apparentiam valde teſtatur, illos, qui non ſunt vocati efficaciter, nullo modo fuiſſe vocatos: audi loquentem: (a) „ Vocat enim prædeſtinatos multos filios „ ſuos, ut eos faciat membra prædeſtinati filii ſui, non eâ vocatione, quâ vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum „ eſt, & gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt; ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus dicens: „ ipſis vocatis Judæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Sic enim ait: ipſi autem vocati, ut illos oſtenderet non vocatos, ſciens eſſe quandam certam vocatio-

(a) Lib. de præd. Sanct. c. 16.

Digitized by Google

„ nem eorum , qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt. ..... non „ quacunque vocatione , ſed qua vocatione fit credens. „ Non quacunque vocatione , ait Auguſtinus ; hoc eſt , non vocatione inefficace , ſed efficace. Vix aliquid luculentius hoc paſſu attuleris , quò probes S. Doctorem , dicendo quoſdam non eſſe vocatos , non habuiſſe gratias , ſubintelligere gratias efficaces ; non video quis veritati adeo convincenti reſiſtere valeat.

Itaque ut redeamus ad objectionem , notandum eſt , S. Auguſtinum , quando ſcribit , *Deum hunc , non vero illum adjuvare* , nunquam docere , hominem totaliter à Deo deſeri abſque ulla gratia ſaltem remota , quâ poſſit ſalvus fieri , ſed hominem non totaliter ſemper & efficaciter adjuvari , ut actu ſalvus fiat ; & hoc , ait S. S. Pater , non ex ſolo & abſoluto Dei dominio in ſua dona & gratias ad arbitrium elargiendas ; ſed etiam ex æquitatis ſuæ ratione ſecreta , ac juſto judicio. Pariter cùm dicit , Dominum noluiſſe Tyriis & Sidoniis concedere gratiam fidei , per hoc non vult , eos fuiſſe excluſos abſolutè ab hac gratia per decretum aliquod formale & poſitivum , quò conſequenter illis recuſaverit omnia penitus ſalutis media , ſed dicit duntaxat , quòd , cùm Deus noluerit Tyriis & Sidoniis tribuere gratiam efficacem fidei , cujus ſe indignos reddiderant abutendo primis & initiantibus gratiis , idcirco neque fecerit apud ipſos virtutes & miracula , quibus infallibiliter converſi fuiſſent.

Ad ſeptimum. „ Omnis qui non venit , non audivit à „ Patre , nec didicit ; nam ſi audiſſet , & didiciſſet , veniret ; qui „ autem non credunt , foris audiunt , intus non audiunt , neque „ diſcunt. „ Quod idem eſt , ac dicere , gratiam fidei quibuſdam fuiſſe donatam , quibuſdam recuſatam ; *illis datur , ut credant , illis non datur.* Ad hæc Reſpondetur S. Auguſtinum hoc loco oppugnare hæreſes Semi-Pelagianorum , & quidem expreſſione paulo fortiore , eò quòd negaverint fidem eſſe donum Dei. Hinc deſcribit naturam gratiæ per excellentiam efficacis , quam effectus modo tam infallibili ſequitur , ut ille , qui eam recepit , ſemper cum ea operetur bonum,

Digitized by Google

bonum, ſine illa verò nunquam operetur bonum, licèt ſuccurente gratia ſufficiente potuiſſet operari: adeò, ut verum ſit dicere, quòd is, qui facit bonum, habeat gratiam efficacem, qui non facit, non habeat: neque enim meliùs probatur, quòd illi, qui per fidem ad Jeſum Chriſtum veniunt, non ad eum veniant ex ſolis liberi arbitrii viribus, ſed per doctrinam & attractionem, id eſt, per gratiam Patris cæleſtis, quàm dicendo, omnes inſtructos & efficaciter tractos ſemper credere & venire; econtra non venientes, neque credentes nunquam fuiſſe taliter inſtructos & attractos.

Quam ob rem oportet in doctrina S. Auguſtini diſtinguere duo genera revelationis, vocationis, attractionis. Hæc enim ſunt Synonima ſecundum noſtrum S. Doctorem: (a) *Iſta revelatio ipſa eſt attractio ...... omnis qui audivit à Patre, & didicit: trahere Dei eſt.* Igitur Theologi appellant unam in actu primo, alteram in actu ſecundo: hoc eſt; datur revelatio, vocatio, attractio, quæ hominem invitat ad fidem, & ut veniat, quæque dat potentiam ad credendum & veniendum: altera verò effectivè nobiſcum & in nobis producit obedientiam, ſubmiſſionem & conſenſum fidei præſtitum, vel potius, quæ vocatio eſt ipſe conſenſus, obedientia & ſubmiſſio, quod totum exprimitur his verbis: *audivit & didicit.*

Prima illa eſt ex parte Dei vera & perfecta revelatio & vocatio, ſive, ut cum ſcholis & Auguſtino loquar, perfecta attractio & auditio, eò quòd per illam homo poſſet venire, credere, diſcere, ſi vellet; hæc tamen eſt imperfecta ex parte creaturæ, quòd ad ejus vocem & clamorem validum obturet aures cordis, vel quòd eam audiat, ſed non exaudiat, ſi ita fari liceat; altera verò ſive ſecunda eſt attractio & auditio perfecta omni modo completa, quâ Deus ita hominem vocat, ut ille veraciter audiat & exaudiat, gratiæ reſpondeat, doctrinæ conſentiat, interiori vocationi obediat: de hac poſteriore tractat hoc loco S. Auguſtinus.

Quando igitur S. Doctor teſtatur, neminem eſſe, qui audivit à Patre, & didicit, *qui non veniat ad filium*, item illos qui non

(a) Tract. 26. in Joan.

veniunt ad filium, *non audiviſſe, nec didiciſſe à Patre*, item, quibuſdam dari, ut credant, aliis non dari, per hæc & ſimilia nunquam docet, infideles non fuiſſe vocatos, nec ullas obtinuiſſe ad fidem gratias, ſed ſolummodo inſtruit, quòd ille, qui audivit & didicit perfectè, completè, in actu ſecundo, veniat ad filium, qui verò non taliter audivit & didicit, non perveniat: docet adeóque hoc loco, gratiam formalem & efficacem concedi his non verò illis, & hoc præcisè, ut invincibiliter demonſtret contra Semi-Peliganos, nos credere per gratiam Dei, & non per vires liberi arbitrii.

Ad octavum: *obduratio eſt nolle miſereri*, &c. ℟. nonnullos Theologos tenuiſſe, quòd in ſtatu obdurationis Deus nullo modo miſereatur peccatoris, reſecando illi penitus omnem converſionis gratiam; opinio tamen communior & probabilior eſt etiam S. Auguſtino conformior, qui dicit (*a*): *Nam in tantùm non eum* (Pharaonem) *Deus irrevocabiliter obduravit, ut poſt decem plagas populum Dei non ſolùm dimitteret, ſed etiam exire compelleret.* Volunt igitur communius alii Theologi cum S. Auguſtino, quòd Deus etiam induratis in malitia interpolatim largiatur gratias quaſdam remiſſiores ac remotiores, non tamen victorioſas, fortes, efficaces & proximas, quod poſterius propriè & formaliter eſſet peccatoris miſereri; & quòd Deus peccatoris indurati non miſereatur, id eſt, quòd non miſereatur proximè, ut actu convertatur, licèt miſereatur remotè & remiſſius, ut poſſet converti.

Quapropter providè attendendum eſt, quòd, ſi Deus hoc modo quoſdam peccatores indurat, nec eis proximè & in brachio potente ſed debiliter tantùm & remiſſè ſuccurit, id non proveniat, us Janſeniſtæ cum Magiſtro ſuo Calvino ſentiunt, tanquam aliquid conſectaneum ex decreto æternæ reprobationis, quô eos non attentis demeritis poſitivè à gloria cæleſti excluſit, ac irrevocabiliter flammis inferni in pabulum deſtinavit ſempiternum, ſed id fieri propter abuſum & rejectionem refractariam initiantis gratiæ,

(*a*) Serm. 88. de temp.

Digitized by Google

aliarumque primordialiter ſubſequentium, vel etiam intuitu enormium ſcelerum, quæ contra Deum Authorem gratiæ perpetrârunt.

Sanctus Auguſtinus non obſcurè deſuper ſe declarat: „ (*a*) „ Volumus charitati veſtræ ſuggerere, qualiter obdurationem illam „ debeatis accipere. Primò hoc fideliter & firmiter credat dilectio „ veſtra, quia Deus nunquam prius deſerit hominem, niſi prius „ ab homine deſeratur. Cum enim & ſemel & iterum & tertiò „ unuſquiſque gravia peccata commiſerit; expectat tamen illum „ Deus ſicut per prophetam dicit, ut convertatur, & vivat. „ Hæc verba ſolicita reflexione ſunt ponderanda, cùm invictè probent contra Janſeniſtas, hîc non eſſe quæſtionem de illâ ſpecie derelictionis, ſeu indurationis, quâ Deus aufert peccatori gratiam habitualem, ſeu ſanctificantem; cùm hæc deperdatur primo lethali peccato; ſed eſſe quæſtionem de illa derelictione, qua Deus denegat actuales converſionis gratias, quæ juxta S. Auguſtinum non ſtatim à Deo recuſantur: licèt enim, ait S. Doctor, ſemel, & iterum, & tertiò unuſquiſque gravia peccata commiſerit, expectat tamen illum Deus, ſicut per prophetam dicit, *ut convertatur, & vivat.*

„ Quid tam longanimum *exclamat alio loco S. Doctor*: (*b*) „ quid tam multum in miſericordia? peccatur, & vivitur, ac„ cedunt peccata, augetur vita, blaſphematur quotidiè, & facit „ ſolem ſuum oriri ſuper bonos, & malos. Vocat undique ad „ correctionem, vocat undique ad pænitentiam; vocat beneficiis „ creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lecto„ rem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vo„ cat per flagellum correptionis: „ vocat per miſerationes conſolationis.

Ad nonum *Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini defuiſſet, non ſuâ culpâ cecidiſſent: nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, pæna pec-*

(*a*) Serm. 88. de temp.
(*b*) In pſalm. 102.

tati eſt. ℟. Theologos Catholicos non concordare explicando hæc verba : *adjutorium , ſine quo Angeli & primus homo manere non poſſent.* Quidam ea exponunt cum Magiſtro ſententiarum , S. Bonaventurâ , Alenſi , Alberto Magno &c. de gratia habituali & originali , ſeque fundant in eo , quòd Auguſtinus loquens de gratia actuali conſtanter dicat ; nos conſentire gratiis , illis obedire , eas ſequi , iis reſiſtere , eas rejicere ; cùm econtra hoc loco ſimpliciter dicat , nos in illa manere , illam deſerere , qui modus loquendi nequit adaptari gratiæ actuali , in qua homo non dicitur permanere , vel eam derelinquere.

Præterquam quòd S. Auguſtinus hîc agat de gratia , quæ data fuit Angelo & homini ; *cùm primùm facti ſunt* , id eſt in primo inſtanti eorum creationis , quæ gratia non videtur alia , niſi gratia originalis juſtitiæ.

Jam verò indubitatum eſt ſine hac gratia habituali & originali Adamum perſeverare non potuiſſe in rectitudine ſua naturali , in qua creatus eſt ; ad hoc enim non ſufficiebat ; quòd ejus intellectus fuerit illuminatus , ſed neceſſe erat , quòd etiam ejus voluntas fuerit elevata qualitate & habitu ſupernaturali : adeôque ſi qualitas hæc abſolutè neceſſaria ipſi defuiſſet , utique non cecidiſſet ex propria culpa. Si verò hæc gratia habitualis , quæ nos juſtificat , ac animam nobilitat & elevat , nonnullis ex nobis deſit in natura corrupta , tunc utique pæna peccati eſt. In parvulis quidem ſine baptiſmo demigrantibus eſt pæna peccati alieni & originalis ; in adultis verò eſt pæna peccati perſonalis & actualis. Item eſt pæna abusûs & repulſæ gratiarum primarum , quas Deus præveniendo obtulit , vel præparavit.

Ex adverſo alii Theologi opinantur , S. Auguſtinum hoc loco non differere de aliqua gratia habituali , ſed de gratia perſeverantiæ , : hoc videtur eſſe evidens ex terminis , quibus utitur S. Doctor ; *permanere in bona volantate , & eam deſerere : adjutorium ſine quo permanere non poſſent.* Quam ob rem , ut jam inculcavi , duas ſtatuunt ſpecies ſuccursûs ad perſeverandum : ſuccurſum proxi-

Digitized by Google

mum ſcilicet, & remotum : primus immediatè datur, ut agas, & in bono perſeveres; Secundus, quem Auguſtinus conſtituit in oratione, datur, ut Deo ſupplex fias pro gratia operandi, vel perſeverandi in bono ; de primo non ſecundo ſuccurſu, id eſt de proximo, non remoto diſcurrit hìc Auguſtinus, quando enuntiat, quòd ſi ſuccurſus, ſeu adjutorium iſtud Adamo adhuc innocenti defeciſſet, non ex ſuâ culpâ peccato occubuiſſet, & quòd ſi de facto alicui deſit hoc adjutorium, id eſſe pænam peccati.

Ex his omnibus manifeſtè conſtat, ac evidenter eluceſcit ex ipſo textu, hic eſſe quæſtionem de ſuccurſu neceſſario pro Adamo exiſtente in ſtatu innocentiæ: jam verò ſuccurſus remotus ipſi non erat neceſſarius, cùm fuerit proviſus ſuccurſu proximo, ergo & conſequenter hoc loco tractatur de ſuccurſu proximo, non remoto : Adamum autem in ſtatu innocentiæ habuiſſe ſuccurſum proximum, probo ex Auguſtino, qui ſemper tenuit, ſeque deſuper declaravit in pluribus ſuis tractatibus (*a*) quòd perſona innocens, quæ nec peccavit, nec juſtitiam & gratiam originalem perdidit, non poſſit ſine ſpecie injuſtitiæ privari regno Cælorum, nec conſequenter mediis neceſſariis illuc perveniendi; qualia media ſunt, gratiæ operandi bonum, & in ejus praxi perſeverandi uſque ad finem.

Omnes Orthodoxi concedunt cum S. Auguſtino, nos non ſemper provideri ſuccurſu proximo ad faciendum bonum, & in ejus praxi perſeverandum : verùmtamen minimè concedunt, nec etiam hoc loco S. Auguſtinus dicit, ſuccurſum remotum nobis aliquando deficere; adeóque hæc objectio nihil contra nos, cùm ſuccurſus iſte remotus nobis ſufficiat ad obtinendas gratias proximas, ad bonum & perſeverantiam, ac tandem ad gloriam æternam neceſſarias.

Igitur ſenſus hujus loci eſt, quòd ſi ſuccurſus proximus defuiſſet primo homini, non ex ſua culpa prolapſus fuiſſet in peccatum, cùm ſine hoc ſuccurſu bonum exercere nequiviſſet, &

(*a*) Vide lib. 3. cont. Juſt. c. 12. & l. 6. c. 10. & Epiſt. 106. ad Paul.

Digitized by Google

cùm ſuccurſus iſte ejus ſtatui innocentiæ ac juſtitiæ originali fuerit debitus; ſi tamen in ſtatu naturæ corruptæ hoc adjutorium deſit, noſque exinde ſuccumbamus peccato, non idcirco excuſabiles ſumus, eò quòd ejus privatione digni ſimus partim propter peccatum originale, partim propter commiſſa peccata actualia. Et ideo illud à Domino ſuppliciter exorare debemus, non verò id exſpectare tanquam rem nobis debitam: ſine hac exoratione & inſtantia ſupplici in divino judicio erimus extremè damnabiles, quòd noluerimus facere quod potuimus & debuimus ad declinandum à malo, & operandum bonum.

In hoc æſtu cogitationum S. Auguſtinus differens de differenti ſtatu integri, & corrupti Adami ſic eum energicè alloquitur: (a) *In paradiſo non clamabas, ſed laudabas, non gemebas, ſed fruebaris. Foris poſitus geme, & clama.* Verba quæ clarè indicant, hominem in ſtatu innocentiæ obligatum non fuiſſe petendi gratiam ad perſeverandum neceſſariam, ſaltem non ex iiſdem titulis, ex quibus homo lapſus, & corruptus tenetur eam implorare: *foris poſitus geme, & clama. Vos (b) itaque etiam ipſam obediendi perſeverantiam à Patre luminum ſperare debetis, & quotidianis orationibus poſcere:* Et ſic licèt hæc privatio gratiæ ſit in pænam peccati, nihilominus peccat homo coram Deo enormiter, niſi perſeveret, cùm ab ipſo dependeat perſeverantiam petere, eámque obtinere ardentibus & humilibus precibus; *Nam hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt*, inquit Auguſtinus. (c)

Ad Decimum *Quid homo ſine gratia Dei poſſit, timor Beati Apoſtoli* (Petri) *oſtendit .... quid eſt homo ſine gratia, niſi quod fuit Petrus, cum negaret Chriſtum.* Quibus verbis videtur, Auguſtinum velle, S. Petrum, cùm Chriſtum negâſſet, non habuiſſe gratiam. Sed ℟. S. Doctorem hoc textu noluiſſe affirmare, Petrum in trina negatione fuiſſe deſtitutum omni omninò gratia actuali, ſed ſo-

(a) In enarr. pſal. 29.
(b) De dono perſev. c. 22.
(c) De dono perſev. c. 6.

ſuim gratia vel proxima, vel efficaci, quas Deus aliquoties recuſat propter peccata & infidelitates præteritas.

Quòd ſi reipſa concludendum foret ex dictis S. Auguſtini loco citato, quòd Apoſtolus Petrus nullâ prorſus gratiâ fuerit munitus ad reſiſtendum tentationi, cui erat expoſitus, etiam foret concludendum, quòd Adam omni caruerit gratia tentatus à ſerpente, ut de fructu prohibito comederet. Nam S. Auguſtinus idem teſtatur de Adamo, quod de Petro: nimirum gratiam ipſi defuiſſe. Sic loquitur (*a*): „ Quid enim valeat liberum arbitrium „ non adjutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt: ad malum ſuf„ ficit ſibi liberum arbitrium, ad bonum non, niſi adjuvetur à „ Deo „ *Item*, (*b*) *quod adiutorium, ſi homo ille Adam per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus, ſed deſeruit, & deſertus eſt.* Certè hi textus S. Auguſtini ſunt ad minimum tam clari & deciſivi, ut probes, Adam cecidiſſe ex defectu gratiæ ſufficientis, ac textus hoc loco citatus, ut probes, S. Petrum ex defectu gratiæ ſufficientis Chriſtum negâſſe.

Quapropter, cùm juxta ipſos Janſeniſtas non ſit ſupponendum, quaſi Auguſtinus locis mox citatis voluerit inſinuare, Adamum fuiſſe orbatum omni gratia, quando fructum in paradiſo comedit, ſic neque credendum eſt, quaſi in alio textu illis citatis omnino ſimili & fermè Synonimo voluerit intimare, S. Petrum totaliter fuiſſe derelictum ab omni gratia, cùm Chriſtum negaverat.

Ut veritatem hanc enucleatiùs penetres, obſerva terminos, quibus alibi S. Doctor utitur ad exprimendam derelictionem Petri Apoſtoli, & David Régis: de Davide ſic loquitur (*c*) „ Quia „ David filius erat promiſſionis, non perditionis, expertus, Deo „ paululùm deſerente, quid eſſet ipſe: „ *De Petro verò* (*d*): „ Ideo Bea-

(*a*) Tract. de cant. nov. c. 8.
(*b*) Lib. de correp. & grat. c. 11.
(*c*) Lib de correpț. & grat. c. 9.
(*d*) Serm. 124. de temp.

„ tum Petrum Dominus paululùm ſubdeſeruit, ut illo tótum ho-„ minum genus poſſet agnoſcere, nihil ſine gratia Dei prævalere:„ Nonne luce meridiana clariùs patet, has expreſſiones, *paululùm deſerente*, *& paululùm ſubdeſeruit*, nequaquam atteſtari integram & abſolutam derelictionem, qualem Janſeniani in ſuis Jdeis fabricant, ſed derelictionem brevem & modicam, quæ nequit conſiſtere, niſi in ſubtractione quarundam gratiarum ſpecialium. Quam ob rem dicendum eſt, David & S. Petrum habuiſſe adhuc in periculoſis ſuis occaſionibus & tentationibus ſufficientes gratias non ſolùm remotas, verùm etiam proximas, quibus potuiſſent vincere, ſi voluiſſent: proximæ quidem gratiæ erant adeò infirmæ & debiles, ut difficulter cum illis triumphare potuerint; attamen per preces & inſtantias ſupplices, quæ erant quaſi ſuccurſus gratiæ remotæ, potuiſſent opportunè à Deo victoriam de tentatione impetrare.

Ad Undecimum *Ut anima, quæ illa gravia ſentit, intelligat nondum accepiſſe vires.* ℞. Paucis mutatis priori, & eodem modo: nimirum S. Doctorem non dicere, nos nullam penitus habere gratiam ad ſervanda præcepta, ſed quòd gratiæ, quas habemus, ſæpe non ſint ſatis validæ & fortes, ut mandata Dei impleamus faciliter, & abſque reluctatione; adeò quidem, ut tunc divina mandata nobis accidant moraliter impoſſibilia, id eſt perquam difficilia ſervatu.

Hinc eſt, quòd S. Doctor de hac impoſſibilitate differens, ſic admoneat: (*a*) *Ubi difficultatem aliquam ſentiunt, fideliſſimis, & perſeverantiſſimis precibus, & miſericordia promptis operibus facilitatem à Domino impetrare perſiſtant.* Ex quo evincuntur duo innegabilia & invincibiliter vera. 1. Hoc textu non eſſe quæſtionem, niſi de impoſſibilitate morali, id eſt, grandi difficultate. 2. Nos ſaltem ſemper habere gratiam orandi pro gratiis, & per gemitus cordis id obtinendi, quod non eſt in corde.

Ex locis & textibus, ubi S. Auguſtinus Chriſtianos hortatur ad orationes & petitiones gratiarum, & quòd debeamus in-

(*a*) Lib. de nat. & grat. c. 68.

ceſſanter

ceſſanter precando urgere, ut largiatur gratias benè vivendi, pænitendi &c. Ex his, inquam, locis & textibus concludunt Janſeniſtæ, homines non habere ſufficientes & neceſſarias gratias ad converſionem, pænitentiam & virtutes: dant rationem; quia, ajunt, notabilis dementia eſt illud à Deo petere, quod eſt in noſtra poteſtate. Sed Reſpondetur. Quòd ſi ſic precari ſit inſania & dementia, conſequenter ſtulti eſſent & quidem non mediocris tonſuræ omnes Sacerdotes, qui ſub miſſæ ſacrificio in præfatione Apoſtolorum cantando poſtulant, ut gregem ſuum Paſtor æternus non deſerat: imò quòd ipſa Eccleſia inſaniâ laboret, quando in Concilio generali ad Sponſum orat pro lumine & radiis, quibus indiget: Eſt enim de fide credendum, quòd Paſtor æternus nunquam deſerat gregem ſuum, & quòd Sponſus divinus nunquam ſponſæ ſuæ Eccleſiæ lumen neceſſarium ſubtrahat: Unde quilibet libenter fateatur, non niſi prudentes debere de inſania judicium ferre, quod judicium minimè convenit hæreticis, qui etiam primam Sapientiam ſtultitiæ inſimulant, docentes, Deum præcepta dare impoſſibilia. Pro his non pro Orthodoxis ſtat extravagantia.

Nos autem, qui plenè perſuaſi ſumus, longè maximam eſſe amentiam, nolle ſequi deciſiones Eccleſiæ, quæ à divino ſuo Sponſo recepit Spiritum Sapientiæ, Reſpondemus ad ultimam illationem, quòd per orationes non ſolùm poſtulemus ſimplicem potentiam operandi bonum, ſed abundantiorem faciliùs & opportuniùs operandi bonum, imò certiùs & infallibiliùs id exercendi: humilitas enim Chriſtiana nos inſtruit, quòd nihil poſſimus Magni aut parvi præſumere de noſtra voluntate abſque adjutorio altiſſimi, ejuſque ſpeciali gratia, quæ nobis tribuit actualiſſimum & infallibile velle bonum, prout articulo ſequente videbimus.

❧ (o) ❧

Digitized by Google

ARTICULUS TERTIUS. DE HOMINIS POTENTIA RESISTENDI GRATIÆ.

Loca evidenter conformia Eccleſiæ deciſionibus.

I.

NOn eſt ergo indignum, ut Deus dicat, Ite in ignem æternum, eis, qui ejus miſericordiam per liberum arbitrium reſpuerunt: & dicat, percipite regnum, eis, qui per liberum arbitrium fidem ejus ſuſceperunt, pænitentiam egerunt. *Lib. 2. de act. cum Fel. Man. cap.* 8.

Loca apparenter contraria Eccleſiæ deciſionibus.

I.

SEd quia (Adam) noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet; ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium ſteterunt ipſi. *Lib. correp. & grat. cap.* 11.

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

II.

Omnis qui didicit, venit ad me. Quis non videt, & venire quemquam ad Patrem, & non venire ex arbitrio pendere voluntatis? *Lib. de grat. Chriſti cap. 14.*

III.

Utrumque noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum per ſpiritum fidei, & Charitatis. Et eâdem regulâ, & utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem: & utrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis. *Lib. 1. retract. cap. 23.*

IV.

Nam & quoſdam nimia ſuæ voluntatis fiducia extulit in ſuperbiam, & quoſdam nimia ſuæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, ut quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in noſtra eſt poteſtate? Iſti dicunt, ut

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &.

II.

Non eſt hoc (nempe permanere cum Deo) omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt, & fuerant in Adam, antequam caderet. *Lib. de dono perſev. cap. 7.*

III.

Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia quantùm valuerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum ſuis cadente in veritate ſteterunt: Poſt caſum autem hominis non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere. *Lib. de dono perſev. ver. cap. 7.*

IV.

Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt: Aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit. Primo itaque homini, qui in eo bono, in quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe ipſum bonum non deſerere, datum

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

quid conamur benè vivere, quod in Dei eſt poteſtate?.... Audiamus Dominum dicentem: Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Ne ſic exiſtememus fidem noſtram eſſe in libero arbitrio, ut divino non egeat adjutorio. Audiamus & Evangeliſtam dicentem; dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ne omninò exiſtimemus in noſtrâ poteſtate non eſſe, quod credimus. *tract.* 53. *in Joan.*

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut ipſa perſeverantia donetur. *Lib. de corrept. & grat. cap.* 12.

V.

Ut velimus, ſine nobis operatur. Cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur. *Lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 17.

V.

Prima gratia eſt, quâ fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit; ſecunda plus poteſt, quâ etiam fit, ut velit. *Lib. de corrept. & grat. cap.* 12.

VI.

Cùm dixiſſet, gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus &c. Subjungit, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Id eſt non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. *Lib. de grat. & lib. arbit. c.* 5.

VI.

Quæ futura erat homini, ſicut facta eſt Angelis ſanctis, merces meriti, Nunc per peccatum perdito bono merito in his, qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. *Lib. de correp. & grat. cap.* 11.

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

VII.

Ut velimus enim, & ſuum eſſe voluit & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo. *L. 1. ad Simp. q. 2.*

VIII.

Si tibi proponam quæſtionem: Quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio? fortaſſis eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimiſit, ut quis, quod voluerit, eligat? & tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu penetrare pauci valent. *lib. cont. litt. Petil. c.* 48.

IX.

Non ſe itaque fallant, qui dicunt: ut quid nobis prædicatur, & præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc non agimus, ſed id velle, & operari Deus operatur in nobis? ſed potius in-

LOCA APPPARENTER CONTRARIA, &c.

VII.

Humana hìc merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam; & regnet, quæ regnat, Dei gratia. *Lib. de præd. SS. cap.* 15.

VIII.

Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideò, quamvis infirma, non tamen deficeret..... Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet; infirmis ſervavit, ut ipſo donante, quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inviĉtiſſimè nollent. *Lib. de corrept. & grat. cap* 12.

IX.

Plus eſt agi, quàm regi. Qui enim regitur, aliquid agit, & à Deo regitur, ut rectè agat: qui autem agitur, agere aliquid vix ipſe intelligitur. Et tamen tantùm præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

telligant, ſi filii Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant .... aguntur enim, ut agant, non ut ipſi nihil agant. *Lib. de correp. & grat. c.* 2.

X.

Trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, ſed voluptas. .... Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non neceſſitatem imponendo. Ecce quomodo trahit. *Tract.* 36. *in Joan.*

XI.

Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur, & in aliis, quibus dicit: Rogamus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ut quid enim eos rogat? ſi gratiam ſic ſuſceperunt, ut propriam perderent voluntatem? *Lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 5.

XII.

Nemo habet in poteſtate, quod ei venit in mentem, ſed

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

dubitet Apoſtolus dicere: quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. *Lib. de geſtis Pelag. c.* 3.

X.

Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo corde reſpuitur, ideòque tribuitur, ut cordis duritia primitus auſferatur. *Lib. de præd. SS. cap.* 8.

XI.

Illud dictum: fruſtra Deus miſeretur, niſi velimus, refellens ait: ſi enim Deus miſeretur, ergò jam volumus, ad eandem quippe miſericordiam pertinet, ut velimus. Deus enim eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere. *Lib.* 1. *ad ſimp. q.* 2.

XII.

Volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium.

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergò modis, quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat (neque enim credere poteſt quodlibet liberum arbitrium, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat) Profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos. Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolùm non infirmat, quod dictum eſt. (Quid enim habes, quod non accepiſti?) verùm etiam confirmat, accipere quippe, & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo. *Lib. de Spirit. & litt. cap.* 34.

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. De his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipſe, quæ vult ..... Non utique dubitandum eſt voluntati Dei, qui in cælo, & in terra, quæcunque voluit, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quò minùs faciat ipſe, quæ vult.... Deus tamen hoc non facit niſi per ipſorum hominum voluntates, ſine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentiſſimam voluntatem ...... Magis habet Deus in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas. *Lib. de corrept. & grat. c.* 14.

XIII.

Sicut ergò ratio vera docet, meliorem eſſe naturam, quam prorſus nihil delectat illicitum; ratio vera nihil minùs docet, etiam illam bonam eſſe,

XIII.

Quod enim amplius nos delectat, ſecundùm id operemur, neceſſe eſt: V. G. occurrit formâ ſpecioſâ fæmina, & movet ad fornicationis delectationem.

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.	LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.
quæ habet in poteſtate illicitam delectationem, ſi extiterit ita cohibere, ut non ſolùm de cæteris licitis, verùm etiam de ipſius pravæ delectationis cohibitione lætetur. *De gen. lib.* 11.	Sed ſi plus delectat pulchritudo illa intima, & ſincera ſpecies caſtitatis per gratiam, quæ eſt in fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus & ſecundùm hanc operamur. *In Epiſt. ad Galat.*

EXPLICATIO.

OBſerves I. Quod tam Angeli quàm homines in ſtatu innocentiæ, quantumcunque perfecti in natura, ſemper indiguerint gratia ſupernaturali ad exercendum bonum ſupernaturale, æquè ac illâ indiget homo in ſtatu naturæ corruptæ; quæ gratia ipſis tribuebat bonum cogitare, bonum velle, bonum perficere, eratque cauſa principalis omnium cogitationum & operum ſupernaturalium, quatenus talium, ſicut in moderna corrupta conditione. Nullus ex illis Angelis, aut hominibus erat, cui non potuiſſet adaptari Verbum Apoſtoli: *Quis te diſcernit?* vel cui non ſuggerenda fuiſſet ea ipſa admonitio, quæ facta eſt illi impio in Deuteronomio, qui gloriabatur, quaſi virtus & fortitudo brachii ſui ipſi procuraverit hanc felicitatem, quâ fruebatur.

S. Auguſtinus ad hoc propoſitum terminis ſe patentibus explicat: (a) „ qui gloriatur, non niſi in Domino glorietur; „ cùm cognoſcit non ſuum, ſed illius eſſe, non ſolùm, ut ſit, ve„ rùm etiam ut non niſi ab illo benè ſibi ſit, à quo habet, ut ſit. „ Quæ verba indifferenter protulit tam de Angelis quàm de homi-

(a) Lib. 11. de gen. ad litt. c. 3.

nibus

Digitized by Google

nibus. De homine verò in particulari ſic loquitur : (*a*) „ Nec „ ipſum Deus voluit eſſe ſine gratia ſua , quam reliquit in ejus „ libero arbitrio , quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, „ ad bonum nihil , niſi adjuvetur ab omnipotenti Deo.

Adhuc clarius ſe exprimit loquens de Angelis ſub figura cælorum : (*b*) „ Verbo Domini cæli firmati ſunt , & ſpiritu „ oris ejus omnis virtus eorum : nec à ſe ſibi ſolidamentum fue- „ runt , nec ipſi cæli firmitatem ſibi propriam præſtiterunt .... „ Non habuerunt aliquid ex ſe , & tanquam ſupplementum à Do- „ mino ſuſceperunt , ſpiritu enim oris ejus non pars , ſed omnis virtus eorum. „ Comparans verò bonos Angelos cum malignis dicit : (*c*) „ Inter ſanctos Angelos , & immundos fuit diſcretum; „ ubi dictum eſt : Diviſit Deus lucem & tenebras .... Solus quip- „ pe ille ipſa diſcernere poteſt. *Item* (*d*) iſtis (id eſt malis An- „ gelis) mala voluntate cadentibus ; illi amplius adjuti ad eam bea- „ titudinis plenitudinem , unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fie- „ rent , pervenerunt.

Obſerves II. Quod , licèt Angelus & homo in ſtatu naturæ integræ habuerint ingentem gratiam , nihilominus erat *illa gratia quidem magna , ſed diſpar , & multùm differens à gratia in noſtro & præſenti ſtatu*, juxta S. Auguſtinum (*e*) : Non ideò quia gratia Adami innocentis permittebat voluntatem in ſua indifferentia , moderna verò ad actum bonum neceſſitat , prout Janſeniſtæ poſt Calvinum volunt , ſed ex quatuor locis & cauſis principalibus attentè animadvertendis : nam in his fundatur tota ſubſequens explicatio textuum S. Auguſtini maximè ambiguorum.

I. Gratia Adami differt à noſtra , quia illa conſiſtebat ſolùm in illuſtratione intellectûs , quæ ipſi bonum faciendum præmonſtrabat , cùm econtra noſtra præſens gratia præter hanc il-

(*a*) Lib. de grat. & correp. c. 11.
(*b*) In pſal. 32. Conc. 2.
(*c*) Lib. 11. de civit. Dei. c. 19.
(*d*) Ibid. c. 9.
(*e*) Lib. de corrept. & grat. c. 11.

luſtrationem intellectûs præcipuè conſiſtat in actuali motione voluntatis : cùm enim voluntas Adami fuerit recta & habitualiter optimè diſpoſita, præſertim quòd non ſubjacuerit immodicis concupiſcentiæ motibus, *ſufficiebat, eratque neceſſe*, ait Auguſtinus, (*a*) *ad bonum operandum, quòd ejus intellectus fuerit illuſtratus interiore lumine, cognitionem obligationis ſuæ præbente*; ſicut enim oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus ſit, non poteſt cernere, ſic & homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè vivere non poteſt.

Non eadem eſt cauſa cum homine in moderna conditione naturæ corruptæ. *Nunquid enim*, quærit S. Doctor, (*b*) *quia deleta eſt iniquitas finita eſt infirmitas*? quaſi diceret : gratia habitualis quidem juſtificat, ſed non ſanat hominem totaliter à ſuis infirmitatibus, hinc indiget adhuc aliâ gratiâ ſingulariter voluntati humanæ annexâ; gratiâ, inquam, delectationis, quæ excitet voluntatem languidam & paralyticam, quæ lethargum excutiat, detque homini potentiam ad practicandum bonum, ita ut per motionem ſuam prævenientem ac delectationem applicet voluntatem ad velle, & facere.

Pluribus convincimur rationibus, quòd S. Auguſtinus verè crediderit, præcipuam differentiam gratiarum hominis integri & corrupti conſiſtere in hoc, quòd gratia hominis integri fuerit ſolùm in intellectu, econtra gratia hominis corrupti ſit ſimul in intellectu & voluntate : Operæ pretium erit hoc loco raptim annotare nonnullas rationes, ne tanquam aërem verberantes, & ſine Fundamento garrientes accuſemur.

Prima igitur ratio eſt, quòd S. Auguſtinus doceat; (*c*) „ „ Deum ſic ordinâſſe Angelorum, & hominum vitam; ut in ea „ prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium : deinde „ quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium. „ Jam verò ſi Deus in principio mundi ſuam gratiam etiam immiſiſſet voluntati Angeli, &

(*a*) Lib. de correpț. & grat. c. 26. (*b*) Serm. 2. de verb. Dom. c. 6.
(*c*) Lib. de correp, & grat. c. 10,

Digitized by Google

hominis, ut cum illa concurrat ad proſecutionem boni, & fugam mali, non oſtendiſſet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, potuiſſet enim vel virtuti vel infirmitati gratiæ attribui, quidquid voluntas boni aut mali exercuiſſet; quòd ſi autem Deus gratiam ſuam ſoli intellectui humano & Angelico tribuerit, ſine impedimento deprehendi potuit, quid poſſit voluntas, & liberum arbitrium hominis aut Angeli; cùm enim gratia iſthæc voluntati fuerit extrinſeca, non concurrebat immediatè ad actus voluntatis. Unde concludendum eſt juxta S. Auguſtinum illam gratiam in ſolo intellectu reſidere.

2. Ratio eſt, quòd S. Doctor, dum loquitur de voluntate & libero arbitrio hominis in ſtatu naturæ integræ, aliquando dicat, ejus liberum arbitrium habuiſſe vires ſufficientes ad operandum bonum, aliquando non habuiſſe ſufficientes: attende differentem de ſufficientia; (*a*) „ Verum eſt, quod ait Pela„gius, quòd Deus tam bonus, quàm juſtus talem hominem fe„cerit, qui peccati maculâ carere ſufficeret: „ attende econtra differentem de inſufficientia. (*b*) „ Etſi peccatum in libero arbitrio Adæ erat conſtitutum; non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat;„ jam quomodò conciliabis has duas ſententias apparenter adeó contrarias, imò contradictorias? niſi dixeris, S. Auguſtinum, cùm voluit liberum arbitrium Adami adhuc integri habuiſſe *vires ſufficientes*, intellexiſſe, primum parentem non opus habuiſſe gratiâ immediatè excitante voluntatem ad agendum; cùm enim hæc voluntas ante peccatum non fuerit infirma, ſicut poſtea, ideo ex ſe ipſa ſufficiens erat; econtra quando aſſerit, liberum Adæ arbitrium *non fuiſſe ſufficiens*, intellexiſſe, quòd Adæ neceſſaria fuerit gratia, illuſtrans ejus intellectum ad cognoſcendum, quid oporteat facere. Igitur gratia Adæ integri ex mente S. Auguſtini fuit gratia intellectûs, non voluntatis.

3. Ratio eſt, quòd, dum S. Auguſtinus verſatur circa gra-

(*a*) Lib. de nat. & grat. c. 43.
(*b*) In Enchir. c. 106. & c. 11. de corrept. & grat.

tiam hominis in ſtatu naturæ corruptæ, teſtetur eam movere, excitare, adjuvare, voluntatem præparare, cujus tamen nunquam meminit de homine in ſtatu naturæ integræ; imò notatur contrarium, quòd talem gratiam hominis integri comparet lumini irradianti, & cujus neceſſe habent oculi noſtri quantumvis naturaliter perfecti, ut videant, & cognoſcant ſua objecta. Sic enim ait: (a) *Ibi eſſet adjutorium Dei, & tanquam lumen oculis ſanis, quo adjuti videant ſe prebere volentibus.* Jam, quod lumen eſt oculis, hoc cognitio eſt intellectui, hinc etiam cognitiones nominantur lumina; conſequenter manifeſtum eſt, S. Auguſtinum tenuiſſe, gratiam Adæ fuiſſe lumen intellectûs, non motionem voluntatis ſicut eſt gratia hominis per peccatum depravati: ſed procedamus ad alias differentias inter gratiam hominis corrupti & integri, utpote quæ non merentur minorem reflexionem.

2. Gratia Adæ innocentis diſcrepat à noſtra, quia in ſtatu naturæ corruptæ noſtra gratia torpentem & oſcitantem voluntatem excitans in ea producit abſque ejus conſenſu primam motionem neceſſariam & indeliberatam, quâ motione voluntas fertur ad bonum, ut cum ea eliciat aliam & ſecundam motionem perfectè liberam, deliberatam, & conſentaneam. Cùm econtra in ſtatu innocentiæ voluntas Adæ non indigeat tali motu præveniente, ac rationem antevertente, eò quòd ejus ratio ſemper ſit plenè excitata, ac ultimatò diſpoſita ad praxin omnis bonitatis; adeò ut dicendum ſit, & matura ruminatione obſervandum, quòd, ſi gratia fuerit neceſſaria primo parenti, nihil tamen neceſſarium produxerit, cùm econtra in præſenti naturæ conditione gratia excitet motum involuntarium, qui prævenit voluntatis conſenſum.

3. Inſuper gratia Adæ difformis erat cum noſtra in hoc, quòd homo ante peccatum poſſederit ſpeciem juris naturalis ad gratias divinas, cui juri illæ gratiæ erant quaſi naturales; adeò quidem, ut affirmare liceat, omne bonum, quod per gratias illas operabatur homo, fuiſſe ſuo ſenſu ex naturalibus ejus viribus,

(a) Lib. de nat. & grat. c. 4.

Digitized by Google

Ita intelligit rem, S. Auguſtinus quando dicit, (*a*) *quòd Adam in natura poſſe, & in poteſtate habuerit velle.* Sic etiam vult Cæleſtinus Papa, dum ait (*b*) *In prævaricatione omnes homines naturalem poſſibilitatem, & innocentiam perdiderunt.*

Porrò jus illud naturale, de quo agimus, innitebatur innocentiæ & juſtitiæ originali, in qua Adam creatus fuerat; quamvis enim Deus Adamo etiam innocenti non fuerit debitor, indubitatum tamen eſt, Bonitati & Sapientiæ divinæ conveniſſe, eum providere ſuccurſu neceſſario, cum quo conformiter naturæ rationali, in qua creatus erat, vivere valeat: pariter quamvis Deus omninò gratuitò Adæ conceſſerit gratiam originalem, certum tamen eſt, eâ ſemel conceſsâ Adamum obtinuiſſe jus ad æternam gloriam & per conſequens ad omnes gratias illuc perveniendi neceſſarias: inde conſequitur meritum Adæ ſuo modo fuiſſe meritum naturæ, meritum humanum & naturale, eò quòd meritum illud acquiſiverit per gratiam, ad quam habuerat jus innatum & naturale: quod idem eſt, ac ſi diceres, hominem fuiſſe natum cum gratia, eamque recepiſſe per naturam virtute Innocentiæ & juſtitiæ originalis, in qua gratuitò creatus fuerat.

Quantùm ab hoc diſtat homo in ſtatu naturæ corruptæ! cùm enim in deplorando hoc ſtatu totaliter perdiderimus per peccatum jus illud naturale, & ejus loco ſubſtituta ſit gratia ſummè gratuita, tanquam res omninò aliena, atque extranea naturæ depravatæ & ſceleratæ; hinc omne, quod Adam cenſebatur velle & agere ex virtute quodammodò naturali liberæ voluntatis, id totum cenſemur velle & facere, effectivè volumus & facimus ex ſola Dei gratia.

4. Diſcriminatur tandem gratia Adæ & noſtra, quia in natura corrupta gratia eſt multò major, quàm in natura ſana, partim, quòd propter infirmitates, quibus decumbimus, majore gratiâ indigeamus, partim quòd propter peccatum ſimus minus

(*a*) Lib. 11. de gen. ad litt.
(*b*) Epiſt. ad Epiſc. Gal. c. 3.

digni, vel potiùs poſitivè indigni Dei gratiis; atqui quò indignior es gratiâ, eò major eſt gratia, ſi tamen ea tibi contingat. Ex his ſequitur, bonum ex tali gratia exercitum eſſe iterum multò magis effectum gratiæ, eique plus attribuendum, quàm omne bonum olim ab Adamo factum. En tibi Theologiam, quam judicia Novatorum ſuperficialia minimè penetrant, quæ tamen profundiùs ponderata mentem S. Auguſtini etiam in difficillimis ejus eloquiis palam interpretatur, ita, ut nullus remaneat dubitandi locus.

Reſp. ad 1., 2. & 3. „Sicut fecerunt Angeli ſancti, „qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, ſteterunt ipſi. *Item*: „permanere cum Deo non eſt omninò in viribus liberi arbitrii, „quales nunc ſunt, & fuerunt in Adam. *Item*. Poſt caſum ho„minis non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere. „ Reſpondetur inquam, ad hæc loca, quòd S. Doctor, dicendo Deum reliquiſſe Angelis & homini adhuc integro libertatem operandi ad placitum, hunc cecidiſſe, illos verò per uſum liberi arbitrii non cecidiſſe, nunquam intenderit excludere gratiam Dei, ſine qua tam parùm apti erant Angeli & primus homo ad bonum in ſtatu integro, ac nos in ſtatu corrupto; pariter cùm dicit, bonum in natura depravata exercitum debere attribui gratiæ divinæ; per hoc non prætendit in nobis tollere cooperationem liberi arbitrii, tam parùm ac in homine & Angelis innocentibus, cùm utrobique ſe æqualiter explicaverit tam circa cooperationem liberam, utpote quam de præſenti exercemus in operibus bonis, quàm circa neceſſitatem gratiæ ad opera bona Angelorum ac hominis in ſtatu naturæ incorruptæ.

Quando igitur S. Auguſtinus opera bona Adæ & Angelorum in ſtatu integro attribuit ſpecialiter eorum liberæ cooperationi, noſtra verò divinæ, id aliter intelligendum non eſt, niſi in ſenſu, qui opponitur Pelagianis negantibus peccatum originale, ac neceſſitatem gratiæ ex Jeſu Chriſto, & conſequenter non admittentibus aliquam differentiam inter noſtrum & ſtatum Adami

Digitized by Google

adhuc innocentis: dico, non aliter niſi in ſenſu Pelagianis oppoſito intelligendum eſſe S. Auguſtinum, & hoc ex ſupra-notatis, rationibus, quarum præcipuæ ſunt duæ ſequentes. 1. Quia Adam ad operandum bonum opus non habuit niſi illuſtratione actuali intellectûs, vi cujus voluntas plenè diſpoſita potuit agere vel non agere; cùm econtra voluntas noſtra poſt peccatum languida & obſtinata indigeat gratiâ, quæ eam phyſicè moveat, & immediatè applicet ad volendum & operandum bonum. 2. Quia Adam per ſuccurſum gratiæ, ejus ſtatui quaſi connaturali, exercens bonum reputabatur id facere ex viribus liberi arbitrii; cùm econtra homo corruptus bonum perficiens ex viribus ejus naturæ indebitis, propè peregrinis & extraneis reputetur id facere ſola auxiliante Dei gratia.

Reſp. Ad quartum, ubi S. Auguſtinus dicit, gratiam ſanitatis eſſe ſuccurſum, ſine quo nihil fit, & gratiam medicinalem eſſe ſuccurſum, per quod bonum efficitur. *Aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit; & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit: primo itaque homini* &c. Reſp. Inquam, quòd, ſicut gratia medicinalis non eſt tale adjutorium, quo facimus bonum, ut non ſit ſimul adjutorium, ſine quo facere bonum non valemus; ſic pariter gratia ſanitatis non fuerit tale adjutorium *ſine quo*, quin non ſimul & ſemel fuerit adjutorium *cum quo*. Ut reſponſionem profundiùs penetres, notandum, quòd Adam ante primum peccatum plures actiones bonas exercuerit. Conſtat enim ex teſtimonio Scripturæ, eum non manducâſſe ex arbore interdicta, niſi poſtquam fuerat poſitus in paradiſo terreſtri (*a*) niſi poſtquam appellavit nominibus ſuis cuncta animantia & univerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ; imò niſi poſtquam aliquo tempore cum ſua conjuge habitaverat, ne quidem credibile eſt, eum durante hoc temporis intervallo non ſæpius elevâſſe mentem ſuam ad Deum per actus fidei, adorationis & laudis &c. maximè in primo inſtanti morali ſuæ vitæ, quos actus tunc non eliciendo peccâſſet

(*a*) Gen. 2.

Digitized by Google

mortaliter juxta doctrinam S. Thomæ, ejuſque inobedientia comedendo de fructu prohibito non fuiſſet primum ejus peccatum.

Hoc poſito, attendas, quomodò argumenter: ſecùndùm S. Auguſtinum non potuit Adam producere actus virtuoſos ſine ſuccurſu gratiæ, & cum tali ſuccurſu eoſdem actus produxit; & hæc gratia, quæ prius erat tantùm ſufficiens, *& ſine qua* primus homo nil efficere valebat, facta eſt efficax: atqui talis gratia eſt adjutorium non tantúm *ſine quo*, ſed etiam *cum quo*, ergo illa gratia fuit adjutorium, *cum quo* Adam actus virtuoſos produxit. Hic diſcurſus eſt innegabilis, niſi velis tibi contradicere, ac pernegare adverſùs ſuppoſitionem S. Auguſtini, quòd hujuſmodi gratia non fuerit Adæ neceſſaria, nec adjutorium *ſine quo non*: tunc enim adjutorium aliquod non eſt neceſſarium, quando ſine illo actualiter opus bonum perficitur, vel quando non cum illo; & per illud operamur. Quòd ſi autem gratia, *per quam* Adam bonum operatus eſt, non eum neceſſitaverit, ut faciat bonum licèt in eo æquè fuerit adjutorium *per quod & cum quo*, ac in nobis, eccur noſtrum adjutorium nos neceſſitet ex eo ſolo, quòd ſit adjutorium *cum quo vel per quod*? aut ſi gratia, *per quam* hodie operamur, nos neceſſitet, cur non etiam illa neceſſitavit, *per quam* Adam ſuas virtutes elicuit?

Quapropter valde obiter intelligunt Auguſtinum, qui putant, eum hâc diſtinctione in auxilium *ſine quo*, & auxilium *quo* voluiſſe indifferentiam liberi arbitrii vel minimùm ſuſpectam reddere; neque enim aliud intendebat S. Doctor (& quidem ut impeteret errores Pelagianos) niſi gratiam in Adamo non fuiſſe adjutorium per *quod vel cum quo* ex omni parte ſimile illi adjutorio, quo gaudet homo in ſtatu naturæ corruptæ, quodque nos manuducit ad bonum modo prorſus differente.

Ut enim id repetam, quod nunquam ſatis inculcavero. Cùm voluntas Adami fuerit optimè diſpoſita habitualiter, hinc gratia illi non tribuebatur ſicut nobis præciſè & formaliter ad velle bonum, eò quòd voluntas utpote per gratiam habitualem elevata

vata fuerit ex ſe ipſa ſatis firma, ſemper tamen præſuppoſita illuminatione actuali intellectûs, ſine qua voluntas nihil operari poterat, cùm nihil ſit volitum, niſi præcognitum. Exinde venit, quòd S. Auguſtinus hanc gratiam illuminativam appellet in ſenſu ſuo ſpecialiſſimo auxilium *ſine quo* Adam bonum velle non potuit, non tamen eam appellat auxilium *quo*, *cum quo*, *vel per quod* formaliter voluit; Quamvis etiam verum ſit, ſi dicas tale adjutorium eſſe ſimul & ſemel auxilium *quo*, *& ſine quo*, in quantum nimirum intellectum illuminat ad intuendum immobile bonum, & conſequenter etiam ejus voluntatem inflammat ad amorem ejuſdem boni, ut loquitur Auguſtinus: (*a*) *Voluntas Adami in amore ſuperioris incommutabilis boni, à quo illuſtrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret.* Adeò quidem, ut ſi hæc gratia formaliter & immediatè non moveat voluntatem Adami, ſicuti noſtra gratia, utpote quæ idcircò ab Auguſtino appellatur in ſenſu ſuo particulari *auxilium*, *quo* volumus, ſaltem movet voluntatem mediatè, moraliter & conſequenter.

Reſp. ad quintum, *Prima gratia eſt, quâ fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit; ſecunda, quâ etiam fit, ut velit.* Reſpondeo, inquam, gratiam medicinalem non facere, ut velimus bonum taliter, ut in ejus concurſu non ſimus liberrimi ad id faciendum vel non faciendum: ſi enim gratia præcisè ideò nos neceſſitaret, quòd det velle & perficere, ſequeretur contra Janſeniſtas, gratiam primam in ſtatu innocentiæ neceſſitâſſe quoque primum hominem, cùm hæc prima gratia Adæ & unum & alterum taliter tribuerit, ut de iis non magis gloriari potuerit ac nos, meritóque nobiſcum, & cum Paulo faſſus ſit. *Gratia Dei ſum id, quod ſum.*

Quando igitur S. Auguſtinus docet, primam gratiam præbere homini *potentiam operandi bonum*, & ſectandi juſtitiam, *ſi velit*, nunquam prætendit hominem ſine Dei adjutorio poſſe, velle, facere, aut etiam feciſſe bonum: ſicut viciſſim, dum dicit, per ſecundam gratiam *etiam fieri, ut velit*, nunquam præſumit negare, nos eſſe liberos ad volendum, vel nolendum, agendum vel non

(*a*) Lib. 14. de civit. Dei cap. 13.

agendum; ſolùm igitur inſectatur Pelagianos volentes, naturam hominis in Adam non fuiſſe vulneratam; contra hos infideles, ſuos fideles inſtruit, primam gratiam formaliter & per ſe loquendo, non eſſe conceſſam Adamo niſi ad illuminandum ejus intellectum: virtute cùjus luminis interioris poterat operari bonum, ſi voluit, abſque alia gratia voluntatem ad bonum excitante, vel immediatè adjuvante; cùm econtra ſecunda illa gratia poſt lapſum, *major ſit miſericordia Dei*, ait Auguſtinus: (*a*) *utpote qua plus poteſt*; dum ultra illuſtrationem intellectûs etiam immediatè & formaliter voluntatem moveat, quæ ſeclùſo hoc gratiæ motu langueſceret quaſi paralytica, incapax ad exercitium boni propter extremam imbecillitatem ex peccato originali attractam.

℟. Ad ſextum & ſeptimum: *quæ futura erat merces meriti, factum eſt donum gratiæ.* Item, *humana merita hic conticeſcant & regnet Dei gratia.* ℟. inquam, quòd, ſicut merita Adami non ita erant propria ipſius bona, aut propriis ſuis viribus acquiſita, quin non ſemper & veriſſimè adhuc manſerint dona gratiæ divinæ; ſic econtra noſtra merita non ita ſunt dona Dei & effectus gratiæ, quin non dependeant ſuo modo à cooperatione liberii arbitrii, ſintque ejus veri effectus. Quòd autem merita Adami dicenda ſint propria Dei dona, audi loquentem S. Doctorem: „ (*b*) Humana na„tura immortalitatem eſt acceptura per gratiam, quam, ſi „non peccâſſet, fuerat acceptura per meritum, quamvis ſine gra„tia nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet. *Item*; Iſtam (*c*) bo„nam voluntatem quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona vo„luntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, crea„vit? „ Item. *Dederat homini Deus bonam voluntatem*: Item (*d*) *nihil erat in eo* (intellige Adamo) *niſi quod contulerat miſericordia Creatoris.*

(*a*) In Enchir. c. 106.
(*b*) Enchir. cap. 106.
(*c*) Lib. de civit. Dei cap. 9.
(*d*) Serm. 105. de temp.

Digitized by Google

Unicum ergò diſcrimen inter has duas ſpecies meriti ex homine integro & corrupto conſiſtit in intenſione ſecundùm magis & minùs, ita, ut in ſtatu naturæ reparatæ noſtra merita magis ſint Dei dona, magis effectus gratiæ, & per conſequens minus humanæ, ac minus ad nos pertinentes, ac in ſtatu naturæ intemeratæ. Cùm enim Adam juxta tertiam meam prænotationem habuerit quandam ſpeciem juris naturalis ad Dei munera & gratias, hinc etiam ejus merita erant magis humana, ipſique connaturalia; eò quòd meruerit quaſi ex viribus naturaliter debitis, cùm fuerint naturæ ſuæ propemodum naturales. Econtra cùm homo reparatus perdiderit per primum peccatum vires ſuas ſupernaturales, quæ antea ipſi erant tanquam naturales, & earum loco adjuvari debuerit viribus alienis, ac purè gratuitis, id eſt, quæ non amplius erant tanquam naturaliter debitæ, ſicut homini innocenti; hinc etiam ejus merita per tales gratias purè gratuitas comparata magis dicuntur divina quàm humana, plus à gratia quàm proprio arbitrio dependentia.

Reſp. ad Octavum, ubi S. Auguſtinus dicit, gratiam medicinalem nos permovere ad agendum modo indeclinabili & inſuperabili, & ad volendum bonum impellere fortitudine inviſtiſſima: *Ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, infirmis ſervavit, ut ipſo donante inviſtiſſimè, quod bonum eſt, vellent.* Reſp. inquam, S. Auguſtinum non ex eo appellare gratiam medicinalem idcircò potentiſſimam, inſuperabilem, inviſtiſſimam, indeclinabilem ad volendum, & faciendum bonum, quaſi nobis non relinquat potentiam ei reſiſtendi, ſed quia nobis ſuppetit vires adeò firmas & quia voluntatem ad bonum tam fortiter roborat, ut quantumcunque ſimus infirmi & debiles ex nobis ipſis, ſi tamen velimus cooperari, evadamus inſuperabiles ad quoſcunque etiam violentiſſimos mundi, carnis, ac dæmonis inſultus & tentationes piis noſtris deſideriis repugnantes. Hoc evidenter patet ex ipſis formalibus textûs, quem objiciunt. *Et ideò*, inquit Auguſtinus, *quamvis infirma* (humana voluntas) *non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.*

Quamobrem minimè attingitur mens S. Doctoris, ejuſ-

que verbis ſenſus omninò contrarius inditur, tribuendo gratiæ Dei vim penitus victorioſam, quam tamen ipſe non attribuit niſi voluntati humanæ prout adjutæ divino auxilio, neque enim hîc loquitur niſi de virtute & fortitudine communicata hominis voluntati ad vincendos ſalutis ſuæ inimicos, non verò de virtute & fortitudine communicata gratiæ Dei ad vincendam voluntatem, eámque inſuperabili violentia abripiendam quodammodò in ſervitutem & captivitatem inevitabilem. Quàm riſu dignum, ſi dicas cum Novatoribus, gratiam ſuperare infirmitatem voluntatis, ut gratiam inde glorifices, eique virtutem in hoc ſenſu omnipotentem & invincibilem tribuas? certè non glorificatur gratia, ſi ſuperet infirmitatem, nec omnipotente & invincibili virtute indiget, ut vincat, quod infirmum eſt. Nunquam S. Auguſtino incidit cogitatio tam abſurda & ridicula: procul à fortiſſimo & lucidiſſimo ejus ingenio ratiocinium adeò debile & tenebricoſum, ſuæque intentioni tantopere contrarium.

De quo enim, putas, hîc loci tractat & loquitur? quâ de re agitur? hoc manifeſtè patet ex ipſo textu, quo demonſtrat, gratiam ſuccurrere voluntati, ut ejus infirmitatem roboret: *ſubventum eſt infirmitati voluntatis humanæ.* Num verò, ut firmetur infirma voluntas, neceſſe eſt, ut gratia Dei eam vinculis & compedibus ſtringat, alliget, in ſervitutem redigat, ac neceſſitatis inevitabilis jugo premat? minimè procul dubio: quis enim non palpat, infirmas vires humanæ voluntatis tali neceſſitate per gratiam impoſita non augmentari, ſed potiùs diminui? ſicut ſi quis hominem ligaret, & ita manibus pedibuſque ligatum protraheret, non utique ejus vires roboraret, ſed frangeret: adeóque ut debilitas voluntatis fortificetur, neceſſe eſt, & ſufficit, quòd gratia eam excitet, quòd eam animet, in certamine contra hoſtes adjuvet, talia arma, tale brachium & robur ſubminiſtret, quibus, ſi illis uti voluerit, triumphet & invicta remaneat: hic eſt genuinus ac verus ſenſus hujus Auguſtiniani eloquii; quo Novatores dilatatis fimbriis & faucibus ineptè tripudiant. *Subventum eſt, &c.*

Digitized by Google

Quoad illud, quod S. Doctor mox ſubjungit, nimirum, „Fortiſſimo dimiſit, atque permiſit facere, quod vellet: infirmis „ſervavit, ut ipſo donante, quod bonum eſt, vellent, & hoc „deſerere inviċtiſſimè nollent. „ Nemo ſibi perſuadeat, eum hoc loco velle libertatem Adæ ſub motione primæ gratiæ opponere captivitati hominis reparati ſub motione alicujus gratiæ ſecundæ & neceſſitantis; nimis enim clarè mentem ſuam expoſuit de indifferentiâ hujus gratiæ ſecundæ ſeu poſterioris in ſtatu naturæ depravatæ, ut ne quidem momento hæſitaveris de ipſius ſententia: non aliud indicare vult his verbis, niſi, quòd Deus dederit primo homini gratiam, quæ intellectum ipſius duntaxat illuminet, non verò, quæ immediatè cum ejus voluntate ad bonum concurrat juxta explicationem ſuprà datam, & quòd hæc gratia voluntatem reliquerit intactam, ut faceret, quod vellet; quippe quæ erat ſatis valens ſine concurſu gratiæ ad praxin virtutum. *Fortiſſimo* (id eſt Adæ) *ſe dimiſit, ac permiſit facere quid vellet.* Cùm econtra voluntas hominis corrupti per peccatum infirmata receperit aliam gratiam, quam Deus infirmis ſervavit, gratiam ſcilicet excitantem, adjuvantem, ad bonum velle & perficere effectivè & immediatè concurrentem, & hoc quidem tam potente & conſtante adjutorio, ut ſi voluntas velit, frangi non valeat ullis hujus vitæ adverſitatibus.

Tandem ipſi termini adverbiales *indeclinabiliter*, *& inviċtiſſimè*, ſatis innuunt ſenſum & mentem S. Auguſtini: ſi enim diceret, voluntatem noſtram moveri per gratiam inevitabiliter, forſitan exinde conjiceres, S. Auguſtinum velle, libertatem penitus tolli per gratiam, voluntatem abſolutè neceſſitari ad bonum, impoſſibile eſſe, ut hæc gratia non producat effectum, quem ſit capax producere. Cùm verò dicat ſolummodò, noſtram voluntatem moveri per gratiam fortiter, conſtanter, immobiliter, quod indicatur illo termino, *indeclinabiliter*; hinc facilè comprehenditur, quòd nihil aliud hâc expreſſione inſinuare velit, niſi gratiam Dei voluntatem hominis totaliter firmare ad bonum, ut, ſi velit cooperari, nîl eum divellere poſſit ab exercitio virtutis.

Digitized by Google

Pariter ſi S. Auguſtinus dixiſſet, nos moveri ad volendum bonum per gratiam *ſummè invincibiliter*, forſan cum Novatoribus inde ſumpſiſſes occaſionem divulgandi, S. Auguſtinum docere, nos per auxilium talis gratiæ fieri omninò impeccabiles, econtra cùm aſſerat, nos per gratiam ferri ad volendum bonum *invictiſſimè*, id eſt, vi & virtute valde invictâ, hinc plus non eruitur ex tali modo ſe explicandi, niſi quòd hæc gratia nos inclinet valenter & potenter ad bonum, vel ad ſummum perquam certò & infallibiliter, ſi ſit quæſtio de gratia efficaci.

Verumtamen quocunque tandem modò exponere velis hos terminos *indeclinabiliter*, *& invictiſſimè*, nunquam aliud expriment in ſenſu S. Doctoris, niſi velis eum ſibi ipſi contradicere, quàm neceſſitatem moralem, ſive neceſſitatem conſequentiæ, hoc eſt, gratiam medicinalem eſſe tam vigoroſam, ut nos ad volendum bonum tantâ efficaciâ conducat, ut moraliter ſit impoſſibile, nos vinci à malo, imò abſolutè ſit impoſſibile, ſuppoſita noſtra efficace determinatione vincendi. Hic eſt unicus ille ſenſus, qui poſſet adſcribi S. Auguſtino, quando agit de neceſſitate operandi ſub motionibus efficacibus gratiæ.

Cùm verò difficultatem illam nunquam nimiùm nec unquam ſatis explicemus, quam nemo nimiùm aut ſatis comprehendit, ideò in exemplo rem diſtinctiùs declaramus. Quando V. G. Laudamus urbem velut inſuperabilem, volumúsne per id ſignificare, quòd neque ſe ſe obſidentibus dedere, nec ab obſidentibus ipſis expugnari valeat, licèt duces & milites ſegniter eam defendant? abſit: ſed duntaxat de tali civitate, quam dicimus inexpugnabilem, teſtari volumus, eam fortiſſimè circumvallatam, plurimo milite præſidiario cuſtoditam, abundanter omnibus requiſitis proviſam, ut capi & ſuperari non poſſit niſi viâ proditoriâ, aut ignaviâ præſidii & inhabitantium.

Pariformiter, ſi S. Auguſtinus dicat, voluntatem hominis depravati eſſe invincibilem per gratiam atque inſuperabilem, non utique prætendit affirmare, quòd voluntas humana abſolutè lo-

Digitized by Google

quendo expugnari nequeat à concupiſcentia, neque ſe ſpontè tradere valeat ejus armatis inſultibus, ſed tantùm vult intimare, voluntatem per gratiam fieri invincibilem, ſi velit reſiſtere, ac prœliare prælium Domini, ad quod gratia eam armat clypeo, enſe & galeâ. Tale eſt revera, juxta S. Auguſtinum, ingens illud comodum, quod per gratiam Jeſu Chriſti recipimus: hæc tam perfectè damnum reparat per peccatum Adæ contractum, tam robuſtos nos efficit contra proprias infirmitates, ut reddamur tam invincibiles per gratiam, ac primus homo fuerit per naturam & ſtatûs ſui conditionem. Hoc ipſum eſt, quod S. Doctor videtur velle inſinuare per præſentem textum, de quo eſt quæſtio: in hoc enim opponit qualitatem *fortiſsimi*, quam tribuit Adamo, qualitati *invincibilis*, quam dat voluntati hominis reparati, prout hæc ſubjacet motibus divinæ gratiæ.

Porrò ſi quis rem examinet ſeclusâ pertinaciâ voluntatis ac præventione intellectûs, haud difficulter deprehendet, terminos *fortiſsimus* & *invictiſsimus* fermè id ipſum ſignificare: In tantùm enim homo dicitur invincibilis, in quantùm eſt præditus robore & viribus; & quo majoribus pollet viribus, eò minùs erit vincibilis, adeò, ut rectè dixeris, fortiſſimum eſſe invictiſſimum, & convertibiliter invictiſſimum eſſe fortiſſimum. Jam ut redamus ad propoſitum; ſicut nemo unquam ſanæ mentis concludet, hominem abſolutè eſſe invincibilem, eò quòd ſit fortiſſimus, præſertim ſi ex ignaviâ vires ſuas impendere nolit, ſic nemo unquam ſanâ ſequelâ deducet, hominem neceſſariò debere vincere, nec unquam vinci poſſe, eò quòd ſit invincibilis: aliàs primus homo utpote fortiſſimus juxta Auguſtinum, & conſequenter invictiſſimus nunquam cecidiſſet; viciſſet, non victus eſſet.

Nihilominus ſupponamus terminum *invictiſsimus* plus dicere, quàm *fortiſsimus*, tantámque exprimere perfectionem, ut qui illo intitulari meretur, nunquam vincatur; Non tamen exinde ſequitur, eum neceſſariò vincere, multò minùs eum eſſe neceſſitatum, ut nunquam vinci velit: Quod Janſeniſtæ æternum non probabunt

Digitized by Google

ullis Auguſtini teſtimoniis, niſi ut jam dixi, loquantur de neceſſitate conſequente, non verò antecedente & propriè dictâ.

Reſp. ad Nonum, ubi S. Auguſtinus dicit, noſtram voluntatem moveri ſeu agi, non duci, id eſt regi per gratiam, conſequenter non apparere, quid agat voluntas. „ Plus eſt agi, quàm regi: qui „ enim regitur, aliquid agit: qui autem autem agitur, agere ali„ quid vix intelligitur.' „ ℟. Inquam, quòd licèt Adam in ſtatu innocentiæ veraciter fuerit motus per gratiam, æquè ac nos, attamen affirmari poteſt, plus eum per gratiam fuiſſe ductum & gubernatum, quàm motum; poſtquam enim ejus intellectus aliquando lumine gratiæ fuit illuſtratus, quid ſit agendum, ejus voluntas utpote completè diſpoſita potuit operari ex ſe ipſâ, ac imitari prævios radios intellectûs.

Econtra quamvis homo in ſtatu naturæ corruptæ veraciter ſit ductus, ac gubernatus per gratiam, magis tamen eâ movetur, quàm ducitur, partim quia hæc gratia eſt neceſſaria, ut in ejus voluntate excitet motum indeliberatum eam præveniendo, partim, quia voluntas nequit producere aliam motionem ſecundam, liberam & conſentaneam abſque adjutorio illius ipſiuſmet gratiæ. Unde venit, quòd bona opera, quæ exercet, potiùs dicantur opera facta per gratiam quàm per voluntatem, eò quòd gratia multò plura ibi operetur ac ipſamet voluntas, quæ tamen non deeſt ſuis vicibus, ſuamque liberam cooperationem contribuit: quod utique S. Auguſtinus in præſenti textu neutiquam negat, cùm non dicat, voluntatem à ſpiritu & gratiâ Dei motam & excitatam prorſus nihil agere, ſed tantùm, quòd agere *vix* intelligatur.

Reſp. ad Decimum & Undecimum: Ubi Auguſtinus dicit: nullum eſſe cor adeò durum, quod reſiſtat gratiæ. *Hac gratia à nullo duro corde reſpuitur.* Item: *ſi enim Deus miſeretur, ergo jam volumus.* ℟. inquam, S. Doctorem velle hâc & aliis ſimiliter ſonantibus ſententiis inſinuare gratiam efficacem, ut probaret eò efficaciùs contra Pelagianos, prout jam ſuprà notavi, quòd gratia nobis gratuitò donetur, & quòd ſit abſolutè neceſſaria ad velle & perficere bonum;

num;

num; nuſquam tamen in univerſis Auguſtini textibus ne quidem veſtigium monſtrabunt adverſarii, quod neceſſitatem aliquam abſolutam & antecedentem indicet, quam Janſeniſtæ ex Auguſtino effodere tantopere deſudant.

Verum eſt, quòd S. Doctor dicat *gratiam à nullo duro corde reſpui,* intellige gratiam efficacem, ſed nullibi dicit, non eſſe cor adeò durum, quod gratiæ etiam efficaci *poſſit reſiſtere:* hoc poſterius à priore toto cælo diſtat: poteſt reſiſti gratiæ, quia hæc non aufert cordis duritiem aliter, niſi faciendo, ut cor liberrimè in bonum conſentiat: Interim tamen huic gratiæ nunquam reſiſtitur, quia Deus novit gratias ſuas ita proportionare ac contemperare cum diſpoſitionibus hominis, quem vult ſalvare, ut actu cor & voluntatem ejus frangat, atque emolliat ad conſenſum liberum. Pariter, dum S. Auguſtinus dicit; *Si Deus miſeretur, ergò jam volumus*; optimè loquitur, vult enim, quòd, ſi Deus miſereatur efficaciter, tunc jam velimus, non tamen aſſerit, nos jam velle neceſſariò bonum, quod per ejus efficacem miſericordiam volumus, nam Deus, qui facit nos illud bonum velle infallibiliter, facit quoque nos id velle liberrimè: Et in hoc radicatur illud myſterium gratiæ operativæ, quod teſte Auguſtino non omnes capiunt, *ſed intellectu hoc penetrare pauci valent*: Fortaſſis nonnulli inferent, ſi ex allatis Auguſtini textibus concludi nequit, nos neceſſitari per gratiam, ſaltem concedendum eſt, omnes gratias ſortiri & aſſequi ſuos effectus, & conſequenter nullas dari purè ſufficientes. Ad hoc reſpondetur, nihil adeò aberrare à ſana ratione & æquitate judicii defæcati, quàm ſi velis de mente alicujus S. Patris ſententiam ferre ex uno alterove ejus textu apparenter favorabili tuæ pertinaciæ, quâ percuſſus es, non attendendo ad omnes reliquas ejus ſententias, quibus explicatiùs ſuos ſenſus declarat. Cùm igitur S. Auguſtinus centenis locis jam citatis vel adhuc citandis agnoſcat gratiam, cui reſiſtitur, & quæ non attingit ſuos effectus, ad quos eſt conceſſa, quis non inde concludat, S. Doctorem in præſenti propoſito non niſi de ſpeciali & extraordinario Dei au-

Digitized by Google

xilio tractare? præſertim quòd hîc minimè excludat gratiam ſufficientem ſuoque effectu carentem.

Utique S. Doctor hoc loco ſermocinatur de gratia, quæ ſanctos efficit, quæ nunquam reſpuitur, ne quidem à cordibus induratiſſimis, utpote quæ ex ſpeciali prædilectione data eſt, ut in effectu duritiem frangat: ſed ubinam locorum meminit præter hanc non aliam dari? utique fatetur hoc loco, quòd, ſi Deus noſtri miſereatur, confeſtim velimus bonum, & quòd ad id in effectu feramur, ut probet nos illud velle ex miſeratione divina; aſt ubinam locorum aſſerit, Deum non poſſe noſtri miſereri, quin tamen non protinus & efficaciter velimus? quod utique explicitè fateri deberet, caſu quo vellet exterminare omnes gratias præter efficaces.

Quòd ſi hoc paſſu rejiciat propoſitionem Pelagianam; *fruſtrà Deus miſeretur, niſi velimus*; non eam niſi in ſenſu Pelagii rejicit, cujus errores profligavit, cùm vix nati eſſent, ac balbutiendo clamarent, Deum non miſereri niſi eorum, qui per bonam voluntatem meruerunt miſerationes ejus, noſque poſſe bonum velle ſine auxilio gratiæ interioris.

Hoc patet manifeſtè ex iis, quæ ſcribit in principio operis citati (*a*) ubi ſtatum quæſtionis explanans proponit ea, quæ velit probare, & cum Apoſtolo defendere: „ Ut de operum me-„ritis, *ait*, nemo glorietur, de quibus audebant Iſraelitæ gloriari, „quòd datæ legi ſerviiſſent: Ex hoc Evangelicam gloriam tan-„quam debitum meritis ſuis percepiſſent ... „ & pauló poſt exponens textum Pauli ad Romanos 11. Inquit, „ Apoſtolus „fidei gratiam præponens operibus, non ut opera extinguat, ſed „ut oſtendat, non eſſe opera præcedentia gratiam, ſed conſequentia; „ut ſcilicet non ſe quis arbitretur, ideò percepiſſe gratiam, quia „benè operatus eſt; ſed benè operari non poſſe, niſi per fidem „perceperit gratiam. „

(*a*) Lib. 1. ad Simpl. q. 2.

Adeóque dum S. Auguſtinus teſtatur, non poſſe dici *fruſtra Deum miſereri, niſi velimus*; hoc aſſerendo nequaquam ſibi contradicit, nec id negat, quod centies alibi in ſuis tractatibus repetit, nimirum noſtram voluntatem liberè concurrere cum gratia ad praxin omnium operum bonorum: ſed hæc duo duntaxat intendit docere, quæ benè notanda ſunt: 1. Quòd Deus, ut noſtri miſereatur, non expectet noſtram voluntatem, quaſi non obtineamus ejus miſericordiam, niſi per meritum & medium bonæ voluntatis præcedentis 2. Quòd non valeamus aliquid boni velle niſi dependenter à miſeratione divina, & quòd nulla bona voluntas ſit poſſibilis, niſi ſit effectus miſericordiæ Dei, *quia*, ait cum Apoſtolo, *ipſe Deus operatur in nobis bonum velle, & perficere.*

Reſp. ad Duodecimum: ubi S. Auguſtinus dicit, nullum liberum arbitrium hominis reſiſtere Deo, quando Deus vult eum ſalvare. *Volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium &c.* Ry. inquam, quòd S. Doctor etiam hoc loco verſetur circa gratiam excellenter efficacem. Ipſemet de ſe & ſua mente loquatur, nam citato libro. (*a*) nos inſtruit his verbis: „Hoc de his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei, quorum ita certus „eſt numerus, ut nec addatur eis quiſquam, nec minuatur; Non „de his, quibus cùm annuntiâſſet, & locutus fuiſſet, multiplicati ſunt ſuper numerum. „ Ex quibus multa forent eruenda adverſùs Janſenianos.

Jam ſi Dominus velit efficaciter ſalvare ſuos electos, nullum eorum liberum arbitrium reſiſtit gratiæ, non quaſi non poſſet reſiſtere, cùm, ut adjungit S. Auguſtinus, *& velle & non velle ſemper permaneat in eorum poteſtate*; quamvis non ita, ut fruſtrent, & inutilem reddant efficacem Dei voluntatem eos ſalvandi, cùm in eorum favorem gratias tam proportionatas & voluntatis humanæ diſpoſitionibus adeò accomodatas ſeligere noverit, ut infallibiliter & certiſſimè de illis faciat, quod vult, qui

(*a*) Lib. de corr. & grat. c. 14.

Digitized by Google

ſæpius faciunt, quod non vult. Ratio hujus eſt, ait S. Auguſtinus, *quòd certùm ſit*, voluntates humanas non poſſe reſiſtere voluntati divinæ, qui omnia, quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra, quique tenet Dominium omnipotens & abſolutum in corda hominum, ut ea vertat, & invertat ſecundùm ſuum beneplacitum.

Ubi accuratè obſerves, S. Doctorem non dicere, humanam voluntatem reſiſtere non poſſe gratiæ, ſed reſiſtere non poſſe divinæ voluntati, hîc enim ingens intercedit differentia; voluntas hominis poteſt reſiſtere gratiæ, licèt non poſſit fruſtrare, nec inutilem reddere efficacem Dei voluntatem ſalvandi hominem, cùm eum ſalvet certiſſimè & infallibiliter abſque immiſſione alicujus neceſſitatis; hoc nemo negaverit omnipotenti, niſi ſit impius: ſalvat Deus hominem infallibiliter & certiſſimè, quia utitur ad hoc quibuſdam gratiis ſelectiſſimis, quæ nunquam fruſtrantur ſuo effectu; ſalvat tamen ſine immiſſione alicujus neceſſitatis, quia poteſtatem abſolutam habens flectendi cor hominis ad ſuum beneplacitum, non vult illud inflectere ad bonum, niſi, teſte Auguſtino, per liberum hominis arbitrium. *Deus tamen hoc non facit, niſi per ipſorum hominum voluntates.*

Et ut plenè convictus maneas, hanc eſſe genuinam mentem, ac doctrinam S. Auguſtini, attendas ad exemplum, quod affert citato capite, ut probet abſolutam in Deo poteſtatem inclinandi noſtras voluntates ad ſuum placitum. *Illi*, *inquit*, *quorum corda Dominus tetigit*, *venerunt in Jeruſalem animo pacifico*, *ut exaltarent David ſuper thronum Iſraël*: allato hoc exemplo ſibimet objicit, quòd Iſraëlitæ, licèt tacti à Domino, Regem ſuum exaltaverint ex propria eorum voluntate, hoc eſt, liberrimè, ſecus enim objectio foret inanis & frivola, cùm nulla remaneret objiciendi & ſolvendi difficultas: tunc tandem reſpondet; „ Quis „hoc non videat? quis hoc neget? nònne enim hoc ex animo, „ex bona voluntate fecerunt, corde pacifico? & tamen hoc in eis „egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur, ut „voluntariè velint; „ hoc eſt liberrimè.

Quoad Decimum tertium Locum : ubi S. Auguſtinus dicit, neceſſarium eſſe, ut agamus ſecundùm id, quod nos magis delectat: *quod amplius nos delectat, ſecundùm id operemur, neceſſe eſt*; cùm hoc S. Auguſtini effatum, ut ſibi imaginantur hæretici, maximè faveat eorum erroribus, majore illud attentione examinabimus, & ut falſum hoc principium, cui plurimum innituntur, funditus evertamus, mentemque S. Auguſtini candidiſſimè explicemus, hinc deſuper notabilis momenti annotationes præmittimus.

Igitur obſerves primò, falſiſſimum eſſe juxta doctrinam S. Auguſtini, quòd delectatio ſit ita neceſſaria ad actum voluntatis, ut ſe determinare nequeat ſive ad bonum ſive ad malum, niſi per ſenſationem cujuſdam delectationis expreſſæ & formalis; hoc perfacilè evincerem ex pluribus S. Doctoris eloquiis; ſufficiat duo duntaxat magis præcipua attuliſſe, unum reſpectu peccatorum, alterum reſpectu bonorum operum.

Reſpectu peccatorum : „ Omnia peccata, *inquit Auguſtinus*, „ (*a*) duæ res faciunt in homine, cupiditas, & timor. Cogi„ tate, diſcutite, interrogate corda veſtra, perſcrutamini con„ ſcientias, videte, utrùm poſſint eſſe peccata, niſi aut cupiendo, „ aut timendo.

„ Proponitur præmium, ut pecces; id eſt, quod te de„ lectat, facis, propter quod cupis : Terreris minis, facis, propter „ quod times. „

Reſpectu bonorum operum : (*b*) „ Timor nondum caſtus „ præſentiam Domini & pænas timet; timore facit, quidquid „ boni facit; non timore amittendi bonum illud, ſed timore „ patiendi illud malum .... bonus eſt iſte timor, utilis eſt. „

Adhuc apertiùs loquitur (*c*) : „ Rariſſimè accidit, imò „ verò nunquam, ut quiſquam veniat fieri Chriſtianus, qui non „ ſit aliquo timore Dei perculſus.

(*a*) In pſal. 79.
(*b*) In pſal. 127.
(*c*) Lib. de cat. rud. c. 15.

Ergo falſum eſt ſecundùm Auguſtinum, delectationem expreſſam & formalem eſſe adeò neceſſariam ad actum voluntatis, ut nunquam ſine illa feratur ad actum, aut poſſit velle aliquid. Non eſt igitur verum, hanc delectationem requiri, niſi ubi voluntas noſtra portatur ad bonum aut malum per ſenſum amoris, deſiderii, vel complacentiæ. Non itaque ſemper neceſſitamur, ut volunt Janſeniſtæ, ad faciendum, quod facimus, ad volendum, quod volumus, cùm non ſemper id faciamus, aut velimus ex motione delectationis prævenientis, dato etiam non conceſſo, talem delectationem neceſſitare ad actum.

Obſerves ſecundò; delectationem expreſſam & formalem non minùs fuiſſe neceſſariam Adæ in ſtatu innocentiæ, ut ferretur ad bonum per affectionem amoris & complacentiæ, ac neceſſaria eſt homini in præſenti ſtatu corruptionis: non difficile mihi eſſet hanc veritatem probare teſtimonio ipſius Janſenii, qui illam negat: ſic enim ſcribit (*a*) „ Principiis prædictis Auguſtini conſentaneum, „ & conſectaneum eſſe, quiſque obſervare poteſt; quòd delectatio, „ ut quis bonum velit, non ex natura boni aut ſupernaturalis ope„ ris, ſed potiùs ex conditione volendi, neceſſaria eſt; voluntas „ enim ſine delectatione velle, aut moveri, ut Auguſtinus lo„ quitur, nullo pacto poteſt, quod ſanè reſpectu cujuslibet ope„ ris locum habet, etiam in peccatis. „ Abſit tamen, ut veritatis patrocinium quæramus in mendace, aut in authoritate ſibimet contradicentis; non Janſenius, ſed Auguſtinus veritati ſuccurrat, cujus doctrinam Janſeniſtæ conantur corrumpere, ne teſtimonium veritati impugnatæ præbeat.

Audi Doctorem veritatis. (*b*) „ Si nihil delectaret illici„ tum, nemo peccaret: peccat ergo, qui delectationem illiciti re„ laxat potiùs, quàm refrænat. „ Ne verò Janſeniſtæ, ut uſitatum habent, dicere præſumant, S. Auguſtinum hic loqui de homine in ſtatu naturæ corruptæ, mox paulò inferiùs ſupperaddit: „ Utrùm

(*a*) Lib. 4. de grat. Chriſti c. c. 7.
(*b*) Lib. 21. cont. Fauſt. c. 28.

Digitized by Google

„ autem ſit aliqua rationalis creatura, quam nihil illicitum poſſit „ delectare, magna quæſtio eſt .... Quod ſi eſt, non „ in eo genere factus eſt homo; nec illa natura Angelica, quæ in „ veritate non ſtetit, ſed in eo genere iſta rationalia facta ſunt, ut „ in eis eſſet poſſibilitas frænandi delectationem ab illicito, quam „ non frænando peccaverunt. (*a*)

Conceditur, S. Auguſtinum negare delectationem terreſtrem & malignam in homine ante lapſum: cùm verò ſibi non contradicat, non eam negat, niſi in ſenſu hæretico Pelagianorum, qui non admittentes peccatum originale prætendebant hominem in ſtatu innocentiæ iiſdem fuiſſe ſubjugatum miſeriis, quibus homo in ſtatu præſenti: ideóque S. Doctor non negat in homine innocente niſi delectationem ex ipſo homine provenientem, quæque ſe erigat ex fundo concupiſcentiæ, cujus expers erat homo innocens, cùm in eo cuncta fuerint regulata, tranquilla, & completo dominio rationis ſubjecta.

Nunquam tamen in Adam negavit delectationem prævenientem, & ab extrinſeco immiſſam. Quando enim diabolus eum induxerat ad comeſtionem fructûs interdicti, titillaverat eum ſpe & deſiderio ſimilitudinis cum divinitate. *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*; præſentaverat ipſi lignum fatale tanquam *bonum ad veſcendum, & pulchrum oculis.* (*b*)

Licèt enim hæc delectatio nullum excitaverit in ejus voluntate actum indeliberatum, ſicut in nobis, dum noſtrûm unſquiſque *tentatur à concupiſcentia ſua attractus & illectus*, ut teſtatur Apoſtolus; (*c*) quæ concupiſcentia noſtram voluntatem pellit, & promovet ad malum ſubitaneo motu, antequam advertas, aut conſentias; certum tamen eſt, excitatam eſſe in proto-parente cogitationem quandam adulantem & gratioſè invitantem, quæ demulcebat ejus voluntatem, attrahebat, ſuoque modo vinciebat

(*a*) Ibid.
(*b*) Geneſ. 3.
(*c*) Jacob. c. 1.

Digitized by Google

ad amorem boni, cujus dulcorem intellectus cognoverat; eodem ferè modo, quo gratia ſuis radiis ipſi præmonſtrando bonitatem & pulchritudinem ſummi & incommutabilis Boni, ejus voluntatem inflammabat ad id amandum, juxta effatum S. Auguſtini; *à quo illuſtrabatur, ut videret, accendebatur, ut amaret.*

Obſerves Tertio: duas eſſe ſpecies delectationis; una anterior ſeu præveniens, altera poſterior ſeu conſequens: Prima eſt neceſſaria & indeliberata; ſecunda eſt libera & indifferens, utpotè quæ non eſt in nobis, niſi quia volumus: explicanda eſt hæc & illa exemplo, quo S. Auguſtinus utitur. Formoſa mulier tuis oculis obviat; intuitu hujus objecti allicientis ſubitò inſurgit in corde tuo, neſcio quis guſtus, vel qualis tenera, prona & prompta affectio, antequam te recolligas, tuamque ſituationem advertas: gratia econtra ex ſua parte non deeſt fideliter tibi ſuccurrendo in ardua hac ſimul & delicata occaſione, repræſentat decorem caſtitatis, tibique imprimit independenter à tuo conſenſu occultam quandam motionem te invitantem ad dilectionem hujus virtutis, ut eam præferas illi objecto fucoſo, adultero & adulatorio. En primam delectationem, quam appello anteriorem, prævenientem & indeliberatam.

Agitatus & quaſi diviſus à duplici hac illectione adeò contraria & repugnante reprimis unam ex illis per vires liberi tui arbitrii, teque liberè & voluntariè committis alteri, cui intrinſecùs complaces & conſentis. En ſecundam delectationem; quam voco poſteriorem, conſequentem, liberam, electam, voluntariam, & conſentaneam. Nihil ita expreſſum & manifeſtum habetur in tota Auguſtini doctrina, ac iſthæc diſtinctio inter delectationem prævenientem & indeliberatam, & illam conſequentem & deliberatam.

„ Decertant, *inquit* (*a*) in te duæ delectationes: modò „ interrogo te, quid præponas? quid te magis delectet? „ quænam ſunt hæ duæ delectationes, quæ te coarctant, & quæ intra

(*a*) Serm. 17. de verb. Apoſt.

te

te contra ſe invicem digladiantur, niſi delectationes illæ prævenientes & indeliberatæ, quarum mox memini? & quænam eſt illa, quam eligis, quæ tibi præplacet, magiſque te delectat, niſi delectatio conſequens, deliberata & voluntaria, quæ vel virtutem vel peccatum formale generat? nam juxta S. Auguſtinum, unum objectum alteri præferre, & uno, poſthabito altero, magis delectari ſunt Synonima, neque enim quis poteſt magis complacere aut delectari de aliqua re, niſi eam præferendo, nec eam præferre, niſi complacendo & delectando.

„Priùs eſt, *ait loco citato*, ut amori juſtitiæ non præpo„nantur omnia, quæ delectant: ipſe eſt primus gradus. Quid eſt „Quod dixi? .... non ut alia non delectent, ſed plus ipſa delectet„ *addit ibidem* „Juſtitia ſic delectet, ut vincat etiam li„citas delectationes, & ei delectationi, quâ licitè delectaris, præ„pone juſtitiam. „ *Item eodem loco* (*a*) „præponenda eſt auro „juſtitia, delectando præponenda eſt. „ *plus ultrà* (*b*) „Liberum „arbitrium uſque adeò non periit, ut per illud peccent maximè „homines, qui cum delectatione peccant, & amore peccandi hoc „eis placet, quod eis lubet. „

Sed ad quid tot teſtimonia ad probandam rem quæ evidens eſt? nònne ſic communiter loquimur, cùm nos voluntariè ad aliquid determinamus? ita, dicis, hoc mihi placet. Nònne Reges in ſuis edictis & diplomatibus libera & voluntaria Majeſtate declarant? ſic volumus, ſic mandamus, talis eſt noſtra voluntas, & beneplacentia: & ut iteratò cum Auguſtino loquar; „quid „aliud reſpondent facinoroſi, cùm eos veritas arguit, niſi hoc volo, „hoc me delectat? „ jam verò quis dubitet, verbum *volo* aliud non ſignificare, niſi conſenſum voluntatis liberum? quis non cum Auguſtino diſtinguat delectationes in prævenientes & indeliberatas, ac in ſubſequentes liberas & conſentaneas? his poſitis.

℟. Primò, quòd, ſi verum ſit, ut volunt Janſeniſtæ, nempe voluntatem hominis ſemper & neceſſariò agere ſecundùm id, quod

(*a*) Cap. 5. (*b*) Lib. 1. ad Boniſ.

magis delectat, quòd, inquam, Adam ante lapſum fuerit neceſſitatus ad bonum & malum, ſicut nos in ſtatu præſenti; quod tamen nolunt Janſeniſtæ, utpote ſenſui eorum extremè contrarium, cùm libenter concedant homini integro libertatem indifferentiæ, licèt eam denegent homini reparato: ut hæc ſequela probetur, non opus eſt niſi reaſſumptione principii contra Janſenium fundati ex ipſo Janſenio: nimirum delectationem prævenientem non minùs fuiſſe neceſſariam Adamo in ſtatu innocentiæ ad proſequendum bonum apparens vel reale, quàm homini in ſtatu depravationis, & conſequenter ante comeſtionem fructûs prohibiti fuiſſe diſtentum duabus diverſis delectationibus, quarum una terreſtris, altera cæleſtis erat.

Hoc poſito, ſic argumentor: vel delectatio cæleſtis fuit major terreſtri, vel terreſtris major cæleſti, vel ambæ fuerunt æquales? ſi cæleſtis fuit major, ſequitur, quòd Adam non tantùm non peccaverit, ſed etiam, quòd peccare non potuerit: Nam ſecundùm Janſenium neceſſarium eſt homini, agere juxta id, quod magis delectat, & per conſequens debuit Adam operari conformiter delectationi cæleſti, utpote majori: ſi verò terreſtris fuit major, ex eadem ratione concluditur, Adam fuiſſe neceſſitatum peccare, & conſequenter non magis fuiſſe liberum quàm nos, & ſic caruiſſe libertate indifferentiæ. Si tandem in æquilibrio ſuſpendas utramque delectationem, oportet fateri, Adamum manſiſſe in otio, & ſine actione abſque ulla determinatione & motu ad hoc vel illud; quod ſi iſtud non arrideat, da gloriam Deo, fatere veritatem, & dic candidè, falſam eſſe opinionem Janſenii, quaſi hominis voluntas ſemper agat ſecundùm id, quod magis delectat; cùm verò Adam declinaverit ad delectationem terreſtrem, neceſſariò juxta Janſenium ſequitur, eam fuiſſe majorem, ac magis delectâſſe ejus voluntatem, conſequenter eum non fuiſſe liberum in prævaricatione.

Non illibenter fateor, hîc dici poſſe & objici, talem eſſe conditionem hominis in ſtatu naturæ corruptæ, ut neceſſariò trahatur aliqua delectatione ſuperiore, cùm econtra liberum hominis

Digitized by Google

arbitrium in ſtatu innocentiæ, utpote nec infirmum nec ſaucium ex peccato, habuerit facultatem eligendi hoc vel illud: non tamen Janſeniſtis liceat taliter ſentire & loqui; cùm enim obſtinatè adhæreant prætenſo Auguſtini principio, voluntatem humanam ſemper & neceſſariò agere ſecundùm id, quod magis delectat, idcircò docent, Adam non aliunde fuiſſe indifferentem ad bonum & malum, niſi quòd non fuerit portatus ad hoc vel illud aliqua delectatione præveniente, econtra hominem in ſtatu corruptionis neceſſariò debere præveniri aliqua delectatione terreſtri, vel cæleſti, & ſic neceſſitari & compelli ad hoc vel illud.

Cùm igitur una ex parte monſtraverim per ipſum Janſenium, quòd delectatio præveniens neceſſaria fuerit Adæ adhuc innocenti ad amandum bonum reale vel apparens, & ex altera parte Janſeniſtæ affirment, voluntatem humanam agere ſemper & neceſſariò ſecundùm id, quod magis delectat, hinc oportet formare ſequelam urgentem & inevitabilem: ergo Adam non magis fuit liber & indifferens in ſuis bonis & malis actionibus, quàm homo in ſtatu depravatæ naturæ.

℞. Secundò directè: juxta doctrinam S. Auguſtini falſiſſimum eſt, hominem depravatum ſemper & neceſſariò agere ſecundùm id, quod magis delectat, ſi ſit quæſtio de delectatione antecedente & præveniente liberum voluntatis conſenſum: citata loca hoc probant invictiſſimè, præſertim ubi ſic loquitur Auguſtinus: ***decertant in te duæ delectationes; modò interrogo te, quid præponas, quid te magis delectet?*** inutiliter hîc reſponderint Janſeniſtæ dicendo, nos tunc poſſe reſiſtere alicui delectationi, quando contraria eſt ſuperior; nam S. Auguſtinus loquitur hoc loco nitidiſſimè, nos poſſe eligere unum ex duobus objectis allicientibus & abblandientibus, nos delectando magis in hoc quàm in illo. Quòd ſi verò delectatio ſuperior nos neceſſitet ad ejus amplexum, nònne ſole meridiano clariùs eluceſcit, nos non amplius fore in ſtatu libero eligendi; & conſequenter, dum S. Doctor affirmat liberam hanc electionem, ***quid præponas?*** negat liberrimè neceſſitatem ex ſuperiore & antecedente delectatione.

Ne verò minimùm dubius hæſites de intentione S. Auguſtini, velim, mecum attenta reflexione examines, quid dicat alio loco: *Præponenda eſt*, *inquit* (*a*) *auro juſtitia*; *delectando præponenda eſt*, *fulgentior eſt*, *lucidior*, *ſuavior eſt & dulcior*. Item alibi: (*b*) Major eſt „ delectatio voluptatis verbi & ſapientiæ præcepti Dei: vince pec- „ catum & voluptatem ejus. „ Ex quibus conjicias, quòd, licèt delectatio major ſit, ſemper tamen nobis relinquat arbitrium eligendi; *præponenda eſt*; Et quòd major illa delectatio nos non tanta neceſſitate ad ejus ſequelam urgeat, ut fruſtranea ſit exhortatio, quâ monemur reprimere peccatum. *Vince peccatum*, *& voluptatem ejus.* Quæ admonitio non modò foret inutilis, verùm etiam ridicula, ſi peccatum magis delectans neceſſitaret.

℟. Tertiò, S. Auguſtinum citato locò non dicere, nos neceſſitari, *ut velimus id*, quod magis delectat (prout vult Janſenius, qui hunc textum ita corrumpit & falſificat) ſed ut *agamus & vivamus* ſecundùm id, quod magis delectat. Toto cælo differt hoc poſterius ab illo priore, nam ecce: verum eſt quidem, poſtquam liberè & voluntariè complacuimus delectationi prævenienti de aliquo objecto; poſtquam illud objectum amplexi ſumus, ac elegimus præ alio per complacentiam & delectationem conſentaneam, deliberatam & voluntariam; verum eſt, inquam, neceſſarium eſſe, ut tunc vivamus & agamus conformiter & ſecundùm hanc delectationem ſubſequentem; tunc enim voluntas facultatibus & potentiis ſuis inferioribus imperat juſſu deſpotico. Et hoc ſolùm intendit S. Doctor dum dicit: *Quod amplius nos delectat*, *ſecundùm id operemur neceſſe eſt* (nota tranſeunter, quòd non dicat, *ſecundùm id velimus*, *neceſſe eſt*) ſed falſiſſimum eſt nos neceſſitari, ut velimus & diligamus objectum, cujus delectatio quantumvis magna & vehemens voluntatem prævenit; hoc inquam, falſiſſimum eſt eò, quòd ſemper maneamus in pleno dominio illam ſuffocandi, ac contrariam aſſumendi, prout articulo ſequenti adhuc manifeſtiùs demonſtrabitur.

(*a*) Serm. 17. de verb. Apoſt.
(*b*) In Pſalm. 35.

Digitized by Google

ARTICULUS QUARTUS. DE LIBERTATE INDIFFERENTIÆ.

LOCA EVIDENTER CONFORMIA ECCLESIÆ DECISIONIBUS.

I.

QUis nôſtrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano? *Lib.* 1. *cont. duas Epiſt. Pelag. c.* 2.

II.

Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periiſſe non dicimus. *Ibid. lib.* 2. *cap.* 5.

LOCA APPARENTER CONTRARIA ECCLESIÆ DECISIONIBUS.

I.

LIberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. *Epiſt.* 107. *ad Vital.*

II.

Libero arbitrio malè utens homo & ſe perdidit, & ipſum (arbitrium) *Ench. cap.* 30.

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

III.

Nec hi libri obſcurè mihi ſcrutandi erant, unde diſcerem, neminem vituperatione, ſupplicíove dignum, qui aut velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt: Nònne iſta cantant, & in montibus paſtores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis. *Lib. de duab. anim. c. 11.*

IV.

Nulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura, neceſſitaſque dominatur. *Lib. 3. de lib. arb. c. 22.*

Divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret. *Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 2.*

V.

Liberi arbitrii nos Deus condidit, nec ad virtutes, nec ad

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

III.

Ipſe eſt Adam, quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cùm dicerem: peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere: Adam quippe omninò, quando peccavit, nihil ipſe habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum. *Lib. oper. imperf. cap. 47.*

IV.

Nec ideò liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt ..... Certè Deus ipſe, nunquid quia peccare non poteſt, ideò liberum arbitrium habere negandus eſt? *Lib. 2. de civit. Dei. cap. ultimo.*

V.

Poſtea ſic erit, ut malè velle non poſſit: nec ideò libero ca-

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt: Quis non toto corde ſuſcipiat? &c. *Lib. de nat. & grat. cap. 65.*

VI.

Veruntamen in eo diſſimilis eſt, quòd in poteſtate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferiùs: animus verò, dum non vult, non ita movetur, ut ſuperioribus deſertis inferiora eligat: Et ideò lapidi naturalis eſt ille motus, animo verò iſte voluntarius. Hinc eſt, quòd lapidem ſi quis dicat peccare, quòd pondere ſuo tendit in infima; non dicam ipſo lapide ſtolidior, ſed profectò demens judicabitur. Animum verò peccati arguimus, cùm eum convincimus, ſuperioribus deſertis ad fruendum inferiora præponere. *Lib. 3. de lib. arbit. cap. 1.*

VII.

Si neceſſitate id feciſſet, nullo peccati crimine teneretur. *Lib. de verâ Relig. cap. 14.*

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

rebit arbitrio: multò enim liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit ſervire peccato. *Enchir. cap. 150.*

VI.

Sed quid ad nos? videamus quid ille contexat: à voluntatis enim arbitrio, inquit, ac deliberatione privatur, quidquid naturali neceſſitate conſtringitur. Et hinc nonnulla quæſtio eſt; perquam enim abſurdum eſt, ut ideò dicamus, non pertinere ad voluntatem noſtram, quòd beati eſſe volumus, quòd omninò nolle non poſſumus, neſcio, qua & bona conſtrictione naturæ .... Nec dicere audemus, ideò Deum non voluntatem, ſed neceſſitatem habere juſtitiæ, quia non poteſt velle peccare. *Lib. de nat. & grat. cap. 46.*

VII.

Illud nos habere in poteſtate dicimus, quod, cùm volumus, facimus. *Lib. 2. de lib. arbit. cap. 3.*

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

VIII.

Dixiſti enim, ſi ita data eſt voluntas libera, ut naturalem habeat iſtum motum (nempe à bono immutabili ad commutabilia) jam neceſſitate ad hæc convertitur; neque ulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura, neceſſitaſque dominatur. Nullo modo autem dubitare potuiſti, non eſſe ita datam, quando iſtud malum culpabile eſſe non dubitas. *Lib.* 3. *de lib. arbit. c.* 1.

IX.

Quamobrem, ſi illæ animæ, quidquid faciunt, ſi naturâ, non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent; ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus. *Lib. de duab. anim. cap.* 12.

X.

Itaque ſcio, in quo ſit mala

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

VIII.

Quòd ſi fieri non poteſt, ut dum volumus, non velimus; adeſt utique voluntas volentibus; nec aliud quidquam eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt. Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate, libera nobis eſt; nec enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus. aut poteſt non eſſe, quod habemus. *Lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 3.

IX.

Quomodò autem dicis eum, cujus voluntatem nos dicimus à Domino præparari, ita fieri bonæ voluntatis, ut bonum velle cogatur? Quod abſit, ut dicatur à nobis. Viderit præclara intelligentia tua; ſi enim cogitur, non vult. *Lib.* 1. *oper. imperf. cap.* 101.

X.

Scire vellem, quâ juſtitiâ Deus voluntas

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

voluntas, id in eo fieri, quòd ſi nollet, non fieret; & ideò non neceſſarios, ſed voluntarios defectus juſta pæna conſequitur. *Lib. 12. de civit. Dei cap.* 8.

XI.

Illa duo ergò genera hominum (bonorum & malorum) ſunt, quæ & diſtinguere debetis, & eorum alterum eligere. Quid enim tibi prodeſt poſſe, ſi eligere piger es? Equidem nunc eligendi poteſtas adjacet, veniet tempus, quando deerit poteſtas eligendi, cùm jam Deus non differt ſententiam judicandi. *In pſal.* 53.

Alio loco dixi, niſi quiſque voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum Dominus in alio loco docet: aut facite arborem bonam..... aut facite arborem malam: Quod non eſt contra gratiam, quam prædicamus. *Lib. 1. retract. cap.* 22.

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

punit peccata (inquit Evodius) quæ neceſſe eſt fieri? Reſpondet Auguſtinus: Quia Deus præſcientiâ ſuâ non cogit facienda, quæ futura ſunt. *Lib. 3. de lib. arbit. cap.* 4.

XI.

Si enim neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate; ſed etiamſi nolumus, efficit, quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis, manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè, & perperam vivitur, ſub tali neceſſitate non eſſe ..... Si autem illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundùm quam dicimus neceſſe eſſe, ut ita ſit aliquid, vel ita fiat; neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam Dei, & præſcientiam ſub neceſſitate ponimus; ſi dicamus neceſſe eſſe, Deum ſemper vivere, & cuncta præſcire. *Lib. 5. de civit. Dei c.* 10.

EXPLICATIO.

OBſerves primo: Theologos cum divo Bernardo libertatem diſtinguere in tres ſpecies libertatis. „ Triplex eſt nobis pro„ poſita libertas, *inquit S. Bernardus*, à neceſſitate, à peccato, à mi„ ſeria. Primam nobis contulit in conditione, ſeu creatione naturæ: „ in ſecundam reſtauramur à gratia: tertia nobis reſervatur in pa„ tria. Dicatur ergo prima libertas naturæ, ſecunda gratiæ, ter„ tia vitæ, & gloriæ.

Obſerves ſecundo: quòd libertas à neceſſitate ſive libertas naturæ dividatur in duas alias: una appellatur libertas ſpontaneitatis, ſeu complacentiæ; altera libertas indifferentiæ, vel contingentiæ: per primam ſumus liberi ab omni violentia & neceſſitate, quæ veniat ab extrinſeco: hoc modo Beati in Cælo ſunt liberrimi ad amandum Deum, cùm non ſint violenter coacti id facere: per ſecundam ſumus liberi non tantùm ab omni violentia & coactione, ſed & ab omni neceſſitate non ſolùm quæ poſſet immitti ab extrinſeco, ſed etiam quæ oriri poſſet ab intrinſeca propria voluntate: hoc modo homo eſt liber ad peccandum vel non peccandum, ipſe Deus eſt liber ad conſervandum mundum vel non conſervandum.

Obſerves tertio: duas dari ſpecies libertatis indifferentiæ: una dicitur libertas contrarietatis, altera contradictionis: prima eſt facultas ponendi actus contrarios; taliter homo eſt liber ad amorem vel odium, ad fugam vel proſecutionem alicujus objecti: ſecunda eſt facultas ſimpliciter aliquid agendi, vel id omittendi: hoc modo Deus eſt liber ad creaturam producendam vel non producendam; licet non ſit liber libertate contrarietatis ad virtutem vel ad ejus oppoſitum, quod eſt peccatum.

Obſerves quarto: libertatem indifferentiæ adhuc ſubdividi in duas alias: una vocatur phyſica, altera moralis: Phyſica eſt facultas, prout præciſè in ſe ipſa ſumitur, quæ nobis præbet poſſe

abſolutum in omnes noſtros actus, & per quam poſſumus eligere hoc vel illud vel ejus contrarium : indifferentia moralis eſt eadem ipſa facultas, quæ in ſe ipſa non ſolùm eſt liberrima, ſed etiam in ſua operatione, nec impeditur nec retardatur, aut ulla difficultate abſterrente implicatur : prima illa indifferentia opponitur coactioni, aut neceſſitati phyſicæ ; ſecunda opponitur coactioni & neceſſitati morali. Prima non eſt idonea recipiendi magis & minùs, ſecunda capax eſt recipere magis & minùs. Omnibus his ſuppoſitis.

Reſp. Ad primum, & ſecundum S. Auguſtini locum, ubi dicit, nos perdidiſſe liberum arbitrium in prævaricatione primi parentis : „ Liberum arbitrium primi peccati granditate perdidi- „ mus. Libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit & ipſum. „ R/. inquam, ferme eodem modo, quo articulo primo ad loca à Janſeniſtis allata contra poſſibilitatem mandatorum Dei fuit reſponſum : nimirum, quòd S. Doctor nunquam prætenderit docere, hominem peccatorem totaliter amiſiſſe libertatem indifferentiæ, ſed quòd ejus jacturam incurrerit certo ſuo modo & ſenſu, & quòd non amplius ſit tam perfectè liber, ſicut fuerat primus homo ante lapſum.

Ultrà enim, quòd Adam fuerit liberrimus ab omni neceſſitate, indubitatum eſt, eum inſuper fuiſſe liberum primo ab omni miſeria, cum frueretur beatitudine naturali. Secundo ab omni peccato ſive materiali, ſive formali, tam in actionibus ſuis ſingulatim, diſtributivè & ſucceſſivè ſumptis, quàm ſimultaneè & in longo temporis tractu conſideratis, eo quòd ex adjutorio gratiæ ipſi quaſi connaturali abſque renitentia gravi potuerit eſſe exemptus ab omni peccato. Tertio erat quoque liber à tenebris ignorantiæ, ac ſtimulis concupiſcentiæ, quæ bonum, quod homo voluit, neutiquam infeſtabant.

Econtra homo peccator ferè cunctis hiſce opportunitatibus privatur : licèt enim peccatum in ipſo minimè deſtruxerit libertatem naturæ ſeu libertatem à neceſſitate, hoc eſt facultatem naturalem & phyſicam agendi vel non agendi, aut verò contrarium

agendi (quod neque S. Auguſtinus ullibi docuit) nihilominus cùm homo ex prævaricatione primi parentis perdiderit jus prius conceſſum ad divinas gratias, vel potiùs, cùm amiſerit ipſam gratiam neceſſariam ad faciendum bonum, & evitandum malum, hinc non eſt liber moraliter à peccato niſi per gratiam gratuitò donatam; & quidem etiam præſtita, & actualiter præſente hac gratiâ non tamen deſiſtit ſentire continuam repugnantiam & ingentem difficultatem in bono, ac ferme immortale incitamentum ad committenda ſubinde peccata, ſive materialia, ſive formalia propter tenebras ignorantiæ, vel ſtimulos urgentes concupiſcentiæ, quibus ſubjacet, & qui inceſſanter obmurmurant virtuti ac bono exercendo, hominemque reddunt minus liberum & expeditum ad praxes laudabiles.

Ita noſter S. Doctor ſe ipſum explicat. (a) „ Quis noſtrum „dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de „ genere humano? libertas quidem periit per peccatum; ſed illa, „ quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam; „ propter quod natura humana indiget gratiâ. Peccato Adæ, *ait ibi-* „*dem*; (b) liberum arbitrium de natura hominum periiſſe non di- „ cimus, ſed ad peccandum valere in homine ſubdito diabolo: „ ad bene autem, pieque vivendum non valere; niſi ipſa voluntas „ hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, „ cognitionis, ſermonis adjuta. „ Conſultes deſuper ea, quæ dicta ſunt articulo primo.

℟. Ad Tertium locum, ubi dicit S. Auguſtinus „ quòd „ definitio, quam de peccato dederat, nimirum peccatum eſſe vo- „ luntatem retinendi vel conſequendi aliquid à lege vel juſtitia pro- „ hibitum, à quo ſe abſtinere liber eſt, non conveniat niſi homini „ in ſtatu naturæ integræ ipſe eſt Adam, quem noſtra illa defini- „ tio intuebatur, cùm dicerem, peccatum eſt voluntas retinendi, „ vel conſequendi, „ &c. Ad hoc Reſp. S. Doctorem noluiſſe de-

(a) Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 1.
(b) Lib. 2. ejuſd. operis: cap. 15.

ſendere, quaſi hæc definitio nobis in ſtatu præſenti nullatenus conveniat; cum duntaxat inſinuare voluiſſe illam definitionem in omni ſua extenſione ſoli Adamo adhuc incorrupto poſſe adaptari: ratio eſt, quia Adam erat in poſſeſſione non ſolùm libertatis phyſicæ, verùm etiam moralis: quippe cujus intellectus tenebris fuerat expurgatus, ac voluntas omni irregulari motione concupiſcentiæ immunis, ita ut nihil bonitati cognoſcendæ & amplectendæ ſeſe opponeret. Quod ſanè poſt lapſum jam non reperitur in homine, & quidem, ut teſtatur Auguſtinus, *ob duo pænalia, ſcilicet ignorantiam & difficultatem*: ex quo deducitur, nos poſt lapſum cum Adamo in ratione libertatis nequaquam comparandos, ac datam definitionem peccati nobis non convenire univocè & adæquatè.

Nullus dubitaverit hanc eſſe genuinam mentem S. Doctoris, ſi totum contextum citati loci examinet: mox enim ſubjungit; „multa quippe ſunt, quæ agunt homines, mala, à quibus eſt liberum abſtinere, ſed nulli tam liberum eſt, quàm illi fuit, qui „Deo ſuo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsùs vitio depravatus, adſtabat. „Hinc patet plus quàm evidenter, S. Auguſtinum eodem ipſo loco, quem Novatores certatim pro ſe citant tanquam ſummè ſibi favorabilem, in homine depravato deprehendere libertatem indifferentiæ, quamvis non talem, qualis in Adamo viguerat.

Hæc explicatio poteſt confirmari alio prolixo textu hujus S. Patris, ubi propemodum iiſdem terminis idem reiterat, clariùs tamen & fuſiùs ſe explicando: „liberum arbitrium, *inquit* (*a*) „in illo homine fuiſſe dico, qui primus formatus eſt: ille ſic „factus eſt, ut nihil omninò voluntati ejus reſiſteret, ſi vellet „præcepta Dei ſervare: poſtquam autem libera ipſe voluntate pec„cavit, nos in neceſſitatem peccati præcipitati ſumus. Unusquiſ„que noſtrûm mediocri conſideratione poteſt invenire, verum eſſe, „quod dico. Hodie namque in noſtris actionibus, antequam con„ſuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium facien-

(*a*) Lib. cont. fortunat. diſp. 2.

„di aliquid, vel non faciendi; cùm autem iſta libertate fecerimus „aliquid, & facti ipſius tenuerit animam perniciosa dulcedo & „voluptas, eadem ipſa conſuetudine ſic fit, ut poſtea vincere non „poſſit, quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt: „ circa hanc ſententiam duo ſunt obſervanda: primò quòd ſola ratio, propter quam S. Auguſtinus docet, Adamum adhuc innocentem fuiſſe liberum, ſit iſta, quia taliter erat creatus, ut nihil repugnaverit ejus voluntati. Ergo juxta S. Doctorem, tota ratio, quod nos non ſimus liberi, hæc eſt, quia ignorantia & difficultas hæreditaria ex peccato originali contractæ repugnant bonis deſideriis & conatibus noſtræ voluntatis, quæ tamen repugnantia & oppoſitio teſte S. Auguſtino (*a*) cùm nobis non imponat neceſſitatem phyſicam, ſed duntaxat moralem, id eſt, gravem difficultatem, non tollit libertatem phyſicam, de qua ſola eſt quæſtio. „ Quanquam enim, *ait* S. Doctor, „in ignorantia & difficultate nata ſit. „ (Intellige humanam naturam poſt lapſum Adami) „ non tamen ad permanendum, quod „ nata eſt, aliqua neceſſitate comprimitur.

Secundò oportet attendere, quód S. Auguſtinus, ut monſtret neceſſitatem peccandi, in qua verſamur, utatur exemplo neceſſitatis, quam contrahimus per malam conſuetudinem: jam cùm mala conſuetudo ſecundùm omnes Theologos nemini imponat neceſſitatem phyſicam & abſolutam, ſed tantùm moralem, hinc patet S. Auguſtinum hoc loco non verſari circa neceſſitatem phyſicam & abſolutam, ſed moralem.

Hic forſitan non nemo dixerit objiciendo, S. Auguſtinum non affirmare, omnes homines eſſe liberos, ut à peccatis abſtineant, ſed ſolùm quoſdam, ſeu plures: *multa quippe ſunt*, &c. Reſp. dari juxta doctrinam S. Auguſtini peccata, quæ committuntur neceſſariò, & alia, quæ liberrimè: priora ſunt tantùm peccata materialia, impropria, quæ licèt in ſe ſint vituperabilia, non tamen nos reddunt formaliter reos & culpabiles. Quæ vero nos efficiunt Deo exoſos & formaliter criminoſos, non ſunt neceſſaria, nullum

(*a*) Lib. 3. de liber. arbit. c. 20.

Digitized by Google

eorum eſt, à quo nequeas abſtinere, quia peccatum originale ſemper ſibi ſimile, de quo volunt Janſeniſtæ, quòd neceſſitet ad formale peccatum, nos permittit in plena libertate phyſica tam reſpectu peccatorum formalium, quàm materialium.

Reſp. Ad quartum, & quintum: ubi S. Auguſtinus dicit, Deum, & ſanctos non ceſſare eſſe liberrimos, licèt peccare non valeant, & quòd eò magis ſimus liberi, quo minùs ſerviamus peccato: „ nec ideò liberum arbitrium non habebunt, quia peccare „ non poterunt: *Item.* multò liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit ſervire peccatis. „ ℟. Inquam, S. Doctorem per hoc non dicere, voluntatem poſſe conſervare ſuam libertatem, quando eſt neceſſariò determinata ad objectum, ſed tunc, quando eſt liberata à peccato, & inclinatione ad peccatum (quæ maximum ponit obſtaculum faciendæ electioni) quòd tunc multò liberiùs & expeditiùs feratur ad quodcunque bonum, fermè eodem modo, quo homo prudens & moderatus magis & meliùs eſt diſpoſitus ad providendum ſuo utili in negotio majoris momenti, quàm ille, qui paſſione cæcus jam non tranquillâ indifferentia fertur, in ea, quæ ſe præſentant.

Obſerves velim, Pelagianos, contra quos S. Auguſtinus ſcripſerat, duobus notabilibus erroribus circa libertatem dementatos eſſe. Primus error in hoc conſiſtebat, quòd tenuerint, voluntatem hominis depravati ſtare in æquilibrio tam perfecto, ac voluntas hominis in ſtatu integro. Nos non magis ferri ad bonum delectabile, quàm ad bonum honeſtum: potentiam noſtram exercendi bonum pro placito tam completam eſſe, ut non indigeamus interiore gratia Jeſu Chriſti. Secundus error: quòd gratia interior & præveniens, pro qua decertabat S, Auguſtinus tanquam neceſſaria ad operandum bonum, tollat libertatem, utpote non relinquens hominem in juſto æquilibrio reſpectu boni & mali: hinc etiam affirmabant potentiam operandi bonum & malum eſſe adeò neceſſariam libertati, ut ille, qui non poſſit peccare, non ſit liber.

Ad oppugnandum duplicem hunc errorem S. Auguſtinus

Digitized by Google

in ſuis operibus paſſim, & plurimùm prævalet hoc textu magnifico Evangelii: *ſi filius vos liberaverit, verè liberi eritis*; quo probat invincibiliter, non niſi ex gratia Jeſu Chriſti, qui nos liberat à peccatis, nos poſſe gaudere libertate, & eſſe liberos; non quòd per hoc dicere velit, libertatem formaliter in hoc conſiſtere, ut ſimus à peccato liberi; quis enim adeò hebes ſit, ut ſibi perſuadeat, libertatem conſiſtere in pura negatione extrinſeca? vult ergo nos inſtituere, quòd gratia nobis reddat libertatem per peccatum primi parentis deperditam, adeò ut hæc gratia per ſuam unctionem quaſi in bilance ſeu ſtatera ponderando præponderantem noſtram inclinationem ad malum, iterum nos reſtituat in æquilibrium neceſſarium ad electionem boni ſe præſentantis ad praxin.

Nemo igitur miretur, ſi S. Auguſtinus quandòque citatis locis aſſerat, Deum non ceſſare eſſe liberum, quamvis velle malum nequeat. Sanctos tantò magis eſſe liberos, quó minus ſervire valeant peccatis: nihil hac veritate verius in ſenſu, quem intendit S. Doctor; hoc enim dicendo non vult Deum & beatos eſſe liberos reſpectu ſtabilis, perpetuæ & immobilis voluntatis non peccandi, ſed propter obfuſcationes & ignorantias intellectûs, aut perverſas impreſſiones & concupiſcentias voluntatis, quibus nullatenus interturbari valeant.

Et revera nec in citatis textibus, nec alibi uſpiam determinat Auguſtinus bonum aliquod individuum vel ſpecificum pro objecto prægrandis hujus libertatis in Deo & beatis, ad quod eorum voluntas liberè & neceſſariò ſimul & ſemel feratur, prout gratis volunt Janſeniani; ſed ex adverſo deprehenditur, quòd huic memoratæ inſigni libertati non aliud objectum præfigat, niſi bonum quoddam in genere.

Quam obrem loquens de libertate Angelorum in cælis, citato loco eam appellat *inamiſſibilem voluntatem pietatis & æquitatis.* Ex quo clarè videtur, objectum libertatis Beatorum non eſſe actionem quandam particularem vel determinatam juſtitiæ & pietatis, ſed omnia bona pietatis & æquitatis generaliter ſumpta, ex qui-

quibus poſſint eligere ad placitum eò majore indifferentiâ, quòd ſint immunes & liberi ab omni inclinatione peccaminoſa. Hic eſt procul dubio ſenſus genuinus textuum S. Auguſtini, quibus Novatores impertinenter gloriantur.

Supponamus tamen id, quod minimè concedendum, nempe quòd S. Doctor præcisè loquatur in allatis textibus de voluntate non peccandi, quæ licèt Deo & Sanctis neceſſaria non tamen violet libertatem, & quòd exinde S. Auguſtinus nitatur probare, voluntatem ſemper permanere liberam ad aliquam rem, quamvis eam neceſſariò velis, dummodo cæteroquin non ſit coacta, vel compulſa; tranſeat hoc; inde tamen nil prorſus eruitur contra dogma Catholicum, videlicet ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ corruptæ requiri non ſolùm libertatem & exemptionem à coactione, ſed etiam à neceſſitate; nam S. Auguſtinus non affirmat, quòd amor licèt neceſſarius, & ſimpliciter liber à coactione Deo & Angelis ſit meritorius: imò verò nemo ignorat, omne meritum in Deo, ſi tamen aliquod concipi poſſit, eſſe ab æterno, Beatos verò verſari extra ſtatum merendi & demerendi.

Dato etiam, licèt falſiſſimum ſit, verum eſſe, quòd Deus aut Beati amore illo Beatifico quid poſſint mereri: non tamen inde fluit, per hujuſmodi actus neceſſitatos hominem poſſe mereri vel demereri in ſtatu naturæ corruptæ, cùm nec Deus nec Beati in hoc ſtatu viæ & corruptionis peregrinentur. Nihil ergo nos impediat liberè fateri, voluntatem quidem poſſe eſſe liberam, quamvis cæteroquin ad agendum neceſſitetur, libertate videlicet coactionis, non indifferentiæ; verumtamen nunquam concedemus, nec etiam Janſeniſtæ id unquam evincent ex Auguſtino, hanc libertatem à coactione ſufficere ad merendum aut demerendum præſertim in ſtatu naturæ prævaricantis.

Reſp. Ad ſextum. Ubi S. Auguſtinus videtur negare, quòd tunc ſimus orbati libero arbitrio & deliberatione voluntatis, quando neceſſitate naturali compellimur aliquid agere: pro exemplo affert deſiderium noſtræ beatitudinis, & impeccabilitatem Dei, quæ

licèt in Deo & nobis ſint neceſſaria, non tamen deſinunt eſſe liberrima: „Voluntatis enim arbitrio, *inquit*, deliberatione privatur, „quidquid naturali neceſſitate conſtringitur. Et hîc nonnulla quæ„ſtio eſt; perquam enim abſurdum eſt, ut adeò dicamus non per„tinere ad Voluntatem noſtram„ &c. ℟. inquam, plures Theologos hunc locum eodem modo explicare, quo expedivi præcedentes objectiones: nimirum quamvis neceſſitate trahimur ad deſiderandam beatitudinem, cùm non poſſimus nobis ipſis malum velle, liberè tamen hanc beatitudinem deſideramus, partim quia poſſumus nobis deſiderare hoc vel illud bonum, partim quia poſſumus ad placitum deſiſtere à deſiderio beatitudinis, impediendo intellectum, ne illam cogitet, ac ſuſpendendo actiones voluntatis, ne illuc feramur deſiderando: pariter, quamvis Deus neceſſariò velit æquitatem, cùm non poſſit velle injuſtitiam, attamen pergit eſſe liberrimus ex eadem cauſa, tum quòd hunc actum juſtitiæ valeat exercere, vel omittere, tum quòd ex pluribus actionibus æquitatis poſſit hanc præ alia eligere. Quod utique ſuperabundat, ut ſit indifferentiſſimus, capaciſſimus electionis, & per conſequens liberrimus.

Quamvis hæ explicationes ſint valde Orthodoxæ, nihilominùs dicere non vereor, per illas mentem S. Auguſtini non adamuſſim attingi. Certum eſt enim, S. Doctorem loco citato de nulla re minus agere, ac de libertate hominis, nec aliorſum tendere, niſi ut occurrat malæ cuidam probationi à Pelagio allatæ ad ſubſtituendam naturam vel liberum arbitrium loco gratiæ ex Jeſu Chriſto, quam defendebant Catholici contra Pelagium.

Sciendum eſt pro meliore notitia, Pelagium probare voluiſſe ſuas hæreſes ex ipſis verbis S. Auguſtini, quæ ſic ſonant, quæque hoc loco ex Auguſtino objiciuntur: *Voluntatis enim arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali neceſſitate conſtringitur*: Error Pelagii, de quo hîc quæſtio, in eo conſiſtebat, quòd voluerit liberum hominis arbitrium ita venire à Deo, ut ſit vera gratia, præter quam nulla alia ſit quærenda, vel admittenda. Audiamus

loquentem Auguſtinum eodem loco citato de natura & gratia : „ Sed hoc eſt, quod multos movet, inquies, quòd non per Dei „ gratiam homines ſine peccato eſſe poſſe defendis : prorsùs hoc eſt, „ quod movet : hoc eſt, quod objicimus : rem ipſam dicis : hoc om- „ ninò ægerrimè ſuſtinemus, à Chriſtianis talia diſputari. „

Ecce de quo ſit quæſtio Auguſtinum inter & Pelagium, non de libertate hominis, ſed de neceſſitate gratiæ, ne pecces : „ Au- „ diamus igitur, *continuat Auguſtinus*, quomodo Pelagius ſe ab ob- „ jectione quæſtionis hujus expediat. O ignorantiæ cæcitas ! ex- „ clamat Pelagius, o imperitæ mentis ignavia ! quia id ſine Dei „ gratia defenſari exiſtimat, quod Deo tantùm audiat debere de- „ putari : nam cùm dicitur, ipſum poſſe arbitrii humani omninò „ non eſſe, ſed authoris naturæ, Dei ſcilicet : Ecqui fieri poteſt, „ ut abſque Dei gratia intelligatur, quod ad Deum propriè per- „ tinere dicitur ? Jam cæpit apparere, quid dicat Pelagius (reaſ- ſumit Auguſtinus.) Sed ne fortè fallamur, latiùs id explanat, & „ clariùs exemplis, & ſimilitudinibus : ut puta (dat exemplum Pe- „ lagius) loqui poſſum : Quòd loqui poſſum, meum non eſt : Quòd „ loquor, meum eſt, id eſt propriæ voluntatis : & quia quòd loquor, „ meum eſt, utrumque facere poſſum : id eſt, & loqui, & non lo- „ qui. Quia verò, quòd loqui poſſum meum non eſt, id eſt arbi- „ trii mei, atque voluntatis ; neceſſe eſt me ſemper loqui poſſe, & „ ſi voluero non poſſe loqui, fruſtra volo, niſi fortè membrum illud „ adimam. „ &c. Ex his Pelagii ſermonibus clarè perſpicitur potentiam aliquid agendi non eſſe ex nobis, ſed ex Deo, eò quòd in nobis reſideat neceſſariò, nec dependeat à libera determinatione voluntatis. Et per hoc totum intendit probare, quòd liberum arbitrium independenter à noſtra voluntate in nobis exiſtens ſit gratia Dei, & quidem ſola, quam Catholici fateri ac defendere debeant.

In quem finem quoque Pelagius paulò poſt ſubjungit textum hoc loco nobis ex Auguſtino oppoſitum ; ſcilicet, *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid neceſſitate conſtringitur* : ad hoc reſpondet, & replicat Auguſtinus. *Et hic nonnulla eſt quæſtio.* Non

quaſi S. Doctor velit objurgare loquelam Pelagii, cum nihil mox allata ejus verba mali aut reprehenſione digni contineant, eſt quippe manifeſtum, neminem poſſe deliberare in re neceſſariâ. Verùm cùm Pelagius ſubnexâ hac conditione voluerit corroborare antecedenter dicta, nimirum, quòd aliquid in nobis neceſſariò exiſtens ac independens à liberâ determinatione voluntatis nobis non ſit appropriandum, cùm non à nobis, ſed à Deo proficiſcatur; & per conſequens potentiam liberi arbitrii neceſſitate naturali in nobis exiſtentem eſſe veram & genuinam Dei gratiam, quæ ſola & unica ſit ad agendum neceſſaria: hinc, ut S. Doctor enervet tam malè ſartam probationem Pelagii, adducit duo exempla, quibus clarè demonſtrat, poſſe intra nos aliquid reperiri ex neceſſitate naturali, quod tamen verè ex nobis proveniat, ac nobis ſit appropriandum.

„ Quid magis abſurdum, *ait S. Doctor*, quàm dicere, deſide„rium beatitudinis non ad nos ſpectare, nec ad noſtram volunta„tatem? „ hoc eſt non à nobis, ſed ab alio provenire, alteri appropriandum eſſe, eò quòd nullo modo poſſimus velle Beatitudinem? „ Auderemuſne aſſerere, *quærit ulterius S. Doctor*, Deum non „habere voluntatem, ſed neceſſitatem juſtitiæ & æquitatis? „ ac ſi diceres, Deum non velle juſtitiam ex propria ſua voluntate, ſed ex aliena, quæ ipſum neceſſitat velle juſtitiam, cùm peccatum & injuſtitiam velle non valeat? certè non: ergò quod prætendit Pelagius, eſt evidenter falſum; nimirum potentiam naturalem liberi arbitrii, quæ in nobis reſidet neceſſariò, nobis appropriari non poſſe, cùm nihil magis ſit nobis proprium, quàm id, quod nobis eſt naturale: & per conſequens falſum eſt, hanc potentiam poſſe æſtimari tanquam ſit vera & genuina gratia Dei, ſola & unicè neceſſaria.

En verum & proprium ſenſum famoſi hujus textûs, quo Auguſtinus nihil minùs intendit, ac libertatem cum neceſſitate agendi reconciliare (prout ſomniant Janſeniſtæ) ut ne quidem libertas ſit in quæſtione, ſed duntaxat gratia, quam Pelagius in ſolo

Digitized by Google

conſtituebat libero arbitrio, ex eo, quòd illud non à nobis, ſed à Deo procedat.

Reſp. ad Septimum & Octavum locum, ubi S. Auguſtinus dicit, quòd nos cenſeamur habere poteſtatem aliquid faciendi, ſi velimus „ illud nos habere in poteſtate dicimur, quod cùm vo- „ lumus, facimus. *Item*: quòd voluntas noſtra non eſſet volun- „ tas, niſi eſſet in noſtra poteſtate: porrò, quia eſt in poteſtate, libera „ nobis eſt. „ Reſp.: inquam, hic meritò obſtupeſcendum eſſe propter impudentiam hæreticorum, qui ut veritatem impugnent, utuntur iiſdem locis, quæ veritatem validiſſimè propugnant. Eſt enim evidens, quòd S. Auguſtinus, dicendo *illud nos habere in poteſtate, quod, cùm volumus facimus*, id intelligat, prout communiter in commercio hominum ſolet intelligi; non enim tunc tenebatur loqui in rigore ſcholaſtico, cùm ea ætate ſcholæ necdum cultæ fuerint, hinc peterem à Janſeniſta, utrùm, caſu quo uni ex ſuis familiaribus urbanè diceret; dominatio tua habet poteſtatem hoc obſequium mihi præſtandi; hoc ſtat penes te, hoc facies ſi velis, utrùm, inquam, hoc vulgari & uſitato loquendi modo non velit inſinuare; ejus amicum ſeu familiarem poſſe id obſequium exhibere, vel non exhibere? hic ipſe eſt etiam ſenſus S. Auguſtini, quando dicit, nos habere in poteſtate, quod cùm volumus, facimus: cùm non aliter niſi vulgari modo ſe explicandi locutus ſit.

Quòd ſi nonnulli in hoc mihi fidem adhibere renuant, Auguſtino credant, qui mentem ſuam deſuper candidè declarat. „ Cùm „ ergò, (*a*) *ait S. Doctor*, Deus dicit: aut hoc facite, aut illud „ facite, poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim niſi Deus „ facere arborem poteſt, ſed habet unuſquiſque in voluntate, aut eli- „ gete, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala „ ſunt, & eſſe arbor mala. *Et paulò inferius ſubjungit*: hoc ergo „ Dominus dicens: aut facite hoc, aut facite illud, oſtendit eſſe in „ poteſtate, quid facerent. Hoc quippe, *inquit alibi*, (*b*) quiſ-

(*a*) Lib. 2. de act. cum Felice c. 4.
(*b*) Lib. de ſpir. & litt. c. 31.

„ que in poteſtate habere dicitur, quod, ſi vult, facit, ſi non „ vult, non facit. „

Manifeſtum eſt igitur ex S. Auguſtino, quòd, ut aliqua res ſit in noſtra poteſtate, utque ad illam ſimus conſequenter liberi, non ſufficiat nos eam velle, ſi ſimus neceſſitati eam velle, ſed oportet inſuper, ut poſſimus & velle & facere contrarium, vel ſaltem non velle, nec facere.

Æquè manifeſtum eſt, S. Auguſtinum per illos terminos *Voluntas, & Voluntarium* ſemper intellexiſſe, quod Catholici communiter intelligunt per terminos *libertas, & liberum.* Verum eſt in rigore loquendi, non omne voluntarium ſemper eſſe liberum libertate indifferentiæ, quamvis econtra omne liberum ſit neceſſariò voluntarium; S. Doctor verò tunc loquebatur juxta tritam loquendi conſuetudinem, quâ, prout etiam hodiedum contingit, frequenter voluntarium confundebatur cum libero & viciſſim.

Hoc patet ex centenis textibus hujus S. Patris, ubi ſemper opponit voluntatem & voluntarium neceſſitati & neceſſario.

„ Quamobrem, *ait* (*a*) ſi illæ animæ, quidquid faciunt, „ ſi naturâ, non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum vel „ ad non faciendum motu animi carent, ſi denique his abſtinendi ab „ opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſ- „ ſumus. *Item* (*b*) : Scio, in quo ſit mala Voluntas in eo fieri, quod ſi „ nollet non fieret; & ideò, non neceſſarios, ſed voluntarios de- „ fectus juſta pæna conſequitur. *Item* : (*c*) Hoc miraris, quomodo „ non ſint contraria, & repugnantia, ut & Deus præſciens ſit om- „ nium futurorum, & nos non neceſſitate, ſed voluntate peccemus? „ Nunquam finirem, ſi omnes vellem adducere textus, qui probant, S. Auguſtinum per voluntarium ſemper intellexiſſe liberum & indifferens : Sufficiant hi pauci.

℟. Ad Nonum & Decimum : ubi videtur, S. Auguſtinum

(*a*) Lib. de duab. anim. c. 12.
(*b*) Lib. de civit. Dei. c. 8.
(*c*) Lib. 3. de lib. arbit. c. 3.

Digitized by Google

affirmare, quòd homo præcisè ſit liber, quia non eſt coactus. „Si „cogitur non vult: Deus punit peccata, quæ neceſſe eſt fieri, quia „non cogit facienda, quæ futura ſunt. „ ℞. Inquam, propemodum idem, quod ad loca præcedentia, nimirum S. Auguſtinum per terminum *coactio* nunquam aliud intellexiſſe, niſi quod communiter inter homines mos erat per illum intelligere, ſcilicet ſimplicem neceſſitatem agendi, non verò coactionem rigorosè à ſcholis uſurpatam, & cujus coactionis humana voluntas ſit incapax, cùm non poſſit velle nolendo.

Hoc apparet ex iis, quæ ſcribit contra Fortunatum, ubi evidenter confundit coactionem cum ſimplici neceſſitate agendi, & ubi hanc coactionem opponit libertati indifferentiæ. „Quo- „modo, *inquit* (*a*) habemus peccata, ſi natura contraria nos cogit „facere quæ facimus? quæ enim cogitur neceſſitate aliquid facere, „non peccat, qui autem peccat, libero arbitrio peccat. „ *Ibidem* „*ſupperaddit* (*b*) Cùm ergo noveris neceſſitatem, quâ hic op- „preſſus ſum, quâ reſpirare non potui, cui reſiſtere non potui, „quid me accuſas quaſi peccantem?„ Ex his clarè patet S. Auguſtinum termino *coactio*, vel *cogere*, nolle aliud inſinuare niſi ſimplicem agendi neceſſitatem; non enim de alia re ipſi quæſtio erat cum Manichæis, niſi de hac neceſſitate, cui dicebant nos eſſe ſubjectos per malignam naturam.

Verùm quid in campo & de longinquo quærimus, quod præ foribus, & in proximo reperimus? nónne ipſimet citati textus ſoli ſufficiunt ad probandum quod diximus? nam certum eſt quoad primum locum, quòd S. Auguſtinus utatur termino *coactionis* in ſenſu, quo eam ſumpſerat Julianus, cujus errorem perſequebatur, cùm Julianus rejecerit neceſſitatem gratiæ, ejuſque efficaciam ſub prætextu, eam cogere ad faciendum bonum. Jam ſi Julianus per terminum *cogere* vel *coactio* intellexit ſimplicem agendi neceſſitatem, quæ voluntatem determinet ad unum, prout ipſe Janſenius fatetur,

(*a*) Lib. contra fortun.
(*b*) Diſputat. 2. contra eundem.

& prout aliam coactionem rigorosè & propriè dictam intelligere haud potuit, ergò noſtra voluntas eſt incapax, ergò dum S. Auguſtinus reprehendit hæreticos dicendo. *Abſit ut dicatur à nobis, ſi enim cogitur, non vult:* per terminum *cogitur*, intelligit ſimplicem neceſſitatem, & per terminum *vult* intelligit voluntatem liberam indifferentem: dixi notanter, *prout ipſe Janſenius fatetur*, ſic enim loquitur. (*a*) Hanc „ autem neceſſitatem ſubinde coactionem vocat (*Julianus*) Non enim „ tam intelligit coactionem propriè dictam, quæ fit renitente vo- „ luntate, quàm illam ad unam partem addictionem, quâ liberum „ arbitrium non niſi ad bonum vel non niſi ad malum velle poſſe „ diceretur.

Evidentius totum hoc elucescit ex ſecundo loco citato, ubi S. Doctor contra Evodium diſputans aſſerit, præſcientiam Dei non deſtruere noſtram libertatem, *quia Deus præſcientiâ ſuâ non cogit facienda, quæ futura ſunt.* Si enim S. Auguſtinus noluiſſet loqui niſi de libertate ſpontaneitatis, quæ reddit actiones noſtras neceſſarias, non verò de libertate indifferentiæ, quæ reddit actiones noſtras contingentes, non reſpondiſſet ad difficultatem, quæ unicè conſiſtebat in hoc, quomodo infallibilitas præſcientiæ divinæ cum contingentia & indifferentiâ futurorum concordari & conciliari valeat.

„ Certè enim, *ait Auguſtinus ad Evodium*, hoc te movet, & hoc „ miraris, quomodo non ſint contraria, & repugnantia, ut & Deus „ præſcius ſit omnium futurorum, & nos non neceſſitate, ſed vo- „ luntate peccemus. Si enim præſcius eſt Deus, inquis, peccatu- „ rum eſſe hominem, neceſſe eſt ut peccet: Si autem neceſſe eſt, non „ ergò eſt in peccando voluntatis arbitrium; ſed potiùs inevitabilis „ & fixa neceſſitas. Qua ratiocinatione hoć videlicet, ne conficia- „ tur, times, ut aut Deus futurorum omnium præſcius impiè ne- „ getur; aut ſi hoc negare non poſſumus, fateamur non voluntate, „ ſed neceſſitate peccari: an aliquid aliud te movet? Evodius reſpon- „ det; Nihil aliud.

Cùm igitur ex verbis clariſſimis Auguſtini evidenter pateat,

(*a*) Lib. 2. de hæreſ. Pelag. cap. 1.

eum

eum hic non tractare niſi de ſimplici neceſſitate, hinc quœro ulteriùs & iteratò, ubi foret aliqua difficultas, ſi quœſtio non niſi de quadam ſpecie libertatis non exemptæ à neceſſitate procederet? Quid faciliùs comprehenditur, quàm Deum neceſſariò & infallibiliter prævidere, quæ neceſſariò & infallibiliter futura ſunt? quamobrem manet irrefragabile, S. Auguſtinum per coactionem intendiſſe ſimplicem neceſſitaeem agendi, ac Janſeniſtas non ſolùm ex allatis textibus nihil proficere, ſed magis fieri tumultum in populo iſto, cùm convincantur, & confundantur ipſis ſuis objectionibus.

℟. ad Ultimum locum, ubi S. Auguſtinus diſtinguit duas ſpecies neceſſitatis: Unam, quæ ſit contraria libertati, alteram quæ quæ non ſit contraria. *Si enim neceſſitas noſtra illa dicenda eſt &c.* ℟. inquam, per illam neceſſitatem, quam Auguſtinus teſtatur non eſſe libertati contrariam, minimè intelligi neceſſitatem antecedentem, ut Janſeniſtæ docent, ſed ſimpliciter conſequentem & hypotheticam.

Igitur denuò reflectendum, duas dari neceſſitates reſpectu voluntatis, nimirum antecedentem & conſequentem. Prima eſt, quæ per vim & virtutem prævenientem determinat voluntatem ad aliquod objectum: hoc modo neceſſitantur Beati in cælo ad amorem Dei: talis neceſſitas juxta Catholicos deſtruit libertatem, quia deſtruit indifferentiam; ſecunda eſt, quæ ſequitur liberam electionem & deliberationem voluntatis, & per quam neceſſe eſt nos velle, poſtquam nos ad liberum velle determinavimus: hoc modo neceſſe eſt me ſcribere, quando voluntariè & liberè ſcribo, implicat enim, ut ſim ſcribens, & non ſcribens. Hæc neceſſitas non tantùm non officit libertati, ſed eam teſtatur, cùm ſit ipſum & actuale libertatis exercitium. De hac poſteriore neceſſitate agit Auguſtinus, cùm ſcribit, *neſcio cur timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Tres cauſæ principales hac de re nos ita convincant, ut nullus ſupereſſe valeat dubitandi locus.

Prima eſt, quia S. Auguſtinus impugnat errorem Ciceronis, qui negabat Dei præſcientiam tanquam contrariam libertati hominis, fundatus in hoc, quòd Deus infallibiliter non poſſit prævi-

dere id, quod utpote dependens à libertate hominis eſt incertum, atque indifferens: hoc patet ex ſubjunctis paulò inferiùs, ubi S. Aug. format quaſi concluſionem totius, quod dixerat: „ Quocirca, *inquit*, „ nullo modo cogimur, aut retentâ præſcientiâ Dei tollere volun- „ tatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum negare futu- „ rorum præſcium. Sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter, „ & veraciter confitemur. „ Ex his perſpicuè videtur, hîc non eſſe quæſtionem, niſi quomodo infallibilitas præſcientiæ divinæ cum contingentia & libertate actionis humanæ ſalvetur, quod procul dubio fieri nequit niſi per neceſſitatem conſequentem, quæ divinæ præſcientiæ totam tribuit certitudinem, ac libertati humanæ totam indifferentiam. Unde finaliter concluditur, S. Auguſtinum de hac ſolâ ſubſequente neceſſitate ratiocinari.

Secunda cauſa eſt, quia libertas, quam ſanctus Doctor hoc loco vult concordare cum neceſſitate, non eſt libertas ſpontaneitatis, ut prætendunt Janſeniſtæ, ſed libertas indifferentiæ. Cùm igitur ſola neceſſitas conſequens non contrarietur libertati indifferentiæ, hinc pronâ concluſione ſequitur, S. Auguſtinum velle loqui de neceſſitate conſequente non antecedente. Quòd verò S. Doctor hâc occaſione tractet de libertate indifferentiæ non verò ſpontaneitatis, probatur ex eo, quòd huic libertati aſſignet objectum alternativum, quod indifferentiæ eſt eſſentiale & naturale. *Manifeſtum eſt*, inquit. *voluntates noſtras quibus rectè, vel perperam vivitur.* Quo loquendi modo indicat, bonum & malum alternativè & viciſſitudinaliter ſumptum eſſe objectum voluntatum noſtrarum indifferentium ad hoc vel illud eligendum, juxta mentem S. Auguſtini. Itaque indubitatum eſt, eum hîc loqui de libertate indifferentiæ, & per conſequens de neceſſitate conſequente & conditionatâ, quæ ſola ſecum compatitur hanc libertatem.

Tertia cauſa perſuadens, S. Doctorem hîc agere de neceſſitate conſequente, trahitur ex comparationibus, quibus utitur, ut explicet dictam neceſſitatem. Prima comparatio fit cum neceſſitate præſcientiæ divinæ reſpectu futurorum contingentium; jam cùm

Digitized by Google

hæc talis neceſſitas non ſit abſoluta, ſed hypothetica & conſequens, eò quòd Deus hanc præſcientiam potuiſſet non habere, ſi voluiſſet, hoc eſt, ſi nihil extra ſuam eſſentiam producere decreviſſet, ideò evidenter patet, hìc non agi niſi de neceſſitate conſequente.

Altera comparatio, quam affert S. Doctor, fit cum neceſſitate vitæ divinæ, circa quod ſollicitè advertendum eſt, S. Auguſtinum hoc loco vitam Dei non ſumere pro eſſe Dei: Neceſſitas quippe eſſe divini eſt neceſſitas Metaphyſica, vel ad minimum phyſica & naturalis, de qua etiam fatentibus ipſis Janſeniſtis hoc loco non agitur, cùm concedant talem neceſſitatem tollere liberum: ſed S. Doctor hìc ſumit vitam divinam pro intellectione divina. Ita exponunt Bellarminus (*a*) Eſtius (*b*) Iſambertus (*c*) vel potius ipſe Auguſtinus ſeſe explicat dicendo: (*d*) „ Deus „ eſt primus & ſummus intellectus, cui non eſt aliud vivere & aliud intelligere; ſed quod eſt intelligere, hoc vivere. „ Jam verò certum eſt, oportere ratiocinari de intellectione divina ſicut de præſcientia divina: ſicut enim Deus potuit plurima non prævidiſſe futura, ſic ob paritatem rationis potuit plurima non concepiſſe & intellexiſſe futura. Idcircò hæc neceſſitas intellectionis terminativè ſumpta eſt ſolùm neceſſitas conſequens, non verò antecedens.

Illud autem, quod S. Doctor immediatè poſt has aſſimilationes apponit, eſt complementum totius, quod hactenus diximus, nimirum hìc ſolummodò tractari de neceſſitate conſequente. „ Sic „ etiam, cùm dicimus, *inquit*, neceſſe eſt, ut, cùm volumus, „ libero velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus: & non „ ideò ipſum liberum arbitrium neceſſitati ſubjicimus, quæ adimit „ liberum arbitrium. „ Eccur non ſubjicimus? idcircò haud dubiè,

(*a*) Bellarm. l. 3. de lib. arbit. c. 5.
(*b*) Eſtius. in 2. diſt. 24. 9. 1.
(*c*) Iſambert. in 1. 2. diſp. 1. art. 3.
(*d*) Lib. 6. de Trinit. cap. 10.

Digitized by Google

quòd hæc neceſſitas, quâ neceſſe eſt, ut velimus, quando volumus, ſit neceſſitas conſequens, & ex hypotheſi præviæ determinationis liberæ, ſicut dum ſcribo, vel ambulo, neceſſariò ſcribo & ambulo in ſenſu compoſito, & ſuppoſita actuali determinatione ad ſcriptionem vel deambulationem. Ergò hìc quæſtio eſt de neceſſitate conſequente, non antecedente contra opiniones Janſeniſtarum.

ARTICULUS QUINTUS. DE

MORTE JESU CHRISTI.

LOCA EVIDENTER CONFORMIA ECCLESIÆ DECISIONIBUS.

I.

VUlt autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nec ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cum ſit, infideles

LOCA APPARENTER CONTRARIA ECCLESIÆ DECISIONIBUS.

I.

SI Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ſed ideò non veniunt, quia ipſi nolunt; cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptiſmate moriuntur, non veniunt in regnum

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus evangelio non credunt: nec ideò tamen eam vincunt, verùm ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in bonis miſericordiam contempſerunt. *Lib. de ſpir. & litt. cap. 3.*

II.

Præclari prædicatores! ſic prædicatis Jeſum, ut eum negetis parvulorum eſſe Jeſum? Undenam hoc nomen accepit, in Evangelio legite: & nolite Salvatorem non ſalvis pueris invidere. *Lib. 1. oper. perf. cont. Julia. c. 32.*

III.

Unus pro omnibus mortuus eſt: ergò omnes mortui ſunt, pro quibus mortuus eſt Chriſtus. Nega igitur Chriſtum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc eſt de contagio peccatorum. Qui fieri poteſt, in-

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

Dei, ubi eſt certa cognitio veritatis? numquid aut homines non ſunt, ut non pertineant ad id, quod dictum eſt, *omnes homines*? aut aliquis poteſt dicere: Deus quidem vult, ſed ipſi nolunt, qui nondum velle, aut nolle iſta noverunt? *Lib. 4. cont. Jul. cap. 8.*

II.

Et quod mirabilius eſt: adoptat aliquando in filium, quem format in utero immundiſſimæ fæminæ, & aliquando non vult filium ſuum, quem format in utero filiæ ſuæ. *Lib. 6. cont. Jul. c. 14.*

III.

Quid dicam, quod parvulus aliquandò, antequam per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, exſpirat plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulis detur: Deo tamen nolente non datur, qui eum par-

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

quit; ſi fieri non poteſt, non eſſet, unde parvulos nondum de corpore egreſſos mortuos diceremus. *Lib. 6. cont. Jul. cap. 9.*

IV.

Aut pro minimo habet Deus hominem, propter quem voluit mori unicum filium ſuum? ...... Tales arrhas accepimus: tenemus mortem Chriſti: tenemus ſanguinem Chriſti: quis mortuus eſt? utinam pro bonis, utinam pro juſtis: etenim Chriſtus, ait Apoſtolus, pro impiis mortuus eſt. Qui donavit impiis mortem ſuam, quid ſervat juſtis, niſi vitam ſuam? erigat ergò ſe humana fragilitas, non deſperet, non ſe collidat, non dicat, non ero beatus ..... Quid tibi promiſit Deus, o homo mortalis! quòd victurus es in æternum. Non credis? crede, crede. Plus eſt, quod jam fecit, quàm quod promiſit. Quid fecit? mortuus eſt pro te. Quid promiſit? quòd

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

vulum non tenuit, ut daretur. *Lib. de dono perſev. cap. 14.*

IV.

Debemus itaque intelligere, quod dictum eſt: qui vult omnes homines ſalvos fieri, tanquam diceretur, nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem ſalvum fieri ipſe voluerit; non quòd nullus ſit hominum, quem non ſalvum fieri velit, ſed quòd nullus fiat, niſi quem velit. Aut certè ſic dictum eſt, non quòd nullus hominum eſſet, quem ſalvum fieri nollet, ſed ut omnes homines omne genus hominum intelligamus per quaſdam differentias diſtributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, doctos, integri corporis, debiles, ingenioſos, tardos corde &c. In linguis omnibus, in moribus omnibus, in profeſſionibus omnibus, & ſi quid aliud diffe-

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

vives cum illo. Incredibiliùs eſt, quòd mortuus ſit æternus, quàm quòd in æternum vivat mortalis. Jam quod incredibilius eſt tenemus. Si propter hominem mortuus eſt Deus; non eſt victurus cum Deo? non eſt victurus mortalis in æternùm, propter quem mortuus eſt, qui vivit in æternum? ſed quomodo mortuus eſt Deus, & poteſt mori Deus? accepit ex te, unde moreretur pro te. *In pſal.* 148.

V.

Populi ſpernentes propter ſuperbiam ſuam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum. *Tract.* 4, *in Joan.*

VI.

Judicabit orbem terrarum in æquitate, non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit. *in Pſalm* 95.

LOCA APPPARENTER CONTRARIA, &c.

rentiarum eſt in hominibus. Iſto locutionis modo, & Dominus eſt uſus, ubi ait Phariſæis. *Decimatis mentam, & rutam, & omne olus.* Neque enim Phariſæi & quæcunque aliena, & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergò hic omne olus, omne olerum genus; ita & illic omnes homines, omne hominum genus intelligere poſſumus. *Inchir. c.* 103.

V.

Propitiatio eſt peccatorum noſtrorum, & non tantùm noſtrorum, ſed & totius mundi propter triticum, quod eſt per totum mundum. *Epiſt.* 48.

VI.

Miſit Deus filium ſuum propter præſcitos, prædeſtinatos, juſtificatos, & glorificatos. *Serm.* 6. *de verb. apoſt.*

Digitized by Google

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.

VII.

Sanguis Domini tui, ſi vis, datus eſt pro te; ſi nolueris, non datus eſt pro te. *Serm.* 31. *ex* 40.

VIII.

Præſtò erit Diabolus in die judicii, dicens; judica meum eſſe, qui tuus eſſe noluit; meus eſt, mecum damnandus. Judica æquiſſimè, quia quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipſe mihi ſe poſtmodùm obligare voluit. *Conc. ad Catech. c.* 4.

IX.

Quando Chriſtus in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos; ſed multos ex illis futuros amicos prævidebat; & ideò omnibus veniam petebat. Illi ſæviebant, & ille orabat: illi dicebant Pilato, crucifige; ille clamabat, ignoſce. *Serm.* 4. *de ſanctis.*

X.

Venit Chriſtus, ſed primò ſalvare, poſtea judicare; eos

LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.

VII.

Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus. *Epiſt.* 102.

VIII.

Etſi lanietur caro, non perit tamen, qui ſanguine Chriſti redemptus eſt. Si enim homo non poteſt perdere, quod auro ſuo emit; nec Chriſtus perdet, quod emit ſanguine ſuo. *Serm. de Natal. S. Vincent.*

IX.

Eſt mundus, de quo ſcriptum eſt: *ne cum hoc mundo damnemur.* Pro iſto mundo non rogat. Et eſt mundus, de quo ſcriptum eſt: *ut ſalvetur mundus per ipſum*; & pro iſto mundo rogat, dicens: ut cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti. *Tract.* 11. *in Joan.*

X.

Si de aliquibus certa eſſet Eccleſia, qui licèt in hac vita judi-

LOCA EVIDENTER CONFORMIA, &c.	LOCA APPARENTER CONTRARIA, &c.
judicando in pænam, qui ſalvari noluerunt, eos perducendo ad vitam, qui credendo ſalutem non reſpuerunt. Prima ergò diſpenſatio Domini medicinalis eſt. *Tract. 35. in Joan.*	ſunt conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, jam pro eis non magis oraret, quàm pro ipſo. *Lib. 21. de civit. Dei, cap. 24.*
XI.	**XI.**
Deus, quos ſeminavit, ſpicas vult invenire non ſpinas. *Serm. 81. de diverſ. in finem.* Totum redemit, qui totum creavit; totum ſuſcepit, totum liberavit verbum. *Serm. 145 de Temp.* Venit Salvator in mundum: quare Salvator dictus eſt, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum? ſalvari non vis ab ipſo? ex te judicaberis. *Tracti 12. in Joan.*	Sed incerta eſt mihi, inquis, de me ipſo voluntas Dei. Quid ergò? túane tibi de te ipſo voluntas certa eſt? nec times. Qui videtur ſtare, videat ne cadat. Cùm igitur utraque incerta ſit, cur non homo firmiori, quàm infirmiori fidem, ſpem, charitatemque committit? *Lib. de prædeſt. SS. cap. 11.*

EXPLICATIO.

OBſerves primo: quòd licèt voluntas Dei ſit ſimpliciſſima in ſe ipſa, nihilominus Theologi fundati in Authoritate ſanctorum Bonaventuræ, Thomæ Aquinatis, Chryſoſtomi, S. Joannis Damaſceni, præcipuè S. Auguſtini, diſtinguant duas voluntates

in Deo ſecùndùm diverſas Jdeas, quas abſtractivè formamus de Deo, prout ſubjacet noſtro concipiendi modo. Prima voluntas vocatur antecedens, ſecunda conſequens.

Voluntas antecedens eſt, per quam Deus aliquid vult ex ſolis motivis intra ſe ipſum repertis, ut docet S. Anſelmus: *Voluntas antecedens* (a) *ait, eſt acceptio Dei ex ſe ipſo exiſtens. Voluntas conſequens eſt conceſſio ex noſtra cauſa* Prima habetur ſine attentione ad circumſtantias bonas aut malignas, quæ tractu temporum eam comitari deberent. Secunda verò eſt cum attentione & reſpectu ad circumſtantias, quæ eam in tempore comitabuntur. Sic Deus vult ſalutem omnium hominum voluntate antecedente, quam apprehendimus tanquam abſtrahentem à conſideratione peccati aut gratiæ, in quibus homines ſint victuri & morituri, cùm hæc divina voluntas non moveatur ad hoc velle, niſi ex bonitate Dei generali erga omnes homines: à contrario non vult ſalutem reproborum, imò vult poſitivè eorum damnationem voluntate conſequente, quam concipimus cum attentione & reſpectu ad futura peccata, atque impænitentiam finalem damnandorum.

Per antecedentem Deus vult indifferenter ſalvare omnes homines; ſi mediante ejus gratia fideliter utantur ſua libertate; per conſequentem vult ſalvare tantùm illos, quos prævidet fideliter cooperaturos cum donis gratiæ & libertatis, vult econtra damnare, quos prævidet non cooperaturos ſed potius per abuſum libertatis contra dona gratiæ peccaturos: hæ duæ voluntates clariſſimè exprimuntur in pleriſque operibus S. Auguſtini, præcipuè tamen in declamato illo loco de ſpiritu & litterâ: „ Deus vult „ omnes homines ſalvos fieri & ad cognitionem veritatis per„ venire, non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel „ benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur; quod cùm ſit, in„ fideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evan„ gelio non credant, &c. „ Nihil adeò expreſſum, nihil ita de-

(a) Lib. 2. de fide c. 29.

ciſivum contra modernos errores, ac inſignis hic textus: Novatores experti ſunt ejus valorem, & quid non excogitârunt, ut eum eluderent?

Jam prætendebant, S. Auguſtinum conſtruxiſſe librum de ſpiritu & gratia, tempore, quo hæreſis Pelagiana vix in cunis apparuerit, tempore, quo necdum radicaliter fuerit inſtructus circa myſterium gratiæ; jam prætexebant, quòd, cùm in aliis ſuis tractatibus non eo calamo ſcripſerit, quo contra Pelagianos, præſumendum ſit, eum immutâſſe ſententiam: jam denique fingebant, allatum textum non eſſe ſententiam ſuæ mentis, ſed objectionem Semi-Pelagianorum, quam formet ſibi ipſi, ut deſuper reſpondeat; ratiunculis hujuſmodi frivolis lactantur quidem ſponte cæcutientes; nos verò illis convincimur de deliberata pertinacia Novatorum, agnitæ veritati recalcitrantium.

Certum quippe eſt primò! quòd antequam hæreſis Pelagiana erexerit caput in Eccleſia, S. Auguſtinus jam fundìtùs penetraverit myſterium gratiæ. Egregium opus, quod direxit ad Simplicianum, ubi fatentibus ipſis Janſeniſtis hoc myſterium explanat modo admirabili & ſummè Orthodoxo, hujus rei argumentum præbet ſolidiſſimum. Certum eſt ſecundò; eum ante ſtructuram libri de ſpiritu & littera jam in pluribus diſcurſibus Pelagianiſmum impugnâſſe, prout teſtatur ipſemet libro 2. Retractationum cap. 33. Imò eum jam antecedenter compoſuiſſe quatuor alios libros contra Pelagianos: nimirum tres de meritis & remiſſione peccatorum, & quartum de gratia, ac novo teſtamento ad Honoratum. Certum eſt tertiò, S. Auguſtinum in ſuis retractationibus nihil revocâſſe prius dictum in libro de ſpiritu & littera, imò ipſemet teſtatur, ſe fortiter diſputâſſe in memoratis Retractationibus contra inimicos gratiæ.

Illud verò, S. Auguſtinum citato loco non ſuam mentem *per propoſitionem*, ſed mentem Semi-Pelagianorum *per objectionem* explicuiſſe; illud, inquam, ſapit aut temeritatem aut cæcitatem incomparabilem, neque enim opus eſt, niſi ut latinum idioma vel

mediocriter calleas, & fateberis protinus, ibi nihil minus quàm objectionem tractari; ibi non Semi-Pelagianum ſed Auguſtinum ex propria non aliena mente loqui.

Obſerves Secundò: Voluntatem Dei in ordine ad noſtram ſalutem ulterius dividi in duas alias voluntates: prima dicitur abſolutè, vel potius ſimpliciter efficax; altera dicitur ſufficienter efficax, vel potius ſimpliciter ſufficiens. Prior illa aſſequitur ſuum effectum tam ex parte Dei, quàm ex parte hominis: altera habet ſuum effectum ex parte Dei, non verò hominis; per primam quos Deus vult ſalvos, certiſſimè ſalvabuntur, quamvis poſſent non ſalvari: Dico, *certiſſimè*, quia Deus in hunc finem utitur mediis certiſſimis. Dico, *poſſent non ſalvari*, quia Deus eos non ſalvat niſi per liberum arbitrium, ita, ut ſi nollent, non ſalvarentur. Per Secundam, quos Deus vult ſalvare, non ſalvantur, quamvis ſalvari potuiſſent: Dico, *non ſalvantur*, quia nolunt, & quia Deus eos ſalvare non vult niſi conditionatè & dependenter à libero arbitrio: Dico, *quamvis ſalvari potuiſſent*, quia Deus hâc voluntate in ſe veriſſima & ſinceriſſima eos providet omnibus ſufficientibus mediis ad ſalutem conſequendam neceſſariis.

Ambæ hæ voluntates iterum perſpicuè deſignantur in Au-„guſtino, dum dicit (*a*) „ Veniſſe cæleſtem medicum, & quantum „in medico eſt, ſanare voluiſſe ægrotum: non permiſiſſe ullum mortalium ſe excuſare de umbra mortis & ipſam enim, *ait* (*b*) pe-„netravit verbi calor. Venit Chriſtus, ſed primò ſalvare, poſtea „judicare: eos judicando in pænam, qui ſalvari noluerunt; „ his formalibus indubitatò loquitur de voluntate ſufficiente. Et quando teſtatur aliis locis, nolle Deum omnes homines ſalvos fieri, non miſiſſe filium ſuum unigenitum in mundum niſi pro prædeſtinatis &c. evidens eſt eum loqui de voluntate efficace, prout videbimus in decurſu hujus explicationis.

Obſerves Tertio duas quoque ſpecies eſſe redemptionis:

(*a*) Tract. 12. in Joan.
(*b*) In. pſal. 18.

Digitized by Google

unam vocant Theologi Redemptionem in actu primo : alteram in actu 2. Redimere in actu primo eſt præſentare ſufficiens pretium pro relaxatione captivi cum ſincera voluntate ac verâ intentione eum ex ſervitute liberandi per pretium prò ipſo oblatum : redimere in actu ſecundo eſt liberare captivum realiter, & effectivè per pretium: ſic intelligit Concilium Tridentinum, quando pronuntiat, quòd licèt Jeſus Chriſtus mortuus ſit pro omnibus hominibus, non tamen omnes homines fructum Redemptionis recipiant. Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet : quamvis Chriſtus redemerit omnes homines ſufficienter & in actu primo, non tamen omnes redemit realiter, effectivè & in actu ſecundo.

Sicut alibi ſic neque hîc nobis deerit Auguſtinus : auſcultemus, quomodo *Chriſtum judicem in noviſſimo die* loquentem inducat. (*a*) „Ecce hominem, quem crucifixiſtis : ecce Deum, „& hominem, in quem credere noluiſtis. Videtis vulnera, quæ „infixiſtis? agnoſcitis latus, quòd pupugiſtis quoniam & per vos, „& propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis. Qui „non eſtis redempti pretio mei ſanguinis, non eſtis mei : diſcedite „à me &c. Sed illorum mors proficiat ad noſtram ſalutem ſi illi „contempſerunt, nos timeamus eum, qui ſic venturus eſt judicare. Feſtinet unuſquiſque, cùm vivit, ut vivat. Currat ut ejus „ſanguine pretioſo redimatur; ne cùm non fuerit inventus in „numero Redemptorum, in numero maneat perditorum. Hîc dum „vivitur, melior eligatur.

Non tam corruſcant plena meridie ſolis radii, ſicut duæ mox memoratæ ſpecies Redemptionis emicant ex ſtatim allato præclaro textu. ſine præſumptione univerſos Janſenianos hîc provocavero, certò perſuaſus, nil rationi aut veritati congruum replicaturos. Quid enim de mente S. Doctoris ſentiendum, dum apertè declarat latus Jeſu Chriſti fuiſſe apertum etiam reprobis, adeò, ut non niſi ab ipſis dependerit intrare? quid ſentiendum? dum immediatè ſubjungit, hos ipſos reprobos non pertinere ad

(*a*) De Symbolo ad Catechum. l. 2. cap. 8.

Digitized by Google

Chriſtum, eò quòd redempti non ſint pretio divini ſanguinis: nunquam duas propoſitiones tam apparenter oppoſitas audiveris ac iſtas: ſi latus Salvatoris fuit reprobis apertum, ut intrarent, quomodo ergò eos non redemit? & ſi pretio ſui ſanguinis eos non redemit; quomodo latus ſuum propter ipſos aperuit, adeò, ut penes ipſos fuerit rectà ingredi? hoc eſt, quod nemo unquam combinaverit, niſi dicatur manifeſta veritas, nimirum, S. Auguſtinum per latus apertum propter reprobos loqui de Redemptione ſufficiente & in actu primo, quando verò negat reprobos fuiſſe redemptos pretio ſanguinis Chriſti, eum intelligere, redemptionem completam, actualem, & in actu ſecundo.

Quod ſtatim ad hujuſque relata ſequitur, non minùs Auguſtinum explicat, noſque de ejus mente & doctrinâ pleniſſimè convincit: ait enim; „ unuſquiſque .... currat, ut ejus pretioſo „ ſanguine redimatur; ne cùm non fuerit inventus in numero Re„ demptorum, in numero maneat perditorum: „ attendas, quid deſuper argumenter. Quomodo poſſumus currere, ut ſimus ex numero Redemptorum, ſi necdum ſimus redempti per Jeſum Chriſtum, qui pretio ſanguinis ſui nobis meruit & comparavit gratias ad ſalutem neceſſarias? & ſi jam ſimus ex numero redemptorum, ad quid, amabo, nos hortari ad currendum, ut adhuc annumeremur huic numero? hæc procul dubio ſolvuntur reſpondendo, omnes homines eſſe ſufficienter redemptos & numeratos, ſed non efficaciter, realiter, & in effectu. His omnibus poſitis.

Reſp. Ad Primum locum, ubi S. Auguſtinus videtur negare hoc principium Catholicorum, nempe, quòd Deus velit omnes ſalvare homines, nec tamen omnes ſalvari, quia non omnes volunt. Contra quod infert S. Auguſtinus: „ ſi Deus vult omnes „ homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ſed ideò „ non veniunt, quia ipſi nolunt; cur tot millia parvulorum, „ qui non percepto baptiſmate moriuntur, non veniunt in reg„ num Dei? „ ℟. Inquam, S. Doctorem non reiicere dictam pro-

poſitionem his verbis , niſi in ſenſu Pelagianorum , ac Semi-Pelagianorum , qui ſacrilegè abutentes verbis Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* ; docebant , quòd homo conſecutivè ad bonam hanc Dei voluntatem ac promiſſionem poſſit ſe ipſum ſalvare, ſi velit , ex propriis viribus juxta Pelagianos , vel propriis viribus mereri neceſſariam gratiam, quâ benè vivat & ſalvetur juxta Semi-Pelagianos.

Poteſt etiam dici , S. Doctorem hoc loco voluiſſe rejicere doctrinam illorum , qui docebant , in Deo dari voluntatem ſalvandi omnes homines ita generalem , indifferentem & æqualem erga omnes , ut nullam in Deo agnoverint providentiam ſpecialem & particularem verſùs electos : quod tamen falſiſſimum eſt. Indubitatum eſt enim , nos non tantùm non poſſe ſalvari ſine Dei gratia , ſed neque unquam ſalvandos eſſe ſine gratia ſpeciali & particulari , multò minus nos ſalvandos eſſe tantùm volendo ſalutem per ſimplicem aſſenſum voluntatis , quæ voluntas juxta omnes probatos Theologos non conſtituit formaliter & principaliter efficaciam gratiæ.

Non tamen hoc impedit, quin ſit de fide, prout S. Auguſtinus vel in ipſis contra Pelagianos elaboratis operibus tradit, reprobos poſſe ſalvari, ſi velint, & ſi non ſalventur id fieri, quia nolunt. „ Si autem manifeſtantur ante tribunal Chriſti, inquit. S. Doctor (*a*) quomodo reportat eorum quiſque quod geſſit, qui ni-„ hil geſſit ? Niſi quia pertinet ad eos, quod per corda & ora geſtan-„ tium, ſive credunt, ſive non credunt. Propria corporis ſui enim „ dixit, quod ad unumquemque in ſe ipſo jam vivente pertinet. „ Nam quomodo reportat bonum, ut intret in regnum Dei, ſi hoc „ reportat quiſque , quod geſſit ? niſi quod pertinet ad parvu-„ lum, etiam quod per alterum geſſit. „ Igitur adulti non ſalvantur, quia nolunt ex propria voluntate , parvuli verò non abluti, non ſalvantur, quia nolunt ex voluntate aliena. Audiamus noſtrum S. Doctorem, qui loquitur & quidem ad Pelagianum : „ Si

(*a*) Lib. 6. cont. Julian. c. 10.

„ parvuli fuerint præſentati coram tribunali Chriſti, quomodo com-„prehenditur, quemlibet illuc portare, quod geſſit in corpore, cùm „ ipſi nihil geſſerint, niſi ſubintelligas eos credidiſſe, vel non cre-„ didiſſe corde & ore illorum, inter quorum manus erant? „

℞. ad Secundum & Tertium ubi S. Auguſtinus dicit : „ Deus „ aliquando non vult filium ſuum, quem format in utero filiæ ſuæ. „ *Item.* Plerumque feſtinantibus, & miniſtris paratis, ut baptiſ-„ mus parvulis detur, Deo tamen nolente non datur. „ ℞. inquam, S. Doctorem nolle per hoc affirmare, Deum nullo modo velle baptiſmum & ſalutem æternam talium parvulorum, ne quidem voluntate antecedente, aut ſufficienter efficace, ita ut eos excluſerit poſitivè & abſolutè à beneficio generali Redemptionis. Sed quòd non velit ſalutem & baptiſmum his parvulis omnibus omninò modis & mediis, quibus velle poſſet, hoc eſt volnntate conſequente ſeu potiùs abſolutè efficaci ac ſpecialiſſima voluntate, quod intimatur per id : *Deo tamen nolente non datur, qui cum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.*

Itaque cùm nullus unquam cum veritate dixerit, Dominum ideo nolle converſionem & ſalutem alicujus peccatoris nullo penitus modo, quia non deſcendit ad eum convertendum, eique in via apparet prout Paulo in Agro Damaſci, quamvis ipſi cæteroquin ſuppeditet omnes gratias ſufficientes & neceſſarias, ſic pariter nemo crediderit, Deum abſolutè nullo modo velle ſalutem & baptiſmum alicujus parvuli, quia vitam ejus non prolongat per miraculum omnipotentis brachii ſui, uſque dum gratiam baptiſmi recipiat. Nam virtute redemptionis Deus non tenetur invertere communem curſum rerum naturalium, ac ſufficienter explevit officium Redemptoris, ex ſua parte præparando, comparando per merita ſanguinis, ac mortis ſuæ gratiam baptiſmi, quem verè pro ejus ſalute inſtituit ſicut pro cæteris parvulis.

Reſp. ad Quartum ubi S. Aupuſtinus ait. „ Debemus Apoſto-„ lum, quando docet, Deum velle omnes ſalvare, ita intelligere, „ tanquam diceretur, nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem „ ſalvum

„ ſalvum fieri ipſe voluerit: aut certè id dictum eſt, ut omnes ho„mines omne genus humanum intelligamus per quaſdam diffe„rentias diſtributum: „ Reſp. Inquam, omnes has expoſitiones, quas S. Doctor verbis Apoſtoli applicat, eſſe veriſſimas & inſigniter Orthodoxas in ſenſu, quo eas proponit: id eſt, Deum nolle ſalvare, niſi prædeſtinatos, eoſque, quos elegit ex omni natione voluntate conſequente, id eſt, ſimpliciter efficace, & quòd omnes, qui ſalvi facti ſunt, id ſint per unam vel alteram ex his voluntatibus. Veruntamen per hoc non intendit refellere explicationem Catholicam, quæ ſe primo intuitu ex ſenſu verborum intellectui inſinuat: Deum nimirum velle ſalvare omnes homines voluntate antecedente, conditionata', ſufficienter efficace, ac reſpectiva ad liberi aſſenſum arbitrii, prout hoc ipſum confirmat centum textibus in pleriſque ſuis operibus, ac faciliter conjicitur ex locis ſupra citatis.

Hoc evidenter apparet, & probatur ex iis, quæ in libro Enchiridion annotato textui immediatè ſubjungit: Cùm enim cunctas illas explicationes attuliſſet, quaſi pro clauſula addit, nos poſſe verba ipſius ſumere, aut intelligere hoc vel alio modo, dummodo non cogamur credere, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factúmque non eſſe. Ex qua clauſula duo ſequentia inferuntur. 1. S. Auguſtinum ſuas explicationes nunquam tenuiſſe penitus irrefragabiles, nec ita conformes menti Apoſtoli, quin non propiùs aut conformiùs quis poſſit Apoſtolum accedere: ſecus enim non auderet dicere: *& quocunque alio modo poteſt intelligi.* 2. S. Auguſtinum ſuis explicationibus nunquam aliud quid intentâſſe, niſi inculcare, in Deo nullam dari voluntatem, quæ non ſit etiam ſuo modo & ſenſu efficax, nullamque eſſe efficaciam, quæ non habeat ſuum effectum juxta extenſionem & menſuram ſuæ naturæ & conditionis.

Cùm igitur S. Doctor nobis permittat explicare Apoſtolum, licèt etiam *quocunque alio modo intelligi poſſet, dummodo credere non cogamur* &c. Idcircò verba Apoſtoli tantiſper ponderemus, & qui-

dem in tali ſtatera, quâ inveniamus in Deo voluntatem ſalvandi omnes homines, quæ ſit verè efficax, & quæ realiter ſortiatur ſuum effectum, quamvis non omnes homines ſalvi fiant. Ad hoc evincendum Catholici utuntur duobus mediis infallibilibus, & quidem conformiter doctrinæ S. Auguſtini, à qua nunquam aberrant.

Primum medium eſt, quòd dicant, voluntatem Dei in ordine ad ſalutem omnium hominum eſſe ſinceriſſimam & veraciſſimam, imò ſimul efficaciſſimam intra limites & ſphæram ſuæ efficaciæ in intentione divina exiſtentis; igitur per hanc voluntatem antecedentem Deus vult efficaciter noſtram ſalutem intendendo ſufficientia media, non quaſi abſolutè eam velit, ſed conditionatè & dependenter à nobis ipſis, ac libera cooperatione noſtræ voluntatis, juxta tritum illud anxioma Auguſtini. (*a*) „ Qui enim fecit te ſine „ te, non te juſtificat ſine te: fecit neſcientem, juſtificat volentem. „ *Item.* Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri &c. Non „ ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium „ &c.

Adeòque ſive homines ſalventur, ſive non ſalventur conſequenter ad voluntatem Dei antecedentem, nunquam tamen adoranda hæc divina voluntas ſuo fruſtratur effectu. Et procul ab eo, quòd cogamur credere omnipotentem aliquid velle, quod non fit; econtra cognoſcemus, non aliter factum eſſe, nec fieri, niſi prout ipſe voluit; voluit autem, ut omnes homines ſalventur, ſi velint; non ſalventur, ſi nolint, ac tandem, quia evidenter patet, voluntatem Dei ſalvandi omnes homines non tantùm reſpicere acquiſitionem ſalutis in ſeipſa, ſed etiam modum eam acquirendi per gratias & cooperationes.

Reclament Janſeniſtæ contra hanc explicationem, quantùm placuerit, nihil efficient, niſi forſitan nobis anſam dabunt innocentis delectamenti ex intuitu conflictûs & contradictionis inter ſe ipſos: ad has enim contradictiones eos devolvi neceſſe eſt, ſi explicent, quomodò Deus ſincerè voluerit ſalutem omnium Angelo-

(*a*) Serm. 15. de verb. Apoſt.

Digitized by Google

lorum nullo excepto, prout libenter tenent cum S. Auguſtino: & tamen tertia pars ſtellarum caudæ Draconis adhæſerit in interitum ſempiternum: eratne voluntas omnipotentis eo tempore minùs vel magis efficax & abſoluta, quàm hodiè? abſit. Cùm ergò concedant voluntatem Dei in ordine ad ſalutem Angelorum fuiſſe efficacem & univerſalem non obſtante ſubſequente ruina; cùm illa efficacia voluntatis divinæ reſpectu Angelorum prædeſtinatorum non impediverit, quin veraciter & ſincerè voluerit quoque ſalutem Angelorum reproborum; eccur voluntas ſalvandi homines prædeſtinatos impediat voluntatem generalem ſalvandi omnes homines reprobatos?

Secundum medium, quo utuntur Theologi Catholici, ut concilient efficaciam divinæ voluntatis ſalvandi omnes homines cum æternâ damnatione majoris numeri reproborum, conſiſtit in hoc, quòd doceant, malitiosè reſiſtentes voluntati divinæ antecedenti eos ſalvandi ruere in voluntatem Dei conſequentem eos damnandi, adeò, ut divina illa voluntas, quamvis in ſe unica & ſimpliciſſima, velit unum vel alterum ex duobus, aut ſalutem volentium ſe ſalvare per gratias, aut damnationem nolentium cooperari ſaluti. Voluntas utrobique ſemper eſt invicta.

Loquor cum S. Auguſtino. (*a*) „ Infideles quidem contra „ Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt; nec „ ideò tamen eam vincunt. Verùm ..... contempſerunt. Iſta vo„ luntas Dei ſemper invicta eſt, vinceretur autem, ſi non inveniret, quid de contemptoribus faceret. „ S. Doctor eodem modo ſe explicat reſpectu ſalutis Angelorum & hominum, inter quos nullam ponit differentiam: „ Quantælibet, *inquit*, (*b*) ſint vo„ luntates vel Angelorum, vel hominum, vel bonorum, vel ma„ lorum, vel illud quod Deus, vel aliud volentes, quàm Deus, „ omnipotentis voluntas Dei ſemper invicta eſt. „ Et quare invicta? forſitan idcircò, quòd velit ſalutem horum, & damnatio-

(*a*) Lib. de ſpirit. & litt. c. 33.
(*b*) In Enchirid. cap, 102.

nem illorum? Nequaquam: nam Janſeniani admittunt, Deum voluiſſe ſalutem omnium Angelorum nullo excepto; cur ergo? quia non reſpondentes primæ voluntati antecedenti ſalvandi omnes prolabuntur in voluntatem ſecundam, ſeu conſequentem damnandi quoſdam.

Et quod in hoc negotio maximè notandum eſt, hæc voluntas conſequens & rigoroſa minimè repugnat voluntati antecedenti & benignæ miſerentis Dei, imò eam ſupponit ita neceſſariò, ut ſuum effectum aſſequi nequeat ſine præſuppoſitione antecedentis voluntatis divinæ ſalvandi omnes; effectus autem conſequentis eſt damnatio eorum, qui contemnunt antecedentem; nunquam enim comprehendes aliquem præcipitandum in gehennam ignis inextinguibilis per voluntatem conſequentem Dei propter contemptum & abuſum divinæ Miſericordiæ, ſi hæc miſericordia aut voluntas ſalvandi omnes homines non verè & realiter in Deo exiſtat.

Reſp. Ad quintum & ſextum ubi Auguſtinus dicit: „ Quòd „ Deus ſit propitiatio peccatorum totius mundi propter triticum, „ quod eſt per totum mundum: *Item.* Quòd Deus miſerit „ filium ſuum propter præſcitos, & prædeſtinatos. „ ℟. Inquam, quòd, cùm S. Doctor diverſis locis teſtetur, Chriſtum etiam mortuum eſſe pro reprobis, neceſſariò ſequatur, eum vel ſibi ipſi contradicere, vel utrumque verum eſſe ſub diverſo reſpectu & ſenſu: primum abſit: ergò ſecundum, nimirum utrumque verum eſſe ſub diverſo reſpectu & ſenſu, ſi dicas; Chriſtum fuiſſe mortuum efficaciter, completè & perfectè pro ſolis prædeſtinatis, qui receperunt, vel recepturi ſunt ultimatum Paſſionis Dominicæ effectum: ecòntra Chriſtum non ita eſſe mortuum pro reprobis, quamvis verè & ſincerè etiam pro ipſis ſit mortuus modo ſufficienter efficace; eò quòd ſuâ morte ipſis comparaverit neceſſarias & ſufficientes gratias, quibus, cùm non reſponderint, meritò privati ſunt gloria cæleſti tanquam vero & ultimo fructu ac effectu mortis & Paſſionis Chriſti.

Deinde eſt modus loquendi valdè communis non ſolùm in ſcriptura, & inter SS. Patres, verùm etiam in quotidiano mundi commercio, ut de aliqua re pronuntiemus ſecundùm ejus eventum & ſucceſſum. Sic Profeſſor publicus dicitur componere vel præparare Theologiam pro ſuis ſcholaſticis, quamvis non pro his ſolis, ſed etiam pro aliis tale opus conſtruxerit, ſi id audire & acceptare voluiſſent. Sic Princeps dicitur præparare munera centum militibus ſui exercitus, qui fortes in bello fuerunt, quamvis habuerit intentionem generalem omnes remunerandi, ſi omnes fortiter dimicâſſent. Sic pariter loquitur S. Auguſtinus, Chriſtum fuiſſe mortuum pro prædeſtinatis, licèt ſua paſſione & morte verè intenderit omnes ſalvare.

Reſp. Ad ſeptimum & octavum: ubi S. Auguſtinus dicit, „Non perire unum ex illis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt: „*Item.* Si homo non poſſit perdere, quod auro ſuo emit, nec „Chriſtus perdet, quod emit ſanguine ſuo.„ ℟. Inquam, S. Doctorem nolle hìc aliud intimare, niſi quòd nullus ex illis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, pereat ex defectu ſuæ potentiæ, protectionis, aut ſedulæ curæ eum conſervandi, juxta illud, quod ipſemet promittit in Evangelio: *& non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Non tamen vult Auguſtinus, neminem poſſe perire ex propria ſua malitia; cùm etiam ipſe Dominus conqueratur unum periiſſe ex iis, (*a*) quos dedit ipſi Pater, nimirum Judam *filium perditionis.* Poteſt quoque reſponderi ad hos, vel plures ſimiles textus conformiter ad tertiam ſuprà poſitam conſiderationem, quòd, dum Auguſtinus ſcribit illos tantùm eſſe redemptos, qui ſalvantur, qui verò non ſalvantur, non eſſe redemptos, quòd, inquam, intelligat efficaciter & completè redemptos, non tantùm ſufficienter & initiativè redemptos, in hoc enim ſenſu æquè reprobos, ac electos redemit.

Reſp. ad nonum: ubi dicit S. Auguſtinus, *dari mundum aliquem, pro quo Chriſtus non rogat.* ℟. Primò; quòd licèt Chriſtus toto

(*a*) Joan. 17.

Digitized by Google

vitæ ſuæ tempore nunquam rogâſſet pro hominibus, ne quidem pro ipſis prædeſtinatis, non tamen inde conſequeretur, Chriſtum non fore verum eorum Redemptorem, cùm ejus paſſio ad copioſam & plenam redemptionem ſufficiat, nec opus ſit expreſsè inſuper, & formaliter precari. ℞. Secundò; quòd, licèt verum ſit, Jeſum Chriſtum moriendo in Cruce obtuliſſe ſanguinem ſuum pro omnibus, pro quibus Patrem rogavit, tamen exinde conſequens ſit, eum ſemper orâſſe pro omnibus illis, pro quibus mori voluit. Certum eſt enim ex Evangelio, ejus orationes non ſemper fuiſſe generales, ſed aliquando particulares, hinc etiamſi verum eſſet, Chriſtum in locis citatis non pro reprobis ſuas preces fudiſſe, nemo tamen idcircò concluſerit, eum neque pro ipſis ſanguinem fudiſſe.

℞. Tertiò: Chriſtum non rogâſſe pro mundo reprobato per preces procedentes ex voluntate ſpecialiter efficaci eum ſalvandi, adeò ut his precibus pro ipſo voluerit obtinere omnia media efficacia & infallibilia ad ſalutem; in hoc enim ſenſu ſolummodò precatus eſt pro electis.

Tandem poteſt reſponderi, quòd, dum S. Auguſtinus dicit, Chriſtum non pro illo mundo rogâſſe, de quo exoptat, *ut non cum hoc mundo damnemur*, non intendat teſtari, Salvatorem hac vel alia occaſione nunquam rogâſſe pro reprobis, in quantùm ſunt creaturæ rationales ad imaginem Patris factæ, ſed non pro ipſis rogâſſe, in quantùm ſunt amatores mundi, peccatores impænitentes & contumaces, nam in hoc ſenſu non magis pro his, quàm pro dæmonibus oravit ad Patrem.

Conformiter ad hanc explicationem. ℞. Ad Decimum: ubi S. Auguſtinus dicit, „ quòd, ſi Eccleſia de aliquibus certa eſſet, eos, „ dum adhuc vivunt in hoc mundo, eſſe reprobatos, non magis „ pro ipſis, quàm pro diabolo ad *Deum oraret.* „ ℞. Inquam, S. Doctorem hoc loco agere contra errorem dicentium, Deum in extremo judicio impiis reconciliandum fore propter orationes Sanctorum, quod falſum eſſe probat, quia ſi hoc ita ſe haberet, „ Nul-

„la cauſa eſſet, *inquit*, cur non etiam nunc pro diabolo & Angelis „oraret Eccleſia, atque pro damnatis ſuas preces funderet : „ à quo tamen adeò diſtat, ut ſi certò dignoſceret, qui ſint cum dæmonibus ad ignem æternum deſtinati, non magis pro hominibus illis adhuc viventibus precaretur, quàm pro dæmonibus.

Verùm de quali oratione loquitur hîc S. Doctor ? de oratione abſoluta ex deſiderio abſoluto prodeunte, quo Eccleſia vellet ſalvari eos, quos cognoſcit à Deo abſolutè rejectos : tales enim fore orationes Sanctorum prætendebant illi, qui aſſerebant impios in extremo judicio non puniendos propter orationes Sanctorum. Jam verò indubitatum eſt, quòd Eccleſia in dicto caſu non plus rogaret pro hujuſmodi ſceleratis ex deſiderio abſoluto, quàm pro dæmone, & hoc propter ſubmiſſionem ac ſubordinationem divinæ voluntati debitam. Nihilominus neque hæc ſubmiſſio impediret, ne Eccleſia & poſſit & debeat pro taliter cognitis reprobatis obſecrationes ad Deum fundere ſaltem ſub conditione, & per conformationem ſuæ voluntatis cum divina.

Cùm enim Deus ſingulis diebus peccatoribus reprobis tribuat remedia, eò quòd ipſorum ſalutem quoad ſe voluerit voluntate antecedente, & quòd Chriſtus in cruce pro ipſis redimendis ſanguinem fuderit non obſtante præcognitione de futura eorum damnatione : hinc nihil prohibet, quin etiam Eccleſia, licet cognoſcens aut prævidens reprobationem cujuſdam perſonæ, poſſit velle ejus ſalutem, ſe conformando cum voluntate divina antecedente, ac per conſequens & poſſit, & debeat pro illa à Deo petere gratiam converſionis : hæc oratio Eccleſiæ in tali ſenſu erit Deo acceptiſſima, ſicut mors & oratio Chriſti pro toto mundo, cujus tamen majorem partem intuebatur damnandam, erat Deo non tantùm perquam glorioſa, & gratiſſima, ſed etiam fundamentum & principium reprobationis impii.

Dixi mortem & orationem Chriſti pro toto mundo eſſe Deo glorioſam; quia exaltat ejus bonitatem, quà ita dilexit mundum tametſi impium & majore ex parte reprobum, *ut filium ſuum Unige-*

Digitized by Google

nitum daret: Addidi hanc mortem & orationem pro toto mundó etiam eſſe principium & fundamentum reprobationis impiorum, qui non ſunt deſtinati ad flammas inextinguibiles, niſi quia Dominus prævidit eos miſericordiam ſuam & patientiam laceſſituros, nec reſponſuros Voluntati ſuæ antecedenti eos ſalvandi.

Ex hâc cauſa Sacroſancta Mater Eccleſia perfectè cognoſcens divinæ Bonitatis inexhauribilem abundantiam erga omnes homines precatur juxta præceptum S. Pauli, & S. Jacobi pro omnibus hominibus in communi & particulari ſine excluſione aut exceptione ullius, quod ſanè abſque culpa non attentaret, ſi certò ſciret, Deum decreviſſe poſitivè & abſolutè majorem partem humani generis tradere Sathanæ in interitum ſine ulla voluntate antecedente omnes ſalvandi; non enim Eccleſia ſic precaretur ſine poſitiva renitentia divinæ voluntati, cui tenetur ſe humiliter & cæco modo ſubmittere, & conſequenter fieret oratio ejus in peccatum.

℟. Ad ultimum locum, ubi S. Auguſtinus ad apparentiam dicit, voluntatem Dei reſpectu noſtræ ſalutis eſſe incertam. *Sed incerta eſt mihi, inquit, de me ipſo voluntas Dei.* ℟. Inquam, S. Doctorem hoc textu nobis non tantùm non eſſe contrarium, ſed admodum favorabilem; non enim hîc alriorſum tendit, niſi ut impugnet errorem Pelagianorum, qui perſuaſi, nos poſſe credere ex ſolis liberii arbitrii viribus, in ſe ipſos confidebant, non in Dei gratiam, qui ſolus poteſt donare fidem ſecundùm effectum ſuæ promiſſionis; hoc patet ex verbis immediatè textum citatum præcedentibus. „ Promiſit Deus, *inquit*, filios Abrahæ, quod eſſe „non poſſunt, ſi non habeant fidem, ergò ipſe donat fidem: „non enim aliunde hanc fidem tenemus, niſi ex virtute pro„miſſionis Abraham factæ, quòd ipſi velit donare filios, & qui„dem fideles filios.

Itaque procul ab Auguſtino, quaſi hîc velit in Deo affirmare voluntatem antecedentem & abſolutam excludendi quoſdam à dono fidei, & conſequenter ab æterna ſalute; ſed potiùs conatur nos convincere de contrario, noſque animare, ut mittamus ſortem

tem & fiduciam noſtram non in proprias, ſed Dei manus, de cujus miſeratione anxiè fluctuare non debeamus poſt promiſſionem Abrahæ factam: hinc pergit ulterius eodem loco: „ cùm „ ſanè Apoſtolus dicat, ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma „ ſit promiſſio; miror homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promiſſionis Dei. „

Pro quo meliùs capiendo advertendum eſt, quòd, ſi verum eſſet, majorem hominum partem non ſolùm in dicta promiſſione non fuiſſe incluſam, ſed etiam poſitivè excluſam, impoſſibile foret, ut ullus noſtrûm in Deo collocaret ſpem & confidentiam ſuam, nec in ejus divinis promiſſis, quæ juxta Auguſtinum ſunt baſis & fundamentum noſtræ ſpei. Certum quidem eſt, neminem cauſam habere deſperandi, cùm ignoret, utrum poſitivè ſit excluſus, nec ne, attamen indubitatum quoque eſt, nos neque poſitivè ſperare & multò minùs exſpectare poſſe firmiter & immobiliter æternam ſalutem, ſuppoſito quòd nonnulli imò potiſſimi poſitivè forent excluſi à dono fidei & promiſſionis, cùm ignoremus, utrum ſimus comprehenſi in parvo numero incluſorum, vel in majore numero excluſorum.

Ergò cùm S. Auguſtinus exhortatur non duntaxat quoſdam ex nobis, ſed omnes homines ſine exceptione, ut exſpectemus beatam ſpem & adventum Salvatoris, in ejus promiſſiones & bonam voluntatem collocando noſtram fiduciam, & quidem firmiter & immobiliter, nònne evidens eſt & conſentaneum, quòd ſupponat voluntatem Dei bonam ejuſque promiſſiones extendere ad omnes ſecluſâ omni exceptione.

Quando igitur S. Doctor hæc verba pronuntiat: *ſed incerta eſt mibi &c.* Non aliud intendit, niſi detergere iniquam ſuſpicionem, quam poſſemus de divina voluntate circa noſtram ſalutem concipere, monſtrando, multò magis nos habere locum & cauſam diffidendi propriæ infirmitati, quàm divinæ promiſſionis firmitati, cùm tamen Pelagiani potiùs illi quàm iſti inſiſtendum aſſéruerint, abſurdè ſibi imagi-

nantes, nos non poſſe firmiter ſperare ſalutem, ſi hœc dependeat à voluntate & miſeratione divina. Hoc manifeſtè apparet ex his Auguſtini loquelis. *Quid ergò? nec tua de te ipſo voluntas tibi certa eſt; nec times?*

Quòd veró ſuperaddat: *cùm igitur utraque incerta ſit*; per hoc non concedit, Dei voluntatem eſſe incertam, ſic enim ſibi ipſi repugnaret in eodem contextu, nec firmaret ſpem noſtram, ſed deſtrueret. Aſſumit ergò in ſe perſonam Pelagiani, quem impugnabat, ejuſque verbis, ſenſu & mente Pelagianos convincere ſtudet, non ſecus ac ſi diceret; cùm juxta vos tam divina quàm veſtra humana voluntas ſit incerta, vel, dato non conceſſo, Dei voluntatem reſpectu noſtræ ſalutis eſſe incertam, Deúmque deficere poſſe in ſuis promiſſis, vel, tranſeat verum eſſe, ut vobis imaginamini, voluntatem Dei eſſe incertam, non tamen dubitare poteſtis, voluntatem veſtram infirmam, & inſtabilem ex natura ſua, cui tamen totum ſalutis negotium committitis, eſſe multò incertiorem: quod cùm ita ſe habeat; *cur ergò homo*, quærit finaliter Auguſtinus, *non firmiori quam infirmiori fidem, ſpem charitatemque committit?*

Veſtra mendacia tanquam fumus ipſe Evaneſcunt atque deficiunt. (*a*)

(*a*) D. Auguſt. lib. 2. cont. Fauſt. cap. 2.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX RERUM EPISTOLA PRIMA

IN QUA EXPLANANTUR Veritates de fide tenendæ ex deciſione Eccleſiæ Contra recenter graſſantes hæreſes. pag. 1.

CUrioſitas periculoſa damnata à S. Auguſtino probata à Novatoribus. 2
Cathechiſmus benè imbibitus poteſt ſufficere ad ſciendum ea, quæ tenemur ſcire de Myſterio Prædeſtinationis & gratiæ. 4
Propoſitum Auctoris. 5
ARTICULUS I. *De Authoritate ſummi Pontificis.* 6
Submiſſio debita decretis Sacræ ſedis. 6
Quæ ſubmiſſio probatur ex locis compluribus SS. Patrum. 7
Quid cenſendum de illis, qui ſpernunt Authoritatem ſacræ ſedis? 9. Et ſeq;
Decreta Pontificia ſunt abſolutè irreformabilia & deciſiva juxta omnes Gallos Catholicos, poſtquam recepta ſunt ab univerſali Eccleſia. 10
Argumentum invictum ad probandam hanc veritatem. 11
Quæ etiam roboratur non abſimili argumento S. Auguſtini contra Pelagium. 12
IndignatioNovatorum contraConciliumTridentinum quid indicet? 13

ARTICULUS II. *De erroribus Pelagianorum & Semi-Pelagianorum.* pag. 14
Impoſtura Hæreticorum, Doctores Catholicos de Pelagianiſmo arguentium. 14
Præcipui errores Pelagianorum. 15
Præcipui errores Semi-Pelagianorum. 16
Quid credere teneamur contra hos errores. 16
Aliæ veritates circa hæc de fide tenendæ contra inſidias Novatorum. 17
Impii, teſte S. Proſpero, pereunt ex propriâ culpâ, juſti ſalvantur ex Dei miſericordiâ. 19
ARTICULUS III. *De erroribus Janſeniſmi.*
Hæreſin demonſtrare vel detegere, deſtruere eſt juxta Tertullianum. 20
Prima Propoſitio Janſenii. 22
Secunda Propoſitio. 22
Tertia Propoſitio. 23
Quarta Propoſitio. 24
Quinta Propoſitio. 24
Damnatio harum Propoſitionum. 25
ARTICULUS IV. *Senſus, in quo propoſitiones Janſenii ſunt damnata.* 26
Artificia Novatorum ad eludendam damnationem quinque propoſitionum. 26
Deciſio Eccleſiæ deſuper. 28
Varii ſenſus, quos Novatores quinque Propoſitionibus tribuunt, ut eludant earum damnationem. 28
Loquelæ Novatorum ad ſpeciem Catholicæ. 32
Verus ſenſus, in quo damnatæ ſunt quinque Propoſitiones; & quid circa eas bono Catholico credendum? 33
ARTICULUS. V. *De quæſtione Juris & Facti: Item de prætenſo phantaſmate Janſeniſmi, & ſilentio obſequioſo.* 34
Diſtinctio Juris & Facti inventa à Janſenianis. 35

Quid ſibi velit hæc propoſitio. *Janſeniſmus phantaſma eſt.* pag. 35
Etiamſi verum eſſet, quod Janſeniani referunt de Clemente IX. Et Innocentio XII., non tamen exinde ſalvarent *ſilentium obſequioſum.* 37
Inſufficientia ſilentii obſequioſi probata ex oraculis eorundem Pontificum. 38
Item probata ex caſu conſcientiæ Clermontanó, & ex ratione. 39
Duæ ſpecies facti: nempe perſonalis & dogmatici; in hoc poſteriore Eccleſia eſt infallibilis. 41
Quod probatur ex ipſis Janſenianorum teſtimoniis. 42
Probatur idipſum ex aliis ratiociniis. 43
ARTICULUS VI. *De gratiâ ſufficiente.* 45
Duo genera Hæreticorum, quamvis oppoſitorum confœderantur contra gratiam ſufficientem. 45
Gratiam ſufficientem tribui omnibus hominibus eſt veritas Catholica; imò dici poteſt, eſſe veritatem de fide tenendam: hujus ſententiæ probatio. 46
Rationes & Authoritates, quæ probant exiſtentiam gratiæ ſufficientis omnibus hominibus conceſſæ. 48
Schola Thomiſtarum non favet in hoc Novatorum erroribus, ſed eos damnat. 50
Cur ſecundùm S. Auguſtinum gratia ſortiatur ſuum effectum in his & non in illis? 50
Ex dogmate Catholico nequit concludi, quòd gratia ſubjiciatur libero arbitrio. 51
Neque etiam deſtruit doctrinam de gratiâ efficaci. 51
Gratiam in quibuſdam nunquam fore efficacem, egerint, quodcùnque voluerint, eſt propoſitio hæretica. 52
ARTICULUS. VII. *De infidelibus & Parvulis ſine Baptiſmo mortuis.* 53
Probatur, Chriſtum eſſe mortuum pro infidelibus & parvulis ſine Baptiſmo mortuis, præcipuè per ratiocinium ex S. Auguſtino deductum. 53

Dicere, *hoc eſt incredibile*, *hoc capere nequeo*, eſt loquela impia & inſana. pag. 55
Explicatur, quomodo Deus veraciter velit ſalutem infidelium & parvulorum ſine Baptiſmo mortuorum. 57
ARTICULUS VIII. *Utrum ex Cathedra vel alibi ſic liceat eloqui? non ſemper habemus gratiam: Deus eligit hos, & irrevocabiliter deſerit illos: humiliter remittenda eſt ſors noſtra in manus ejus; quia ſalus noſtra ab ejus ſolâ pendet miſericordiâ.* 59
Cenſura iſtarum Propoſitionum. 60
In quo ſenſu ſint Catholicæ, in quo Hereticæ? 60
An meritò an temerè de hæreſi ſint ſuſpecti, qui his propoſitionibus utuntur? 62
ARTICULUS IX. *Quid vel quale ſit fundamentum humilitatis.* 63
Moderni Hæretici ſunt arrogantes Chriſtianæ humilitatis Prædicatores. 63
Radix & fundamentum humilitatis eſt in nobis non in Deo quærendum. 65
Falſa humilitas Novatorum, quam vel ipſi dæmones poſſunt exercere. 66
ARTICULUS X. *In quo conſiſtat ſpes?* 67
Modernis erroribus ſpes evertitur. 67
Certitudo ſpei in quo fundetur? 68
Non eſt contraria timori, cum quo jubemur operari ſalutem. 68
ARTICULUS XI. *De libris prohibitis.* 69
Tria genera librorum prohibitorum ex jure naturali & divino. 69
Omnes libri de amoribus incaſtis, aliiſve hujuſmodi profanis. 70
Omnes libelli famoſi: litteræ Provinciales. 70
Omnes libri hæreticorum de Religione tractantes: ad quos pertinent libri Factionis Janſenianæ. 71
Periculum, cui ſe exponunt legentes hujus Factionis libros. 72
Refelluntur frivolæ rationes, quibus juſtificare contendunt lectionem prohibitam. 75

Digitized by Google

Artificium ſcriptorum Janſenizantium. pag. 77
ARTICULUS XII. *De Lectione S. Scripturæ.* 79
Legere ſcripturam ſacram in linguâ vulgari ex malis diſpoſitionibus eſt peccatum valde enorme. 79
Scriptura ſacra comparatur Euchariſtiæ. 80
Propoſitum Novatorum, dum ſine diſcrimine omnium manibus Biblia porrigunt. 81
Quàm circumſpectè legenda ſit ſacra Scriptura. 82
ARTICULUS XIII. *De Bibliis Janſeniſticis.* 83
Translationes infideles Bibliorum quantùm noceant. 83
Verſio Montenſis eſt novum Evangelium Novatorum. 84
Damnata & interdicta ſub pœnâ excommunicationis. 85
Medium, quo dignoſcuntur verſiones Montenſium oblarvatæ. Propoſitum Auctoris in hunc finem. 86. Et ſeq.
Textus corrupti contra poſſibilitatem mandatorum Dei. 89
Textus corrupti contra gratiam ſufficientem. 91
Textus corrupti contra potentiam reſiſtendi gratiæ. 94
Textus corrupti contra indifferentiam liberi arbitrii. 98
Textus corrupti contra mortem Chriſti pro omnibus hominibus. 101
Explicatio Textûs S. Pauli: annon habet poteſtatem figulus luti ex eâdem maſſâ &c. 104
Textus corrupti contra divinitatem Chriſti. 106
ARTICULUS. XIV. *Utrum multi ex illis excuſandi ſint à peccato & hæreſi, qui modernis erroribus implicantur.* 112
Enormitas peccati hæreſeos, quam plerique ſine ſcrupulo ſectantur. ibid.
Quidam Janſeniani ex bonâ fide à peccato mortali excuſandi. 114
Quidam Janſeniani ab hæreſi non à peccato mortali excuſandi. 114
Plerique Janſeniani nec à labe mortifera nec ab hæreſi formali ſunt excuſandi. 116
Tremendum Dei judicium in illos, qui modernis erroribus adhærent. 117

Digitized by Google

ARTICULUS XV. *Admonitiones ſalutares.* pag. 122

PRIMA ADMONITIO. *Oportet conari, ut noſcas larvatos Janſeniſtas, ne circumveniaris eorum verſutiis.* ibid.

Falſi Catholici ſunt perículoſiores quàm hæretici declarati. Ibid.

Notæ ex quibus dignoſcitur Janſeniſta larvatus. 123

De illis, qui nimiùm exaggerant pondus concupiſcentiæ noſtræ, nec non profundam dejectionem, cui nos immergere deberent terribiles Religionis noſtræ veritates. 123

De illis, qui volunt parvulos ſine baptiſmo mortuos damnari ad pænam ſenſûs. 124

De illis, qui Catholicos vocant *Moliniſtas.* 124

De illis, qui devotionem erga ſacratiſſimam Virginem Mariam redargunt tanquam indiſcretam, & nimis exoticam. 125

De illis, qui Romanam curiam ſummoſque pontifices infuriosè proſcindunt. 128

De illis, qui S. Auguſtinum excedenter laudant. 130

De illis, qui vehementer extollunt Janſenium, Arnaudum, ſancyranum, alioſque factionis Janſenianæ Primates. 131

De illis, qui affectant morale extraordinariæ ſeveritatis. 132

Poſtquam agnoveris Janſeniſtas larvatos, vitandi ſunt. 134

SECUNDA ADMONITIO. *Oportet evitare circulos & diſcurſus, in quibus nimiâ libertate ſolent ventilari quæſtiones modernæ.* 135

Converſationes impiæ & temerariæ circa hodiernas lites. 136

Probatur obligatio in conſcientiâ, vitandi hujuſmodi converſationes. 137

Exemplum circa hoc S. Polycarpi. Ibid.

TERTIA ADMONITIO. *Oportet cavere arrogantem incredulitatem in rebus minutiſsimis.* 138

Superba incredulitas paulatim diſponit ad hæreſin. Ibid.

Exemplum, quod nobis præbuit S. Auguſtinus, ut credamus faciliter, quidquid ad Deum & pietatem ducit. 139

Sicut fides ſic & infidelitas ſuos gradus numerat; & per quos gradus prolabamur in infidelitatem. 140

QUARTA

QUARTA ADMONITIO. *Oportet præcludere viam omni maligna præventioni contra illos, qui Novatoribus reſiſtunt.* pag. 143
Inexcuſabile peccatum eorum, qui fremunt contra probatos Religioſos & Eccleſiaſticos Novatoribus ſe ſe opponentes. Ibid.
Propoſitum eorum, qui ſic averſantur Protectores Eccleſiæ. 144
QUINTA ADMONITIO. *Oportet ſpeciali devotione ferri erga S. Auguſtinum.* 145
Speciale meritum S. Auguſtini poteſt nobis coram Deo obtinere, ne labamur in errores modernos. 146
Implorandus pro Eccleſiâ Gallicana, cui idem cum Angliâ infœlice diſcrimen fidei imminet. 147
ADMONITIO ULTIMA. *Oportet ſe applicare exercitio Meditationis.*
Medium excellens ad veritates fidei noſtræ credendas eſt deſcenſus mentalis ad inferos. 148
Item, aſcenſus per fidem ad Chriſtum incarnatum & crucifixum &c. 149
EPISTOLA SECUNDA: *in quâ per tres columnas conſtruitur Parallela ſive collatio doctrinæ Janſenii cum doctrinâ Divi Auguſtini, & Calvini.* 151
Propoſitum Auctoris conſtruendo hanc Parallelam. 152
Reſpondetur ad ea, quæ dicunt Janſeniani, nempe, quòd quinque propoſitiones non reperiantur in Janſenio iiſdem terminis. 153
Reſpondetur ad ea, quæ dicunt Janſeniani, ne inſimulentur docere doctrinam Calvinianam. 154
Auctoritas S. Auguſtini debet eſſe indifferens ſimplicibus fidelibus. 157
Quid cenſendum de hâc Authoritate reſpectu errorum modernorum. 158
Omnes hæretici ſemper conati ſunt ſeminare Zizania ſua ſub alieno nomine, ſpeciatim ſub Authoritate S. Auguſtini. 161
Monſtratur, Janſenianos fruſtra gloriari in Authoritate S. Au-

Digitized by Google

guſtini, & hoc ex Parallela *ſeu Collatione doctrinæ Janſenii cum doctrina S. Auguſtini & Calvini.* pag. 167
Collatio circa primam damnatam propoſitionem. 168
Circa ſecundam. 180
Circa tertiam. 190
Circa quartam. 200
Circa quintam. 204
EPISTOLA TERTIA. *In quâ exponuntur textus S. Auguſtini, ad apparentiam oppoſiti hodiernis Eccleſiæ deciſionibus.* 127
Hæretici ſtudio ſilent de locis, quibus Catholici ex S. Auguſtino utuntur. 218
Quid reſpondeant ad hujuſmodi textus. 219
Refutantur hæ reſponſiones. Ibid.
Janſeniani ad ſpeciem recipiunt, & reipſa abjiciunt teſtimonia S. Auguſtini. 221
Regulæ pro benè intelligendis Eccleſiæ Patribus. 223
Cur videatur, S. Auguſtinum in quibuſdam locis favere modernis erroribus. 224
Ipſemet S. Auguſtinus prævidit quædam ſua ſcripta aliquando ſiniſtrè fore intelligenda. 225
Ordo ſervatus in explicatione textuum S. Auguſtini. Ibid.
DE POSSIBILTATE Mandatorum Dei. 227
Loca evidenter conformia & apparenter contraria Eccleſiæ deciſionibus. Ibid.
Explicatio textuum apparenter oppoſitorum Eccleſiæ deciſionibus. 231
Prima obſervatio: dantur duo genera peccati; unum materiale, alterum formale. 231
Secunda obſervatio: neceſſitas peccandi duobus modis conſideratur; nempe vel in tentationibus alternatim & diſtributivè occurrentibus, vel collectivè & ſimul ſumptis. 234
Tertia Obſervatio: duæ ſpecies impoſſibilitatis. Nimirum phyſica & moralis. pag. 235

Digitized by Google

Quarta Obſervatio : neceſſitas peccandi , conſiderata in homine vel prout eſt derelictus & traditus propriis viribus , vel prout eſt adjutus per gratiam. 236
Quinta Obſervatio : diverſæ ſpecies ignorantiæ. 237
Reſpondetur quatuor primis locis , ubi S. Auguſtinus dicit , *poſtquam ille* (primus homo) *liberâ voluntate peccavit , nos in neceſsitatem peccandi præcipitati ſumus.* Item *pænalis vitioſitas , ſubſecuta ex libertate , fecit neceſsitatem.* Item. *Non habet homo in poteſtate , ut bonus ſit.* Item. *Non potuit* (S. Petrus) *ſequi paſſurus , plus promiſerat , quàm poterat.* 238
Reſpondetur ad quintum : ubi S. Auguſtinus dicit ; *inexcuſabilis eſt omnis peccator , ſive qui novit , ſive qui non novit.* 239
Reſpondetur ad ſextum : ubi S. Auguſtinus dicit ; *illa ignorantia neminem ſic excuſat , ut ſempiterno igne non ardeat , ſi propterea non credidit , quia non audivit* &c. 240
Reſp. Ad ſeptimum & octavum : ubi S. Auguſtinus dicit ; *neceſſe eſt , ut peccet , qui neſciendo , quid facere debeat , quod non debet facere , facit ; ſi quis bonum putaverit eſſe , quod malum eſt , & fecerit hoc putando , utique peccat.* 241
Melior adhuc reſponſio ad has & plures hujuſmodi ſententias. 242
DE GRATIA ſufficiente. 245
Loca evidenter conformia & apparenter contraria Eccleſiæ deciſionibus. ibid.
Explicatio textuum apparenter oppoſitorum Eccleſiæ deciſionibus. 249
Prima Obſervatio : duo genera gratiæ ; gratia efficax & ſufficiens. ibid.
Secunda Obſervatio : duæ ſpecies gratiæ ſufficientis & remotæ. 252
Tertia Obſervatio : inter gratias ſufficientes vel efficaces ſunt aliquæ majores aliis. 252
Reſponſio ad primum & ſecundum : ubi S. Auguſtinus dicit ; *ſcimus gratiam non omnibus dari : communis omnibus natura non gratia.* ibid.
Reſp. Ad tertium : ubi S. Auguſtinus dicit ; *ſol juſtitia , quem ſibi non*

ortum plangent impii in die judicii. pag. 253

Reſp. Ad quartum : ubi S. Auguſtinus dicit ; *nihil huic ſenſui tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei, qua diſcernit bonos à malis, non qua communis eſt bonis & malis.* 254

Reſponſio ad quintum & ſextum : ubi S. Aug. dicit ; *cur illum Deus adjuvet, illum non ? quoniam ut crederent, non eis erat datum, etiam unde crederent, eſt negatum.* 255

Reſponſio ad ſeptimum : ubi S. Aug. dicit ; *omnis, qui non venit, non audivit à patre, nec didicit. Nam ſi audiſſet, & didiciſſet, veniret ; qui autem non credunt, foris audiunt, neque diſcunt ; hoc eſt, illis datur ut credant ; illis non datur.* 256

Reſponſio ad octavum. Ubi S. Aug. dicit : quod Dominus quoſdam peccatores obduret, quia eorum non miſeretur. *Obduratio eſt nolle miſereri.* 258

Reſponſio ad nonum : ubi S. Aug. dicit ; *ſi hoc adjutorium vel Angelo vel homini defuiſſet, non ſuâ culpâ cecidiſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, pœna peccati eſt.* 259

Adhuc melius reſpondetur ad hunc textum. 261

Reſponſio ad decimum : ubi S. Aug. videtur dicere, Petro defuiſſe gratiam, quando Chriſtum negavit : *quid homo poſſit ſine gratiâ Dei, timor B. Apoſtoli oſtendit : quid eſt homo ſine gratia ? niſi quod fuit Petrus &c.* 262

Reſp. Ad undecimum : ubi S. Aug. dicit ; *ut anima, quæ illa gravia ſentit, intelligat nondum accepiſſe vires.* 264

Reſp. Ad textus, quibus S. Aug. dicit, nos debere orare ad obtinendam gratiam converſionis ac benè vivendi : ex quo Janſeniani inferunt, nos non habere gratiam ſufficientem ad hanc orationem ; cùm ſit amentia id poſtulare à Deo, quod eſt in noſtra poteſtate. 265

DE HOMINIS POTENTIA reſiſtendi gratiæ. 266

Loca evidenter conformia, & apparenter contraria Eccleſiæ deciſionibus. ibid.

Digitized by Google

Explicatio textuum, ad ſpeciem oppoſitorum Eccleſiæ deciſionibus. pag. 272
Prima obſervatio: Angeli & primus homo in ſtatu innocentiæ neceſſe habebant gratiam ſupernaturalem, ad faciendum bonum ſupernaturale. ibid.
Secunda obſervatio: gratia Angelorum & primi hominis in ſtatu innocentiæ differt à noſtrâ gratiâ. 273
Prima differentia. ibid.
Probatur hæc differentia, 274
Secunda differentia. 276
Tertia differentia. ibid.
Quarta differentia. 277
Reſponſio ad primum & ſecundum; ubi S. Aug. dicit; *ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi*; quod liberum arbitrium S. Doctor videtur negare in præſenti ſtatu poſt lapſum. *Permanere cum Deo non eſt omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt, & fuerunt in Adam*; Item. *poſt caſum hominis non niſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere.* 278
Reſponſio ad quartum: ubi S. Aug. dicit. *Aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit: primo itaque homini* &c. 279
Reſponſio ad quintum: ubi S. Aug. dicit; *prima gratia eſt, quâ fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit, ſecunda, quâ etiam fit, ut velit.* 281
Reſponſio ad ſextum & ſeptimum: ubi S. Aug. dicit; *quæ futura erat merces meriti, factum eſt donum gratiæ.* Item *humana hîc merita conticeſcant, & regnet Dei gratia.* 282
Reſponſio ad octavum: ubi S. Aug. dicit. *Ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur; infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt, vellent.* 283
Reſponſio ad nonum: ubi S. Aug. ait. *Plus eſt agi, quàm regi: qui enim regitur, aliquid agit; qui autem agitur, agere aliquid vix ipſe*

Digitized by Google

intelligitur. pag. 288

Reſponſio ad decimum & undecimum : ubi S. Aug. dicit; hæc gratia à nullo corde reſpuitur. Item ſi enim Deus miſeretur, ergò jam volumus. Ibid.

Reſponſio ad duodecimum: ubi S. Aug. dicit; *Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium.* 291

Celebris S. Auguſtini ſententia: *quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt.* 293

Prima reflexio in hunc textum: delectatio ad actionem voluntatis non eſt tam neceſſaria, ut non poſſit voluntas ſe determinare ad bonum ſive malum, niſi ex ſenſatione cujuſdam delectationis expreſſæ & formalis. ibid.

Secunda reflexio : delectatio expreſſa & formalis Adæ innocenti non minus neceſſaria erat ad amplectendum bonum ex motu amoris aut complacentiæ, ac neceſſaria eſt homini reo in ſtatu præſente. 294

Tertia reflexio : duæ ſpecies delectationis; prior ſive præveniens; & poſterior ſive conſequens. 296

Prima reſponſio ad allatum textum; *quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt.* 297

Secunda reſponſio ad eundem textum. 299

Tertia reſponſio. 300

DE LIBERTATE Indifferentiæ. 301

Loca evidenter conformia, & apparenter contraria Eccleſiæ deciſionibus. 301

Explicatio textuum,ad ſpeciem oppoſitorumEccleſiæ deciſionibus. 306

Prima obſervatio : tres ſpecies libertatis: libertas à neceſſitate, à peccato,à miſeriâ. 306

Secunda obſervatio : duæ ſpecies Libertatis naturæ, ſeu à neceſſitate. Nempe libertas ſpontaneitatis, & indifferentiæ. ibid.

Tertia obſervatio : duæ ſpecies libertatis indifferentiæ; una contrarietatis, altera contradictionis. ibid.

Quarta obſervatio. Duæ ſpecies libertatis indifferentiæ ; una phyſica, altera moralis. 306

Reſponſio ad primum & ſecundum: ubi S. Aug. dicit; *liberum arbitrium primi peccati granditate perdidimus.* Item. *Libero arbitrio malè utens homo & ſe perdidit & ipſum.* 307

Digitized by Google

Reſponſio ad tertium: ubi S. Aug. dicit; *ipſe eſt Adam, quem noſtra illa definitio intuebatur, cùm dicerem: peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi &c.* pag. 308

Reſponſio ad quartum & quintum: ubi S. Aug. dicit; *nec ideò liberum arbitrium non habebunt: multò liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit ſervire peccatis.* 311

Reſponſio ad ſextum: ubi S. Aug. videtur negare, nos privatos eſſe libero arbitrio & deliberatione voluntatis, quando ex naturali neceſſitudine ſtringimur ad aliquid faciendum *Voluntatis enim arbitrio, inquit, ac deliberatione privatur, quidquid naturali neceſſitate conſtringitur: & hic nonnulla quæſtio eſt. Perquàm enim abſurdum eſt, ut ideò dicamus non pertinere ad voluntatem noſtram &c.* 313

Reſponſio ad ſeptimum & octavum: ubi S. Aug. dicit; *illud nos habere in poteſtate dicimus, quod cùm volumus, facimus.* Item. *Voluntas noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtrâ poteſtate; porrò quia eſt in poteſtate, libera nobis eſt.* 317

Reſponſio ad nonum & decimum: ubi S. Aug. videtur dicere, hominem ideò præcisè liberum eſſe, quia non eſt coactus. *Si cogitur non vult.* Item. *Deus punit peccata, quæ neceſſe eſt fieri, quia non cogit facienda, quæ futura ſunt.* 318

Reſponſio ad ultimum: ubi S. Aug. diſtinguit duas ſpecies neceſſitatis, una quæ eſt contraria, altera quæ non eſt contraria libertati. Si enim neceſſitas illa noſtra dicenda eſt, quæ non eſt in noſtrâ poteſtate, ſed etiamſi nolumus, efficit quod poteſt..... Manifeſtum eſt, voluntates noſtras ſub tali neceſſitate non eſſe..... Si autem illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundum quam dicimus, neceſſe eſſe ut ita ſit, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auſerat. 321

DE MORTE CHRISTI pro omnibus hominibus. 324

Loca evidenter conformia & apparenter contraria Eccleſiæ deciſionibus. Ibid.

Explicatio textuum ad ſpeciem oppoſitorum Eccleſiæ deciſionibus. 329

Prima obſervatio: duæ ſpecies voluntatis in Deo; voluntas antecedens & conſequens. Ibid.

Secunda obſervatio: aliæ duæ ſpecies voluntatis in Deo reſpectu noſtræ ſalutis; una abſolutè efficax, vel potius ſimpliciter efficax. Altera ſufficienter efficax, ſeu potius ſimpliciter ſufficiens. 332

Digitized by Google

Tertia obſervatio : duæ ſpecies redemptionis ; una in actu primo, altera in actu ſecundo. pag. 332
Reſponſio ad primum : ubi S. Auguſtinus videtur rejicere divinam voluntatem ſalvandi omnes. *Sed ideò non veniunt dices, quia ipſi nolunt ; cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptiſmate moriuntur, non veniunt in regnum Dei?* 334
Reſponſio ad ſecundum & tertium : ubi S. Aug. dicit ; *aliquando Deus non vult filium ſuum, quem format in utero filia ſua.* Item. *plerumque feſtinantibus parentibus & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulis detur : Deo tamen nolente non datur.* 336
Reſponſio ad quartum : ubi S. Aug. dicit ; *debemus ita intelligere* (textum S. Pauli quòd Deus velit omnes homines ſalvos facere &c.) *tanquam diceretur, nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem ſalvum fieri ipſe voluerit. Aut certè ſic dictum eſt, ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quaſdam differentias diſtributum.* 336
Reſponſio ad quintum & ſextum : ubi S. Aug. dicit ; *propitiatio eſt* (Chriſtus.) *peccatorum totius mundi, propter triticum, quod eſt per totum mundum.* Item. *miſit Deus filium ſuum propter præſcitos & prædeſtinatos.* 340
Reſponſio ad ſeptimum & octavum : ubi S. Aug. dicit ; *non perit unus ex illis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt.* Item. *ſi homo non poteſt perdere, quod auro ſuo emit, nec Chriſtus perdet, quod emit ſanguine ſuo.* 341
Reſponſio ad nonum : ubi S. Aug. dicit ; *pro iſto mundo non rogat* (Chriſtus) 341
Alia Reſponſio ad hunc textum. 342
Alia Reſponſio ad eundem textum. 342
Reſponſio ad decimum : ubi S. Aug. dicit, quòd ſi Eccleſia eſſet certa, quòd aliqui adhuc in mundo viventes, eſſent ex reprobis, non magis pro illis rogaret, quam pro dæmone : *ſi de aliquibus certa eſſet Eccleſia &c.* 342
Reſponſio ad ultimum : ubi S. Aug. videtur dicere, voluntatem Dei reſpectu noſtræ ſalutis eſſe incertam *ſed incerta eſt mihi, inquis, de me ipſo voluntas Dei &c.* 344

FINIS.

MAG 4858

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google